This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

PRAELECTIONES THEOLOGICAE

QUAS

IN COLLEGIO ROMANO S. J.

HABEBAT

JOANNES PERRONE

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOL. PROF.

EDITIO SECUNDA ROMANA, DILIGENTER EMENDATA, ET VARIIS ACCESSIONIBUS AB AUCTORE LOCUPLETATA

VOL. III

CONTINET TRACTATUS DE DEO UNO ET DE SS. TRINITATE

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

SUPERIORUM PERMISSU

1840.

141. i. 94.

TRACTATUS

DE DEO UNO

TRACTATUS

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PROOEMIUM

1. Qui catholicae religionis veritatem hactenus demonstravimus, iidem simul eorum omnium veritatem demonstravimus, quae ad ipsam religionem pertinent, quaeque ab ipsa traduntur. Siquidem tam apto haec inter se vinculo tamque arcto connectuntur, ut unum idemque plane sint, neque alterum sine altero consistere queat. Itaque jam esset acta res tota, nec ad revincendos heterodoxos, modo sui compotes sint, modo caeca contradicendi libidine non abripiantur, quidpiam deberet ultra requiri. Verum quia non hujusmodi est religio catholica, ut, quemadmodum haereticorum sectae, latebris atque ambagibus velit obtegi *paratique semper*, juxta monitum Petri (1), catholici homines sumus *ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est, spe*, libenter de illis dogmatibus singillatim disputare aggredimur. Unum curare debemus, ut,

(1) 1 Pet. III, 15. Juvat in hanc sententiam afferre verba Tertulliani (*Adver. Valentin.* cap. III); « Abscondat itaque se serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in coeca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostrae columbae etiam domus simplex, in editis semper et apertis et ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti Orientem, Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi; quia nec pudebit illum aures ei dedere, eum Deum recognoscere, quem jam illi natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quod unicum non putavit, quod in numero nominavit, quod in aliis adoravit ».

quam ipsa religio viam et rationem tradit, ab ea inter disputandum nusquam deflectamus.

2. Ordimur jam disputare de Deo, a quo sicuti rerum omnium ita et scientiarum, theologiae vero maxime, initia sunt. Agemus primo de ejus existentia, unitate, essentia et attributis generatim; deinde singillatim de praecipuis attributis tum positivis tum negativis absolutis; tertio de intelligentia ac voluntate; ultimo de providentia, praedestinatione ac reprobatione. Quanquam autem hac de re multa philosophi communiter cum theologis tradant, quae theologiae studiosis latere penitus putandum non est; operae tamen pretium nos facturos existimavimus, si saltem majoris momenti nonnulla hic in memoriam ipsis revocaremus, ut et altius in eorum animis illa defigantur, et cumulatius recentes errores conjuntis facultatis utriusque viribus profligentur.

PARS I.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM

3. Dei nomine intelligimus ens, quo nihil melius esse aut excogitari potest. Inquiremus autem primo an sit, deinde utrum unus an multiplex, denique, quantum humana imbecillitate possumus, quae sit ejus essentia, quae dotes et proprietates.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA

4. Qui Deum esse negant *athei* seu *atheistae* vocantur, et quidem *positivi*, ut distinguantur ab iis, qui *negativi* passim audiunt, eo quod Deum esse ignorant, si tamen dari tanta ignorantia potest, quam saltem non ad longum tempus dari posse plures merito affirmant.

5. Dari autem plures atheos *practicos*, qui nempe ea ratione se gerunt, perinde ac si nullus Deus esset, heu nimium comperimus; ast non ita certum exploratumque est, utrum dentur athei *speculativi* seu *dogmatici* vel *theoretici*, qui nempe sibi, obluctante conscientia, persuadere ratiocinationis vi revera possint, Deum nullum existere. Cum tamen quovis tempore nonnulli fuerint, qui Dei existentiam impugnaverint, cogimur adversus istos hanc inire disputationem. Hi athei theoretici, qui, positis quibusdam principiis, scientifice impugnant existentiam Dei, vocantur *systematici*, ut discernantur ab iis qui nullo fundamento nixi id praestare satagunt, qui propterea *non systematici* audiunt.

6. Monendum vero est ex illis divinitatis hostibus alios

directe atque aperta fronte ejus existentiam adortos esse, alios vero indirecte, larvata nempe ac subdola quadam ratione, quibus accensendi plerique ex iis sunt, qui vel non aliam ponunt Dei existentiam nisi *subjectivam* (1), vel Deum cum hac rerum universitate confundunt (2), tum ii, qui argumenta omnia, quibus Dei existentia demonstratur, tanquam non sufficientia rejiciunt, nec uspiam Deum inveniunt; illi nominantur athei *directi*, isti *indirecti*.

7. Atheos enumerandi diversa diversis ratio est; aliis valde multi, aliis valde pauci numero sunt; rursum sic opinantibus, aliis bonus inest animus, pravus aliis (3).

(1) Tales plerique sunt ex iis, qui pertinent ad scholam criticismi germanici, vel ab eadem prodierunt, de quibus postea.

(2) Quo in censu veniunt in primis spinozistae, qui confundi non debent cum veteribus stoïcis, qui etsi docuerint Deum animam mundi esse, Deum diverso sensu admittebant a Spinozistis. Conf. Cudworth, *Systema intellectuale*, cum notis Moshemii. Id ipsum constat ex Cic. *De nat. Deor.* lib. II, ubi expendit diversas philosophorum sententias circa naturam divinitatis; necnon ex Lactantio, *Divin. Instit.* lib. II, cap. 5, ubi eos refellit. Sed de his postea. His addendi sunt recentiores sansimoniani, qui pariter, ut videbimus, Deum non alium admittunt praeter hanc rerum universitatem et societatem ipsam.

(3) Inter eos, qui atheorum numerum extendere nituntur, eminent Bayle tum in suo *Diction. Hist. Crit.* tum in *Continuat. de ses Pensees sur la comete*, et *Réponse aux questions d'un Provincial*, part. II et III, etc.; cujus quidem in atheos propensio notissima est; nec non Jacobus Brucker in sua *Hist. philosoph.* tom. I; Jac. Frid, Raimann in *Hist. Univ. atheismi*, Hildes. 1725; Buddaeus in suis *Thesibus de atheismo*, aliique non pauci. Incaute etiam Nicole, ex jansenistarum coryphaeis, scripsit; « Il faut que vous sachiez, que la grande hérésie du monde n'est plus le luthéranisme ou le calvinisme, que c'est l'athéisme, et qu'il y a toutes sortes d'athées, de bonne foi, de mauvaise foi, de déterminés, de vacillans, de tentés, etc. » (*Lettre à une dame*, let. 25.) Conf. Feller, *Catechisme philosoph.* art. *Athée*. Reprehendendus etiam ejusdem vitii est Harduinus in libro, cui titulus; *Athei detecti*, inter opera ejus varia, fol. Amstel. 1733. Recenset autem in hoc opere inter atheos detectos Jansenium, Victorem, seu Andream Martin, Thomassinum, Malebranche, Quesnel, Antonium Arnauld, Nicole, Pascal, Cartesium, le Grand, Silvanum Regis: in eumdem finem scripsit opusculum: *Reflexions importantes*, etc. quod in eodem volumine reperitur. Sed et eum imitatus Bruckerus, in *Hist. crit. philos.* tom. IV, part. II, p. m. 668, inter plures viros pietate insignes, quos summa injuria in atheorum numerum retulit, recensuit ipsum Harduinum, etsi Bruckerus alio omnino animo id fecerit; ceterum si Joannem Tolandum, Anton. Collins, et Ludovicum Mayer excipias, reliquos

Nos vero neque tot esse ducimus, quot aliqui falso putant (loquimur autem de atheis theoreticis), neque adeo paucos seu fere nullos esse arbitramur, ut nonnulli autumant.

8. Quidquid tamen de eorum numero sit, in adstruenda Dei existentia duo scopuli nobis sunt devitandi. Alter eorum, qui autumant nullam instituendam esse de Dei existentia demonstrationem, utpote quae sola fide tenenda sit, atque ex revelatione credenda, de qua nobis constat ex auctoritate generis humani (1); atque hi quidem videntur nobis causae proditores. Alter vero eorum est, qui nullam saltem stricte talem demonstrationem eadem de re fieri posse aiunt; quod pariter periculi plenum existimamus. Nam etsi daremus, ut plerique jure contendunt, non posse Dei existentiam ostendi ea demonstrationis specie, quae dicitur *a priori* seu per causam, vel ut alii dicunt ab antecedente, saltem prioritate ordi-

omnes, quos hic auctor ἀθεότητος accusat, singillatim vindicat Brenna mox citandus, lib. II, part. II, cap. 27. Inter eos vero, qui extenuare atheorum numerum certant, numerari ii debent, qui ab atheismi macula vel eos purgare nituntur, qui omnium fere consensu tales habiti sunt, ex. gr. Jul. Caesar Vanini, Spinoza, etc. eos enim purgat Wegscheider, § 57, n. *b*. Consulatur de hoc argumento Brenna Soc. Jesu, in opere *De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate*, 2 vol. in 4. Florentiae 1773, parte I, cap. 26 et seqq. praesertim cap. 33, qui omnium plenissime de hoc argumento scripsit, ita ut vere dixeris ab eodem rem fuisse penitus exhaustam.

(1) Ita auctor operis: *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, necnon Bautain, etsi diverso principio ductus, qui in suis responsionibus ad Joan. Fr. Mariam le Pappe de Trévern Episcopum Argentoratensem (Strasbourg) profitetur: " J'ai l'intime conviction, et comme chrétien et comme philosophe, que le raisonnement seul, sans la lumière de la foi, ne peut me donner la certitude sur cette première de toutes vérités ,, (existentiae Dei). Mirum porro est quot paralogismos instruat ad hoc efficiendum. Conf. *Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain*, Strasbourg 1834, pag 5. et seqq. Hic tamen auctor se scriptaque sua Sedis Apostolicae judicio humiliter subjecit, et in epistola quam dedit episcopo suo 21. sept. an. 1837. non pauca ex iis quae minus caute scripserat retractavit. Demum in monito praemisso operi cui tit. *Psychologie experimentale* Strasbourg 1839. Haec praeclare scripsit: " Après avoir déféré lui-même au jugement du Saint-Siège ses précédents écrits. Il a consulté à Rome des personnes graves par leur caractère comme par leur position, et il lui a été dit que, fort de ses intentions droites et de sa soumission à l'Eglise il devait con-

nis (1), tamen extra dubitationis aleam est, posse Dei existentiam probari ea demonstrationis specie, quam *a posteriori*, vel etiam ea quam *a simultaneo* nonnulli vocant, cum nempe proceditur ab effectu ad causam, vel utrumque simul assumitur (2).

9. In delectu autem argumentorum ad finem, quem intendimus, obtinendum, temperamento quodam nobis opus est. Plura enim sive methaphysica sive *ontologica*, ut vocant, sive physicotheologica antiqui et recentiores scriptores ad ostendendam supremi numinis existentiam congerunt, quae omnia persequi constituti nobis limites non sinunt, quod et nimis operosum et supervacaneum praeterea esset. Quare unum vel alterum ex solidioribus et clarioribus seligemus, auditores nostros remittentes ad eos scriptores, qui ex instituto unumquodque argumentum peculiariter enuclearunt. Neque enim ii sumus, qui vel praetermissa, vel non aeque probata, hoc ipso ut minus apta ad rem conficiendam repudiemus, in quod vitium incurrerunt incaute nonnulli scriptores catholici, et passim incurrunt ex quadam animi perversitate neoterici scriptores e protestantium grege, quibus constitutum est omnia susque deque ferre (3).

tinuer son oeuvre, en s'empressant de déposer ses nouveaux écrits au pied du Souvrain Pontife. C'est ce qui fait en ce moment dans toute la sincérite de son ame, déclarant qu'il est prêt à retranchder e cet ouvrage, ainsi que des autres, tout ce qui *pourrait paraître contraire, de quelque manière ce soit, à la doctrine de l'église. L'auteur etait catholique avant d'être philosophe, et ne veut être philosophe, qu'à la condition de rester catholique* ,,. Utinam omnes ejusmodi exemplum imitarentur, ac illi praesertim quorum scripta ab Apostolica Sede damnata sunt nec turbas cierent, nec turbarent ecclesiam!

(1) Juxta rigidiores quosdam philosophos demonstratio a priori eadem est ac ab antecedente prioritate saltem ordinis juxta nostrum concipiendi modum: non vero quae *ex causa* ad effectum procedit; quo sensu nemo est, qui contendat demonstrationem existentiae Dei institui posse; sed eam solum ab attributis, ex ordine conceptis, fieri posse illi existimant.

(2) Dicitur demonstratio *a simultaneo*, quod constet duabus demonstrationibus, *a priori* scilicet et *a posteriori* in unum coalescentibus.

(3) Inter catholicos eminet l'Herminier, cui vitio vertitur, quod argumenta quinque, quibus s. Thomas p. 1, q. 2. art. 3, adstruit Dei existentiam, tanquam minus solida traducat, quae tamen communi calculo probantur. Ex protestantibus ve-

10. Animadvertendum denique est, non ideo in tuto rem totam futuram, si evicerimus existentiam Dei, nisi praeterea ostenderemus Dei nomine venire objectum reale, cum a nobis tum a rerum mole distinctum. Nam recentiores athei illud nobis ultro jam concedunt; atqui tamen toto coelo a nobis dissentiunt, cum nihil aliud Dei nomine intelligant nisi vel ideam pure subjectivam vel rerum omnium universitatem. Propterea objectum reale et a ceteris omnibus distinctum intellectum volumus in sequente propositione, etsi de hoc posteriori argumento postea ex professo dicturi simus.

11. His ad perspicuitatem dicendorum delibatis, esto jam:

10. praeter antiquiores aliquot, recenseri debent ii omnes, qui autumant ideae Supremi Numinis subjici ens reale, ut Fichte in opere: *Anweis zum seligen Leben*, id est, *Manuductio ad vitam beatam*; vel qui demonstrationem in solis rebus mathematicis et iis quae sensibus objecta sunt locum habere arbitrantur, ut Daub, *Theologumena* III et seqq.; Clodius, *allgem. Religionslehre*, etc. seu, *Doctrina universalis de religione*, 77 et seqq. 187 et seqq.; *Idem*, *Von Gott in der Natur*, etc., seu *De Deo, in natura in historia humana*, Lips. 1818; Marheinecke, *Die Grundlehre*, etc. hoc est, *Doctrina fundamentalis christianae dogmaticae*, Berolini 1819, §§ 23 et seqq., § 121, ubi haec habet: « Idea Dei, tum relate ad ejus essentiam, tum relate ad ipsius existentiam ea ratione tantum ostenditur, ut evincatur ex sensu intimae vitae »; et § 123: « Originalis necessitas unitatis rationis humanae cum conscientia Dei est argumentum praecipuum eorum, cui sic dicta argumenta innituntur „; et alibi passim; H. F. W. Heinrichs, *Die Religion*, etc. seu, *Religio in intrinseca relatione ad scientiam*, Heidelberg 1822, pag. 97: « Quod demonstrandum assumitur, *inquit*, existentia nempe Dei, etiam prout cognoscitur jam est completum, dum hoc juxta suum conceptum coincidit cum notione cogitationis. Existentia igitur Dei certa est, et in certitudine et cognitione consistit ipsa existentia .... cum adest Dei conceptus, Deus ipse est tanquam conceptus sui, est sua existentia »; vel qui affirmant Deum ipsum esse indicem sui, et per se ipsum, sive in conscientia quadam Dei, *immediate* per ipsum aut spiritum ipsius in hominis animo effecta, cognosci, ideoque aliis argumentis plane opus non esse, ut Ziegler, *Beiträge zur Geschichte*, etc. seu, *Documenta ad historiam fidei de existentia Dei in theologia*, Göttingae 1797; Schleiermacher, *Der christliche Glaube*, seu: *De fide christiana*, pag. 179 et seq. apud Wegsch. Horum plurimi ex criticismi schola prodierunt. Kantius enim principiis suis de postulato et autonomia imperativoque cathegorico rationis practicae, de quibus inferius dicemus, non solum ex professo omnes plane rejecit probationes hucusque adductas, sed praeterea ansam dedit, ut alii existentiam Dei solido carere fundamento putarent, alii in sola Dei idea

PROPOSITIO I.

Deus existit

12. Haec propositio tum praeambulum fidei est, ut loquitur s. Thomas (1), quum independenter a revelatione solius rationis ope in Dei existentiae cognitionem devenire possimus, tum ad fidem spectat, quum Dei existentia sit fundamentum totius revelatae religionis, et ut talis perpetuo supponatur in omnibus christianae fidei professionibus.

13. Sic vero I. ejusdem veritatem ostendimus: A tota aeternitate existit aliquod ens, illudque increatum, a se, necessarium et infinite perfectum, a quo entia contingentia originem et existentiam habuerunt; atqui nihil tale in hac rerum universitate est; aliud igitur praeter hoc universum admittendum est ens quidpiam, nimirum princeps illa et infinita rerum omnium causa et origo, quam nos Deum nominamus (2).

subjectiva subsisterent, alii atheismum moralem profiterentur, alii autotheismum, etc.

(1) P. 1, q. 4. a. 2, ad 2, ubi addit: « Nihil tamen prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit ». Cfr. Joseph Saenz de Aguirre, Ordin. Benedict. *Theologia s. Anselmi*, Romae 1688, lib. 1, disp. VII, sect. I et seqq. praesertim vero sect. III, necnon Emmanuel Sanz S. J. *Scholastes armatus*, Venetiis 1715; Tract. de Fide, part. III, disp. VI, qui id data opera fuse ostendunt omni argumentorum genere.

(2) Hoc argumentum, seu hanc demonstrationem, quam recte vocaveris *mixtam*, utpote quae incipiat a posterioribus et desinat in demonstrationem a priori circa naturam Dei, ac ponat *necessitatem essendi* ut fundamentum existentiae et attributorum Dei, prae ceteris clare evolvit Clarkius in tractatu; *De l'existence de Dieu et des attributs de Dieu*, 1756. Tertullianus in lib. *Contra Hermogenem* longe pressius ac magis energice, quam id praestitit Clarkius, ea omnia, quae spectant ad hanc Dei demonstrationem, complexus est. Id ipsum ante Clarkium praestiterat Suarez, in sua metaphysica, tom. II, disp. XXIX, sect. 3, n. 1 et seqq. Postea vero Card. Gerdilius hoc ipsum argumentum fuse evolvit in dissertatione: *Dell' esistenza di Dio, e della immaterialità delle nature intelligenti*, opp. edit. Rom. tom. II, § IV. Ex hoc argumento patet statui existentiam Dei distincti a rerum universitate, ipsumque poni ut substantiam objectivam ac realissimam exi-

14. Primam majoris propositionis partem inficiari ne atheus quidem potest; aliquod enim ens ex tota aeternitate fuisse necesse est, quia si nihil aliquando fuisset, nihil etiam omnino nunc esset, cum ex nihilo et a nihilo nihil prorsus oriri et effici possit. Hoc vero dato, reliqua necessario fluunt ac deducuntur. Ens enim, quod a tota aeternitate extitisse oportuit, debet esse *increatum*; quandoquidem nulla supponitur causa praecedens, a qua prodierit; et si ab aliqua causa prodiisset, jam non esset aeternum, debet igitur esse *a se*; esse autem a se non idem est ac se ipsum produxisse, in quo manifesta est pugna, esset enim antequam esset, sed significat existere ex vi essentiali suae naturae., ita ut idea entis per se existentis sit idea entis, cujus existentia et essentia unum idemque sunt. Ens vero a se exigit, ut sit *independens*, *immutabile*, absolute atque omnimode *necessarium*; si enim fingatur contingens, potuit esse et non esse, utpote ad utrumque indifferens; quae igitur causa ipsum ad esse potius quam ad non esse determinavit? Praesertim cum ens contingens non habeat rationem suaemetipsius existentiae.

15. Jam vero quod necessarium est, a se, atque a tota aeternitate existit, id esse debet omni possibili perfectionum genere cumulatum et undequaque infinitum. Quid enim in primis potest enti increato et a se existenti limites aut modum imponere? Quid perfectiones certas ei definire, ita ut has quidem habeat, plures majoresve non habeat, cum a nulla prorsus causa dependeat semperque extiterit? Praeterea ens absolute atque omni modo necessarium, tantum est, quantum esse potest, ergo possibiles omnes habeat oportet entis perfectiones; sed perfectiones possibiles saltem intensive, sunt

stentiae, durationis et ordinis mundi absolutam causam, secus ac fit a neotericis, praesertim ex schola criticismi, qui, ut diximus, ideae divinae realitatem e principiis rationis theoreticae demonstrari posse negant.

infinitae. Nam infinitum est cui nihil addi potest; nihil autem addi potest perfectionibus quae competunt enti infinite perfecto; ergo ens necessarium perfectiones habet saltem intensive infinitas. Quo fit, ut ente necessario nihil excogitari possit melius majus aut perfectius. Ab hoc ente propterea entia contingentia originem et existentiam habuerunt; quae enim contingentia sunt, cum potuerint esse et non esse, nec *essendi*, si ita loqui fas est, rationem in se habeant, ideoque aliquando non fuerint, nec proinde ipsa sibi dederint existentiam, nonnisi ab ente necessario, a se, ab aeterno existente originem atque existentiam habere potuerunt.

16. Propositio vero minor apertissime constat: nam omnia, quae in hoc mundo sunt, contingentia sunt et mutabilia; quotidie pleraque nasci et extingui, multisque modis variari et variata fuisse videmus; ergo et mundus ipse, qui nihil aliud est, quam immanis entium omnium contingentium collectio seu complexio, quae, quantacumque demum sit, tam contingens est, quam contingens est quaelibet vel minima ejus pars. Plane absonum est aut mundum aut materiam, ex qua mundus constat, aeternam, increatam, necessariam, immutabilem et omnibus perfectionum numeris absolutam dicere, ita ut nihil melius aut praestantius fingi possit atque excogitari; cum vel sola ipsa continua mutabilitas imperfectio sit omnium apertissima, certissimumque propterea creationis et limitationis ejus indicium.

17. Rationem hanc, a gentilibus ipsis mutuatam, adversus atheos urgebant veteres Ecclesiae Patres: *Viderunt*, inquit s. Augustinus (1), *quidquid mutabile est, non esse summum Deum. Viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, quae est quidquid illud est, non esse posse nisi ab illo, qui vere est, qui*

(1) *De civ. Dei*, lib. VIII, cap. 6. loquens de philosophis platonicis, ubi hoc ipsum argumentum longius protrahit et evolvit.

incommutabiliter est. Haec omnia, ait s. Joan. Damascenus (1), *cum mutabilia sint, sane etiam creata esse oportet. Si vero creata, haud dubium quin ab aliquo opifice sint condita. Atqui creatorem increatum esse necessum est. Nam si ipse quoque creatus est, a quodam profecto creatus erit, sicque donec ad aliquid increatum venerimus. Increatus igitur cum sit ille conditor, omnino nec mutabilis est. Hoc autem quid aliud nisi Deus fuerit?* Sic ceteri Patres passim (2).

18. 2. Argumento, ut vocant physico theologico eamdem propositionem evincimus, mirabili nempe istius universi dispositione, ordine ac pulchritudine; tanta enim est eorum, ex quibus adspectabilis hic mundus texitur, venustas et elegantia, apta et cohaerens inter se omnium proportio partium; tanta tamque constans dissimilium contrariarumque rerum societas, convenientia atque harmonia; hisque singulis tanto consilio concreditum munus suum, praeceptus suus finis est, ut nemo sanus aliquem hujus magnifici operis architectum et moderatorem esse, qui cuncta direxerit, suo quaeque ordine disposuerit, singula ad suos fines destinaverit, non e vestigio conjiciat, non apertissime videat. Genus hoc argumenti, ad quod saepe adeo Scripturae homines provocant (3), praeclare inter Patres exposuerunt Justinus, Athanasius, uterque Gregorius Nazianzenus atque Nyssenus, et Basilius apud Petavium (4). Quod si ab externis objectis ad nos

(1) Haec sunt verba ejus Τρεπτὰ τοίνυν ὄντα, πάντως καὶ κτιστά· κτιστὰ δὲ ὄντα, πάντως ὑπό τινος ἐδημιουργήθησαν· δεῖ δὲ τὸν δημιουργὸν ἄκτιστον εἶναι· εἰ γὰρ κἀκεῖνος ἐκτίσθη, πάντως ὑπό τινος ἐκτίσθη, ἕως ἂν ἔλθωμεν εἴς τι ἄκτιστον. Ἀκτίστος οὖν ὢν ὁ δημιουργός, πάντως καὶ ἀτρεπτός ἐστι· τοῦτο δέ τί ἂν ἄλλο εἴη, ἢ Θεός; *De orth. fide*, lib. 1, cap. 3, pag. 126, edit. Lequien, 1712.

(2) Cons. Petavius tom. 1, *Theol. dogm.* lib. 1, cap. 2. Vix est argumentorum genus a recentioribus philosophis velut novum invectum, quod Ecclesiae Patres, sive graeci, sive latini, non praeoccupaverint.

(3) Praesertim vero Psal. VIII et XVIII; Job. cap. III et a cap. XXXVII ad XLI; Is. XL, 21 et seqq. et XLII; Ps. XLV, 18; Jerem. XIV, 22; Sap. XIII, 1 et seqq.; Eccli. I et XLIII; Matth. VI, 25 et seqq.; Act. XIV, 15, 17 et XVII, 24, 28; Rom. I, 19, 20.

(4) Lib. 1, cap. 1.

ipsos cogitationem convertamus, nihil opus habemus, subdit s. Basilius (1), ex universitatis structura opificem indagare, sed in nobis ipsis veluti exiguo quodam mundo magnam conditoris nostri sapientiam intuemur (2).

19. 3. Atque hinc factum est, ut mirabilis semper fuerit populorum omnium sive silvestrium et agrestium sive excultorum consensio in admittenda aliqua divinitate. *Nam nulla gens est*, ut ait Tullius (3), *neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret qualem deum habere deceat, tamen habendum scial.* Qui quidem unanimis et praestans omnium gentium consensus, nunc jam ab omnibus admissus post tot detectas nationes (4) ac exploratas accurato examine earum omnium ideas religiosas, argumentum vel saltem praesumptionem certissimam constituit de Dei existentia. Hic enim consensus *factum* est exploratissimum, quod spectari debet velut effectus quidam universalissimus, cujus causa assignanda est; jam vero nulla alia causa assignari potest, quae effectui adeo universali et constanti explicando par sit, nisi vel inclinatio et dictamen ipsius

(1) In Homil. ad illud *Attende tibi*, tom. 1, pag. 352, edit. Paris. 1698: Οὐδέν δεήσῃ ἐκ τῆς τῶν ὅλων κατασκευῆς τόν δημιουργον ἐξιχνεύειν, ἀλλ' ἐν σεαυτῷ οἱονεὶ μικρῷ τινι κόσμῳ, τὴν μεγάλην κατόψει τοῦ κτίσαντός σε σοφίαν.

(2) Cons. Lessius, praecipue in opere *De numine ejusque providentia*, lib. 1, ubi totum istud argumentum praeclare multiplici ratione evolvit; et Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu.* Docti autem homines singillatim sibi sumpserunt aliquam partem hujus universi illustrandam, ut ex ea evincerent existentiam Dei, sic ex. gr. Fabricius scripsit *Theologiam aquae*; Niewentyt, *Theologiam anatomicam, naturalem*, etc.; Derham, *Theologiam astronomicam et physicam*; Lesser, *Theologiam insectorum*, quam declarationibus et notis auxit Lionnet; nec non *Theologiam testaceam, Theologiam fossilium*; ac ceteris praetermissis, novissime prodiit opus egregium Guillelmi Whewel, *Astronomia et physica in suis relationibus ad theologiam naturalem*, cujus quidem compendium et analysin exhibent *Annali delle scienze religiose*, fasc. 1, Luglio ed Agosto, Roma 1835.

(3) *De legibus*, lib. 1 cap. VIII, edit. Taurin.

(4) Quod inter ceteros admittit impius auctor, operis: *Résumé de l'histoire des traditions morales et religieuses chez divers peuples*, par M. de S. Paris, 1825, pag. 3. et seqq. Fatetur admittendam esse existentiam et unitatem Dei, quia harum veritatum vestigia reperiuntur in *omnibus populorum traditionibus.*

naturae, vel traditio quaedam originalis vel utrumque simul. In quacumque hypothesi semper concludi debet cum eodem Tullio (1): *De quo omnium natura consentit, id verum esse necesse est.*

20. Atque his argumentis contenti sumus, quorum vestigia sive in sacris litteris, sive in operibus Patrum videre est, quaeque proinde apprime theologum decent. Qui plura cupit, apud probatos auctores, qui hac de re egere, unde sitim expleat abunde habet (2). Interim ne difficultatum confusa expositio quempiam obruat, eas in quasdam classes redigemus.

DIFFICULTATES

Adversus argumentum deductum ex ente necessario et rerum contingentia

21. I. Obj. 1. Nihil vetat, quominus dicamus hanc

(1) *De nat. deor.* lib. 1, cap. 17. edit. Taur. Praemiserat autem: « Quum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio, intelligi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus ».

(2) Argumentum ontologicum omnium primus proposuit s. Anselmus Cantuar. tum in *Monologio de divinitatis essentia*, cap. 1 et seqq., tum in *Prosologio de Dei exist.* cap. 2, ubi ait: *Id quo majus cogitari nequit non potest esse in intellectu solo*, cap. 3; vid. Gaunilonis *Liber pro insipiente adversus Anselmi in prosologio ratiocinationem*, Anselmi operum 1, 35 et seqq.; Anselmi lib. *Contra insipientem et apologet. contra Gaunilonem*, ibid. pag. 37. Totam Anselmi argumentationem sic breviter complexus est Vasquez in p. 1. q. 11, a. 3, disp. xx, cap. 4: « Deus est id, quo melius excogitari non potest; sed id, quo melius excogitari non potest, nequit esse in sola cogitatione, sic enim non esset melius; id enim melius est, quod in cogitatione et in re ipsa est; ergo Deus est in rerum natura ». Ren. Cartesius *Medit. de prima philosophia*, med. v, et in epist. edit. Amstel. 1682. hoc argumentum probavit et suum fecit; quod postea pariter praestiterunt Wolf. *Theol. nat.* lib. 1, pag. 24 et seqq.; Moses Mendelssohn, *Morgenstunden*, etc. hoc est, *Horae matutinae*, 1, 2, anno 1786, aliique non pauci. Contra vero s. Thomae p. 1. q. 11. a. 1 ad 2, ejusmodi argumentandi ratio non probatur. Simonnet, *Tract. de Deo uno*, disp. 1, art. 3, demonst. v, prop. 1 et seqq. eam demonstrationem fuse evolvit. Cons. etiam Jos. Saenz de Aguirre in opere: *s. Anselmi theologia*, etc. Romae 1688, tom. 1, disp. xii, sect. 1 et seqq.

rerum universitatem non esse nisi seriem infinitam generationum et productionum, ita ut *corruptio unius*, ut fertur, sit *generatio alterius*. 2. Cum vero haec successiva ac nunquam interrupta reproductionum series hominis mentem fatiget, hinc est quod ad se expediendum ab hac difficultate ipse confugerit ad causam quamdam primam excogitandam (1). 3. Si tamen in mundo admitti debent ejusmodi generationes ac productiones, in quo latet aequivocatio; proprie enim loquendo, universitas rerum non est nisi quoddam totum necessario existens, quod incessanter *evolvitur*, seu est idem *esse* immutabile in sua substantia, ac perpetuo mutabile ac varium in suis modificationibus. 4. Sane ex nihilo nihil fit. 5. Una substantia nequit aliam producere, totum aeternum est ac necessarium, quod hodie est fuit hesterna die ac nudius tertius et ita porro atque indesinenter fuit. 6. Nihil destrui potest, nec proinde creari (2); ergo.

22. Resp. ad 1. *Neg.* Quia implicat dari seriem ejusmodi generationum et productionum infinitam; esset enim actu finita et infinita; infinita quidem, ut supponitur, et finita, quia potest semper novum capere incrementum, ut patet; quia hodie plures quam heri generationes et productiones habentur, cras plures habebuntur quam hodie, et sic deinceps; vel dicendum infinitum exurgere ex numeris finitis, quod pariter implicat. Absurda igitur ejusmodi hypothesis est et impossibilis (3).

(1) Ita auctor operis: *Lettre de Trasibule à Leucippe*, pag. 162 et 178; *Pensées sur l'interpret. de la Nat.*; *Encyclopédie*, art. *Imparfait*; *Syst. de la nat.* apud Bergier, *Traité de la Religion*, tom. II, pag. 262.

(2) *Elements de la Philos. de Newton*, 1 part. c. 1; *Encyclopédie*, art. *Production*, ibib. pag. 266.

(3) Cons Card. Gerdil in *Dissertazione della esistenza di Dio e della immaterialità delle nature intelligenti*, § 3, n. 31, ubi Cl. auctor ostendit absurdam esse ac plane repugnare multitudinem sive seriem atomorum infinitam, et vocat *rigorosas* demonstrationes, quas de hac argumento D. Maclaurin opposuit Fontenellio, in suo tract. *Des fluxions* (Card. Gerd. opp. edit. Rom. tom. II); idem vero ipse ex professo demonstrat in opusculo: « Mémoire de l'infini absolu considéré dans la gran-

23. Ad 2. *N.* Ideo enim hominis mens fatigatur, quia ipsa in serie illa cernit contradictionem et absurdum ; responsio constat ex modo dictis.

24. Ad 3. *Neg.* Universitatem rerum esse totum quoddam necessario existens, alioquin esset absolute perfecta et infinita, nullis vicissitudinibus obnoxia, ut ex dictis in probationibus constat, cum disseruimus de ente necessario, quod omnem plenitudinem esse importat.

25. Ad 4. *D.* Ex nihilo tum sui tum causae, *C.* sui tantum *N.* Hoc ipso enim quod ex nihilo nihil fiat, ac tamen tam multa esse videamus, quae nulla intrinseca necessitate existunt, concludimus : ergo aliqua causa est a qua prodierint.

26. Ad 5. *D.* Finita, *Tr.* infinita *N.* Sed de hoc cum adversus pantheistas agemus.

27. Cum vero falsum absolute sit existentiam actualem entis contingentis connexionem habere cum existentia sive praeterita sive futura, hinc, *neg. conseq.* Alioquin existeret necessitate naturae, quod implicare vidimus.

28. Ad 6. *D. A.* A se vel a potentia finita, *C.* ab alio, infinita nempe potentia praedito *N.*

29. Inst. 1. Totum non est contingens, ergo totum aeternum et necessarium est (1). 2. Nec obstat res omnes esse limitibus circumscriptas, nam licet essentiae rerum aeternae sint ac necessariae, non ideo omnibus perfectionibus praeditae sunt.

30. Resp. Ad 1. *D.* Quatenus praeter entia contingentia involvit etiam ens necessarium, *C.* seposito ente necessario, totum non est contingens, *N.* et sic nego consequentiam.

31. Ad 2. *Neg.* Ad probat... *licet rerum essen-*

deur (edit. Rom. opp. tom. v) tum in alio : Eclaircissement sur la notion et la divisibilité de l'étendue géométrique pour servir de réponse à la lettre de M. Dupuis », ibid.

(1) Ita Ocellus Lucanus antiquissimus philosophorum, quorum opera ad nos pervenerint, apud Bergier, loc. cit. pag. 268.

tiae , etc. *D.* in abstracto atque in se spectatae seu in sua notione metaphysica , *C.* id enim postulat ipsorum natura , in concreto seu existentes , *N.* Si enim a se existerent , jam earum natura aliter postularet , prout postulat natura entis necessarii.

32. II. Obj. Tota vis allati argumenti in contingentia rerum omnium hujus universi fundatur ; jam vero haec nulla est , 1. quia ex eo , quod partes hujus universi contingentes sint , inferri nequit totum universum esse contingens , alioquin a distributivo ad collectivum sensum transitio fieret , quam argumentandi rationem utpote vitiosam logici rejiciunt ; 2. eo magis quod ejusmodi argumentandi ratio falsa etiam deprehendatur in praedicatis essentialibus , quia etsi nulla sit essentialis determinata extensio , figura , modus alicui corpori , pessime concluderetur dari posse corpus absque ulla extensione , figura , etc. Vel etiam ex eo 3. quod singulae hujus mundi partes corruptibiles sint , male concluderetur totum simul corrumpi posse , vel Deum posse totam entium possibilium collectionem producere , eo quod singula producere possit ; ergo.

33. Resp. *Conc. maj. neg. min.* ; ad 1. prob. *N.* Ad id vero quod subditur de vitiosa argumentandi ratione a sensu distributivo ad collectivum , *D.* Est vitiosa , dum tribuitur collectioni quod non competit nisi partibus singillatim sumptis , *C.* dum tribuitur collectioni quod aeque competit partibus sive seorsim sive simul sumptis *N.* Exemplum est in exercitu , multitudine , summa , etc. Certe male concluderetur si , quod competit exercitui , multitudini , summae , eis negaretur , eo quod id non competat militibus , hominibus , numeris , sive unitatibus seorsim sumptis. Ast si tribuatur toti exercitui , etc. quod competit ita militibus , hominibus , numeris singulis , ut aeque competat etiam simul sumptis , nullum deprehenditur vitium in ea argumentandi ratione ; ut cum quis

pronunciaret de toto exercitu vel multitudine, quod sit mortalis; de summa, quod sit finita; sic massa bene dicitur aurea, si partes ex quibus conficitur aureae sint. Quod quidem valet tam in praedicatis accidentalibus, quam in praedicatis essentialibus.

34. Ad exemplum petitum ab extensione, si sermo sit de corpore modo seu statu naturali existente, institueretur utique sophisma, quia aliud est dicere nullam *determinatam* extensionem vel figuram esse corpori essentialem, et aliud est affirmare nullam penitus esse essentialem, quod fieri non posse contendunt plures, quibus et nos assentimur.

35. Ad 3. In eo quod dicitur de corruptione universali nulla inest pugna, quia reipsa tota collectio corruptibilis est.

36. Quod demum postremo loco allatum est de collectione omnium entium possibilium a Deo producenda, omnino negatur, non quidem propter naturam entium possibilium, quae produci possent, sed propter impossibilitatem seriei et collectionis actu infinitae, quae manifesto implicat; daretur enim collectio infinita exurgens ex numeris finitis.

37. III. Obj. Non repugnat mundum aeternum supponere, cum nulla intrinseca repugnantia ostendi possit de mundi aeternitate, quam plures veteres philosophi docuerunt (1); itaque neque repugnat ipsum supponere a se existentem; ergo.

(1) Ex veteribus philosophis, qui non praecise mundum, sed materiam aeternam posuerunt, eminent stoici, quibus persuasum erat duo fuisse rerum principia, alterum agens, alterum patiens, Deum et materiam aeternam. Cfr. Justus Lipsius in *Physiologia Stoicorum*, lib. I, dis. IV, p. 9. et lib. II, dis. II, pag. 57 et seqq. Sic veteres et recentiores platonici mundum dixerunt aeternum; cfr. Joan. Laurent. Moshemii *Dissertatio de creatione ex nihilo*, § 81 ad cap. 5. *Syst. intell. Cudworth.* Atque in genere iis omnibus haec arrisit sententia, qui velut dogma posuerunt illud principium: *Ex nihilo nihil fit*; cfr. Cudworth op. cit. lib. V, sect. II.

38. Resp. *N. A.* Repugnat enim ex dictis dari seriem sivé actualem et simultaneam, sive successivam entium finitorum, quia infinitum coalesceret ex numeris finitis, quod implicat. Posito autem, quod mundus ab aeterno esset sive conditus sive non, necessario deberet dari series infinita successiva (1). Addatur, quod si mundus esset a se, ipse jam esset Deus, quod est absurdum; ac proinde negatur consequentia. Quod autem dictum est de mundo, dici pariter debet de materia; hac enim semel aeterna supposita, jam incidimus in absurda modo recensita; semper enim eadem est ratio; quare non est cur diutius in his nugis refellendis commorari debeamus.

39. IV. Obj. 1. Dei idea subjectiva est, quae deinde

(1) Licet s. Thomas, p. 1, q. XLVI. a. 2. contendat *sola fide* constare mundum non semper fuisse, ac propterea *demonstrative* probari non posse eum non semper exstitisse, attamen superius (q. VII, art. 4) ea posuit, quibus ejusmodi sententia destruitur. Etenim in hoc articulo pro certo ponit, impossibilem esse multitudinem actu infinitam sive per se, sive per accidens, *Species multitudinis sunt*, ut ipse loquitur, *secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum.* Jam vero eadem ratio militat pro serie infinita successiva; quare, si implicat ex principio s. Doctoris series numerorum ac multitudinis infinita actualis, implicat pariter series successive infinita, quae tamen daretur ex hypothesi mundi ab aeterno conditi. Addendum praeterea, s. Doctorem forsan non praevidisse, illos futuros aliquando, qui hac essent hypothesi abusuri ad sua propria placita adstruenda. Praeclare cl. Card. Gerdil, disserens de hac s. Thomae opinione, scribit: « Io so, che s. Tommaso non ha creduto rigorosamente dimostrata la ripugnanza dell'eternità del mondo, supponendo la creazione *ab aeterno*, ma non ha detto, che non si potesse dimostrare in avvenire. Egli ragionava sulle nozioni filosofiche ricevute a suoi tempi, e niuno, anche in filosofia, lo superò mai, nè per acutezza d'ingegno, nè per maturità di giudizio, nè per copia di dottrina. Ma in quei tempi le nozioni geometriche non erano sì strettamente legate alle teorie filosofiche, nè così dichiarate, come sono state dipoi per gli studj di tanti celebri moderni. Tra gli antichi teologi molti hanno sostenuta l'impossibilità del moto eterno... però crederei, che considerata la quistione sotto aspetto puramente scolastico non abbia da riguardarsi come opposto alla rispettabilissima scuola tomistica, il sentimento di coloro, che negano la possibilità del moto eterno: e posta la quistione sotto altro aspetto, cioè considerate le ragioni dedotte dalla geometria comprovanti l'impossibilità dell'infinito assoluto nelle quantità ed in qualunque serie, è da credersi l'uso di sì fatti argomenti non solo non contrario, ma conforme allo spirito di s. Tommaso, il quale, più che altri mai, seppe rivolgere in favore della religione i lumi tutti che potea somministrare la ragion naturale » (*Saggio d'istruz. theol. de Deo uno*, tom. x, opp. edit. Rom.).

ratiocinando affingitur summi cujusdam numinis enti reali, sed abusive et perperam; 2. neque enim demonstratio haberi potest nisi in solis rebus mathematicis, et in iis, quae sensibus obvia sunt (1); accedit, 3. quod ipse sui index est Deus, sive per seipsum, sive per conscientiam quamdam, a se aut a spiritu ipsius originarie in animo productam qua homini cognoscendum se exhibet. Quare argumentis aliis opus non est (2); ergo.

40. Resp. ad 1. *D.* Est idea subjectiva cui respondet objectum reale, *C.* absque ejusmodi objecto *N.* Idea Dei seu notio supremi alicujus numinis hoc sensu subjectiva dici potest, quatenus in hominis mente recipitur, non vero quatenus eidem notioni non respondeat objectum reale; rigorosa enim ratiocinatione homo ex effectu assurgit ad causam a se existentem, distinctam ab hoc universo, quam Deum dicimus; alioquin effectus poni deberent absque causa, quod omnino repugnat (3).

41. Ad 2. *D.* Id est, non potest haberi ejusmodi evidentia, qualis inest demonstrationibus mathematicis et physicis, *C.* qualis competit metaphysicis *N.* Cum diversa sint axiomata, quibus innituntur demonstrationes mathematicae, physicae, metaphysicae atque morales, diversae etiam sunt demonstrationes iisdem superstructae, diversae, inquam, specie tenus; cum ceteroquin in ea-

(1) Cf. Cudworth, loc. cit. § 62, 27.

(2) Ita Frid. Jacobius, in op. *Von den göttlichen Dingen*, etc. seu, *De rebus divinis earumque revelatione*, Lipsiae 1811, pag. 33, 152, 175; qui persuasionem de Deo minime probatione niti affirmat, sed merum esse sensum (Gefühl, sentimento) et instinctum quemdam. Sic pariter Daub, *Theologumena*, III et seqq.; « Clodius, Allgemeine Religionslehre, *etc. seu*, Doctrina universalis de religione, *Lipsiae* 1818; Marheinecke, Die Grundlehren, *etc. seu*, Doctrinae fundamentales christianae dogmaticae, » Berl. 1819, §§ 23 et seq., § 121 apud Wegsch. Verum auctores isti non advertunt, sensum religiosum praesupponere ideas religiosas, ex quibus postea sensus ille profluit; quia, nisi illae praecederent, nunquam oriri ejusmodi sensus posset, per quem homo in communicatione ponitur cum Deo. Haec philosophia, quae omnia collocat in sensu, seu, si placet, in sensu religioso, *sensistica* nuncupatur.

(3) Cons. Zallinger S. J. in opere, quod inscribitur *Disquisitionum Philosophiae Kantianae libri duo*, Augustae Vindel. 1799, praesertim lib. 1, capp. 16 et 17.

*

dem certitudinis atque evidentiae firmitate consistant omnes, utpote quae in aeque certis aeque ineluctabilibus principiis fundantur; quod philosophi etiam fassi sunt Wolfius, Lockius, Leibnitzius aliique (1).

42. Ad 3. *D.* Mediate, *C.* immediate *N.* Omnem enim cognitionem, quam de Deo in hac vita habemus, per creaturas nobis comparamus, quae quidem cognitio *abstractiva* dicitur ut discernatur ab *intuitiva*, quam in altera vita speramus. Ad summum addi potest, quod verissimum est, nos in nobismetipsis experiri invincibilem quamdam propensionem genericam in Deum et quandam supremi hujus numinis insitam indigentiam, quam ab ipso ortû nobiscum ferimus, perinde ac principia legis naturalis, quae recte dixeris scripta in cordibus nostris, non autem ad exclusionem illius demonstrationis, quam ex creaturis conficimus; alioquin athei convinci non possent, affirmantes se ejusmodi pondus, ut ita dicam, ac propensionem seu instinctum, ut quidam vocant, in Deum minime persentire, vel comminiscentes ab eo se permoveri tantum ad sibi comparandam in hac vita felicitatem (2).

43. Inst. Ens reale, sive objectum reale, ideae subjectivae de Deo respondere non potest, 1. quum ejusmodi ens debeat ex hypothesi esse infinitum, quae notio negativa est. 2. Hinc homo ideis *anthropomorphisticis* sibi efformat et cudit ideam illam vagam et generalem Dei, quae proprie non est nisi quoddam ens rationis ac imaginarium. Id magis patet exinde, 3. quod idea ista

(1) Cons. Wolf. *Phil. pract.*, qui sibi assentientes nominat Lockium et Leibnitzium.

(2) Hic notari debet nexus ac relatio criticismi germanici cum sensu religioso sansimonianorum, de quibus postea, et Benjamini Constant. Omnia enim recentiora ejusmodi irreligiosa et atheistica systemata ex eodem germine evolvuntur. Philosophia coepit *subjectiva* esse cum *sensistis*, deinde *subjectiva* facta est cum *idealistis* anglis, quae perfectionem demum suam nacta est in Germania. In Galliis deductae fuerunt consecutiones practicae, et *formam* (ut vocant) adepta est saeculo hoc nostro *sensus impietatis*. Cons. cl. Rosmini, *Frammenti di una storia della empietà*, Milano 1834, p. 117, n. 1.

sic efformata non sit nisi congeries contradictionum, ut Deus nempe sit suimet ipsius principium et finis, utroque carens, neutrius egens, utriusque parens et auctor; quod sit ubique sine loco, immobilis absque statu, perenis sine motu, bonus sine qualitate, sine quantitate magnus, totus sine partibus, liber et immutabilis infinite justus et misericors, etc. ergo.

44. Resp. *N. A.* Ad 1. *N.* Notio enim infiniti positiva est, atque juxta aliquot philosophos anterior notioni *finiti*, quae vere negativa est, quatenus dicit negationem ulterioris extensionis et privationem infiniti, ut observat cl. Fenelon (1); qui praeterea censet non posse nos pervenire ad ideam finiti nisi per conceptum infiniti, perinde ac non possumus concipere aegritudinem, quin prius concipiamus valetudinem, cujus illa privatio est. Quare absurdum est negare realitatem infiniti admittendo existentiam finiti, prout absurdum est negare existentiam perfecti, dum admittitur existentia imperfecti. Quid est enim perfectum? Illud cui nihil deest. Quid est imperfectum? Illud cui aliquid deest, quod scilicet magis nihili naturam participat. igitur Si admittitur ut reale illud, cui aliquid deest, cur reale non erit illud, cui nihil deest? Ita ferme ratiocinatur Bossuet (2). Quod si cum aliis, praesertim recentioribus, magis placet affirmare

(1) *Existence de Dieu*, 1 part., ch. 4, § 2: « On ne connait le fini, *inquit*, qu'en lui attribuant une borne, qui est une pure négation d'une plus grande étendue. Ce n'est donc que la privation de l'infini. Or, on ne pourrait jamais se représenter la privation de l'infini, si l'on ne concevait l'infini même, comme on ne pourrait concevoir la maladie, si l'on ne concevait la santé, dont elle n'est que la privation.

(2) 1. *Elévation sur les Mystères.* Cfr. etiam dissertatio citata Card. Gerdili, et Maclaurin, *Traité des fluxions*, Introduct. p. 41, etc. Fuse etiam de hoc argumento agit Cudworth, op. cit. cap. v, § 22 et seqq. cum notis Moshemii, praesertim nota 1 ad hanc §; ubi observat distinguendam esse in vocabulis *finiti* et *infiniti* duplicem notionem et potestatem, grammaticalem nempe et philosophicam; posteriorem hanc idem esse apud philosophos ac naturam perfectissimam et absolutissimam: *finitam* vero dici, quae a summa perfectione distant. « Quo sensu, *ita concludit*, si accipiantur haec nomina, infinitum haud dubie sensum habet positivum, finiti vero notio negativa est ».

ideam infiniti ex entibus finitis originem trahere, semper tamen idea infiniti in suo conceptu erit positiva, ut ex dictis colligitur (1).

45. Ad 2. *N.* Sed potius a perfectionibus, quas homo in se ac in creaturis ceteris experitur atque cognoscit, assurgit ad Deum velut omnium causam a se existentem; qui cum plenitudinem *essendi* in se necessario contineat, a se ipso pariter abigit omnes imperfectiones, quas tum in se tum in creaturis ceteris homo deprehendit tanquam *limitationes*, quae cum ente necessario ac infinito consistere nullo modo possunt. Ceterum cum homo Deo tribuit eas perfectiones, quas in se velut ente intelligente inesse cognoscit, eas ipsi tribuit *eminentiori* modo, utpote ad causam referens perfectiones, quae deprehenduntur in effectu; quod cum recta ratione ac sanae philosophiae principiis omnino congruit (2).

(1) Cons. Baldinotti, Ord. Olivet. *Tentam. metaphysic.* Patavii 1817, cap VIII, de infinito, n. 611.; ubi haec statuit: « Notio infiniti non negans est; est ex finito, non quatenus sit amplificatio ejusdem, seb quia argumentando multiplici illatione eam deducimus ex finito; ipsa denique est notio rei, non meri nominis, non mere idealis, scilicet objectum extra mentem existens eidem respondet ». Idem auctor propterea ibidem recte distinguit inter cognitionem alicujus rei ejusque comprehensionem; plura enim cognoscimus, quae non comprehendimus, ut ex ipso argumento, in quo versamur, patet. Cfr. ibid. n. 607 et seqq.

(2) Anthropomorphismum inesse corruptis hominibus fere dixerim naturalem, et originem dedisse populis revelatione destitutis prolabendi in absurda commenta circa divinitatem vix negari posse videtur. Exinde enim factum est, ut homines Deo tribuerint proprietates, propensiones et cogitationes humanas, ipsasque humanas cupiditates. Ea origo est tot monstrosarum divinitatum, quas polytheistae invexerunt, dum pluribus diis tribuerunt operationes, quae divisae sunt inter plura humana individua, perinde ac si unus omnibus par sive sufficiens minime fuisset iis praestandis. Hinc deus venationis, deus belli, etc. Sic respondebant sylvestres americani primis missionariis europaeis, qui illuc appulerant; ita se gesserunt romani, graeci, etrusci, etc. unicuique propriam provinciam demandantes. Adeo vero in divinitatibus sibi confingendis progressi sunt polytheistae, ut ipsam deam scoparum Deverram coluerint, ac deum Sterculum seu Stercutium, de quo Lactantius, *Inst. Div.* lib. I, c. 20, circa finem; s. Augustinus, *De civ. Dei*, lib. XVIII, cap. 15; Prudentius, in *Peristeph.* vers. 449; Plinius, *Hist. nat.* lib. XVII, n. 9, edit. Hard. Hac tendentia abusi sunt, qui indidem collegerunt ipsam divinitatis ideam repetendam esse, confundentes nimirum ea, quae a recta ratiocinatione procedunt, cum iis, quae nonnisi a depravata natura ac propensione proveniunt. Vid. s. Greg.

46. Ad 3. *D.* Apparentium, *C.* realium *N.* Cum enim homo limitibus circumscriptus nequeat supremum ac infinitum illud ens mente comprehendere, debet ad proprios conceptus enunciandos illis verborum formulis uti, quae videntur contradictoriae, at reapse non sunt. Ac nemo quidem inter homines est, qui in suis de Deo conceptionibus apprehendat reales contradictiones, imo nemo est qui nesciat has in idea Dei locum habere non posse, etsi modum quandoque ignoret, quo diversae divinae proprietates inter se componantur. Ex hoc ad summum deducitur deistas, qui in Deum se credere profitentur, urgeri ab atheis iisdem difficultatibus posse, quibus permotos ipsi se profitentur ad abjiciendam religionem revelatam, eo quod ista mysteria contineat excedentia mentis humanae captum, quae juxta ipsos est sola credendorum ratio (1).

DIFFICULTATES

Adversus argumentum physico-theologicum

47. I. Obj. 1. Ex fortuita atomorum combinatione mundi hujus aedificium atque structura oriri potuit. Nam 2.

Naz. *Orat.* 35. Sed longe magis mirandum est, nostros recentiores neotericos philosophos, Germaniae praesertim ad scholam kantianam pertinentes ejusque propagines, prolapsos esse in alium quodammodo longe pejorem anthropomorphismum, dum non alium Deum admittunt nisi subjectivum, quem nonnisi ipsum hominem seu societatem esse demum collegerunt sansimoniani.

(1) Hoc fassus est ipse J. J. Rousseau, qui, etsi rejiciat mysteria religionis revelatae, eo quod mente comprehendi non possunt, parum tamen sibi cohaerens, loquens de Deo, sic concludit: « Enfin plus je m'offorce de contempler son essence infinie, moins je la connais; mais elle est, cela me suffit; moins je le conçois, plus je l'adore. Je m'humilie, et lui dis: Être des êtres, je suis, parce que tu es; c'est m'élever à ma source que de te méditer sans cesse. Le plus digne usage de ma raison est de s'anéantir devant toi; c'est mon ravissement d'esprit, c'est le charme de ma faiblesse de me sentir accablé de ta grandeur » (Emile, liv. IV, tom. 3). Ceterum jam ab aliis adnotatum est omnes difficultates, quas promovent deistae adversus religionem revelatam, aeque intorqueri posse ab atheis adversus eos. Cons. cl. Bonelli, *Esame del Deismo*, Roma 1831, cap. 4. pag. 3.

inter possibiles combinationes quae a tota aeternitate factae sunt vel fieri poterant, haec continebatur; sic ex jactatis innumeris alphabeti litteris tum Ilias Homeri, tum Virgilii Aeneis effici potuerunt. Id multo magis credibile fit, 3. si cogitemus molecculis materiae propriam inesse affinitatem, ut jam causa queat assignari, cur inter se coaluerint eo ordine ac dispositione, quam modo conspicimus; ergo.

48. Resp. ad 1. *N.* tum suppositum, tum assumptum propositi argumenti vere atheistis digni. Negavi suppositum de atomis a se existentibus, cum hoc repugnet, ut patet ex dictis de motu ipsis insito, et tamen necessario ad ejusmodi combinationes efficiendas; est enim materiae proprietas inertia, quare moveri non potest nisi motu extrinsecus ei obveniente et communicato. Negavi praeterea assumptum argumenti, quia cum omnia, quae in mundo sunt, ad certum finem ordinata sint, non potuit his finis praestitui nisi ab intelligente ordinatore (1).

49. Ad 2. *D.* Ab ente intelligente directas ac moderatas, *C.* hoc secluso *N.* ob rationes allatas. Addatur, hominem mente atque intelligentia praeditum fortuitae combinationis effectum esse non posse. Hinc etiam re-

(1) Cons. Gerdil. diss. cit., ubi data opera ostendit impossibilem et absurdam esse hypothesim Epicuri eorumque omnium, qui eum secuti sunt, non solum quia in ea plura gratuito supponuntur, quae nulla ratione admitti possunt, cujusmodi esset multitudo infinita atomorum, earum necessaria existentia, motus ipsis insitus et essentialis, gravitas absque centro, aliaque ejusmodi, quae a sana philosophia abhorrent; sed etiam ex eo quod se ipsum destruat systema Epicuri. Si enim ponatur numerus atomorum infinitus, atomi commensurarentur spatio infinito, ideoque nec moveri possent, quod si ponatur finitus, nunquam inter se convenire ac cohaerere atomi potuissent in spatio infinito, ut fatetur ipse Lucretius, qui ita canit:

Sic tibi si finita semel primordia quaedam
Constitues, aevum debebunt sparsa per omne
Disjectare aestus diversi materiai.
. . . . . .
Esse igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam est.

Absurdum Epicuri systema non minus eleganter quam energice everterat ipse Tullius, *De nat. Deorum*, lib. 1.

sponsio habetur ad confirmationem desumptam ex possibilitate Iliadis Homeri aut Virgilii Aeneidos per fortuitam projectionem litterarum. Haec enim adeo absona sunt atque a communi hominum sensu abhorrentia, ut absque temporis jactura refelli non possint. Ad nos recreandos ab ejusmodi atheistarum nugis, praestiterit Tullii verba in medium afferre. *Hic ego non mirer*, inquit, *esse quemquam, qui sibi persuadeat, corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimet fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel quales libet aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici; quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum asseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam* ποιότητα *Graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere atque casu, mundum esse perfectum?... Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam admirabilem coeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur* (1).

50. Ad 3. *D.* Ab extrinseco seu a Deo communicata, *C.* a se *N.* Ex nulla enim intrinseca necessitate ejusmodi materiae moleculae hac proprietate affinitatis pollent, eo ipso quod necessitate propria atque intrinseca minime existant.

(1) *De Nat. Deor.* lib. II, cap. 37, ed. Taur. Integer fere hic liber esset exscribendus, si omnia pulcherrime dicta atque ad rem nostram idonea referre quis vellet.

51. II. Obj. 1. Argumentum deductum ex mundi structura et ordine non evincit existentiam Dei seu conditoris, sed tantum ordinatoris alicujus atque aedificatoris, nec moralem Dei naturam sufficienter exponit. 2. Tum praesertim eo nomine nutat, quod idea mundi visibilis ipsiusque finalitatis nonnisi subjectiva sit, id est, in mente nostra residens, et quod incertum semper maneat an res, sive objecta, ideis respondeant. Ita Kantius (1).

(1) Kantius ponit ut fundamentum suae philosophiae *experientiam*. Experientia vero juxta ipsum respectu facultatum nostrarum binos fontes habet et duplici elementorum specie coalescit; oritur nempe a *sensibilitate* et ab *intellectu*, id est, a *passibilitate* et *activitate*, seu principio *passivo* et principio *activo*. Ipsa rursum componitur ex duplici elementorum specie, quorum alia sunt *subjectiva*, alia *objectiva*. Elementa subjectiva nullum habent valorem objectivum, nisi ut formae objectivorum, ac propterea in collatione seu *combinatione* cum istis; extra ejusmodi collationem nullam habent realitatem. Hinc kantianismus definiri potest *idealismus transcendentalis ac realismus mepyricus*, quoniam ipse nullam admittit realitatem a *priori*, sed in experientia tantum. Elementa subjectiva, quae inveniuntur in nostris conceptionibus empyricis, duplicis specici sunt; alia sunt in objectis quatenus sentiuntur, alia quatenus cogitantur. Activitas intellectus consistit in *synthesi* et in *analysi*. Ex applicatione horum principiorum Kantius omnes demonstrationes hucusque datas existentiae Dei rejicit; tum *ontologicam*, quia non existit nisi in conceptu nostro; tum *cosmologicam*, quia series contingentium est series phaenomenorum (et cum ex contingentia phaenomenorum deducitur *contingentia* totius universi in se spectati, juxta ipsum sophisma conficitur; causalitas enim juxta criticismum pertinet ad phaenomena, non autem ad res in se ipsis spectatas); tum denique *physico-theologicam*, quae ab ordine hujus universi progreditur ad evincendam existentiam auctoris sapientissimi; quia hoc argumentum pariter supponit valorem realem principii causalitatis. His omnibus probationibus Kantius in sua *Critica rationis practicae* sufficit alias deductas ab idea Dei legislatoris et felicitatis humanae. Kantius igitur, sublatis receptis communi calculo Dei existentiae demonstrationibus, hanc solam suam substituit: Ratio practica necessariam ostendit societatem seu nexum felicitatis cum virtute; ad felicitatem tendimus quatenus entia moralia. Pro hac societate necessaria immortalitas, remuneratio aut poena futura, Dei cum suis attributis existentia. Porro, prosequitur Kantius, cum debeat admitti id quod est necessarii finis necessarium *medium*, illa habenda erunt ut vera, non vi *cognitionis*, sed *fide practica*. Est enim ratio practica *principium credendi*, non *cognoscendi*. Credere, ut ipse explicat, est aliquid admittere ut verum ex ratione sufficiente subjecti, non autem objecti; cognoscitur autem quod ratione subjecti et objecti certum est. Quare veritates illae sunt *postulata rationis practicae* quae ad scientias non pertinent; vi veritatis, vi objectiva carent, nec sunt demonstrabiles, necessario tamen sunt cum rationis legibus connexae. Cfr. *Kritik der reinen Vernunft*, pag. 620. Ergo ex Kantio existentia Dei, immortalitas animorum, etc, pendent a mero *postulato*! Ergo ipsius demonstratio pure subjectiva est. Quid si diceretur ho-

52. Resp. ad 1. *D.* Et hoc ad propositum nostrum, evincendi nempe adversus atheos existentiam Dei, nobis sufficit, *C.* non sufficit *N.* Etenim athei non solum conditorem negant, sed etiam ordinatorem intelligentia ac libertate praeditum existere inficiantur; ideoque tot hypotheses excogitarunt ad reddendam rationem hujus universi tam affabre elaborati. Si igitur ostenderimus, prout ostensum est, hujus mundi dispositionem, pulchritudinem et ordinem necessario exigere quempiam ordinatorem a mundo ipso distinctum, causam jam vicimus. Et haec quidem ex quadam, ut ita dicam, liberalitate erga impugnatores nostros et juxta eorum principia. Etenim falsum absolute est hunc mundum adspectabilem sive structuram universi non evincere nisi existentiam ordinatoris, non autem conditoris; tum quia in mundo homines sunt, quorum actus liberi non poterant praesciri, nisi ab intelligentia infinita, et tamen praesciri debuerunt; tum quia creatio atomorum omnino necessaria est, cum non potuerint esse a se ipsis. Ceterum huic praemisimus argumentum ex necessitate entis ac primae causae deductum. Si haec simul uniantur, demonstratio absoluta evadit. Ad id vero, quod addit Kantius, argumentum istud cosmologicum non sufficienter exponere moralem Dei naturam, reponimus falsum id esse, spectata generalitate propositionis; etenim inter cetera, quae complectitur haec universitas rerum, homo ipse reperitur, in quo moralis Dei natura mirabiliter elucet.

53. Ad 2. *N.* Dato enim, quod idea mundi visibilis non sit nisi subjectiva (quod pariter ex dictis falsum est), attamen existit saltem in mente nostra ac proinde realis est. Jam vero si realis est idea ista, ex principio

mo ad solam felicitatem temporalem et sensilem factus? Rueret ipsius demonstratio! Quomodo criticismus degeneret in rationalismum, idealismum, etc. ostendit Baldinotti, op. cit. in appendice ad suam Metaphysicam generalem.

causalitatis, cujus vim a philosophis jam demonstratam supponimus, ab aliqua causa provenire debet. Et quoniam mens nostra in hujusmodi idea, teste intimo sensu, *passive* omnino se habet, causa illa ab ipsa mente distincta sit oportet; ac proinde aut erit Deus, aut certe ex causarum nexu ad primam necessariam causam, nempe Deum omnino nos ducet. Quod si Kantianus ideam illam a mente ipsa profluere, ejusque quasi formam ac legem esse contendet, profecto mentem ipsam, ejusdem ratiocinationis ope, ab aliqua causa provenire debere probabitur, et cum contingens ac finita sit, tandem ad primam causam necessariam, atque infinitam inde nobis erit assurgendum; itaque etsi non constaret, seu nullum daretur medium, quo demonstrari posset huic ideae respondere res atque objecta externa, non minus firma subsisteret existentiae Dei demonstratio (in hypothesi etiam adversarii). Dei porro existentia constituta, progredimur ad ejus proprietates rimandas, inter quas deprehendimus ipsius bonitatem ac veracitatem, ex quibus rursum concludimus reipsa existere objecta externa; quia repugnat summae Dei veracitati ac bonitati nobis ingerere invincibilem illam, quam experimur, inclinationem ad admittendam realitatem objectorum, quae in sensus nostros agant, si haec objecta revera non existunt; deciperemur enim perpetuo, in errorem necessarium incideremus, nec unquam de deceptione et errore moneremur. Hinc etiam inferas, nos ex principio quod Kantiani nisi desipere velint, necessario admittere debent directe Dei existentiam evincere, indirecte autem realem conformitatem inter ideas subjectivas et objectivas (1).

(1) Everso autem systemate fundamentali philosophiae kantianae, necessario ruunt quae ipse deduxit; jam vero hoc praestitum a pluribus est, qui apertas contradictiones in philosophia kantiana ostenderunt. Consuli inter ceteros potest Galuppi, *Elementi di filosofia*, tom. III, *Dell'ideologia*, Messina 1827., lett. XI et XII, praesertim vero in suo *Saggio filosofico sulla critica della conoscenza*, vol. V. Nos enim haec philosophis re-

54. III. Obj. 1. Praecipua vis argumenti ad ostendendam saltem existentiam supremi cujusdam ordinatoris sapientissimi innititur systemati *causarum finalium*; ast causae finales nullae dantur: ignorantia enim connexionis eventuum particularium cum systemate totius universi eas peperit; quae proinde in dies magis evanescunt, quo scientia physica in dies proficit magis. Sana philosophia non videt in istis causis finalibus nisi expressionem ignorantiae, in qua versamur causarum verarum, quae nempe inhaerent rebus ipsis (1). 2. Sane deductio existentiae Dei ex causis finalibus supponit ens supremum agere jùxta praestitutos fines, prout agere nos consuevimus in actionibus nostris liberis ac deliberatis, quod est statuere Deum homini similem, seu anthropomorphismum; ergo (2).

55. Resp. ad 1. *Conc. maj. neg. min.* Adductam vero probationem ex ignorantia nostra verarum causarum,

linquimus. Cl. autem Rosmini (*Opuscoli filosofici*, Milano 1827, vol. 1, p. 108—109) ostendit Kantium ipsum admisse suae demonstrationi, seu potius *postulato* ex ratione practica de existentia Dei, omnem vim, eo ipso quod non admiserit hominis naturam fuisse sapienter constitutam, et convenientiam, quam inter felicitatem et virtutem deprehendimus, non esse nisi apparentem, et hinc nihil posse juxta rationem theoreticam, in hujus auctoris systemate, jure concludi. Etenim, ut posset affirmari quidquid nobis videtur, seu se se offert ut conveniens, debere aliquando evenire, necesse esset, juxta Kantium, transcendere fines omnes et limites humani intellectus. Inductiones igitur rationis practicae ac sua postulata talem nexum habent cum ratione theoretica, ut ab ipsa declarentur gratuita. « Ricogliamo almeno di buono, *juvat concludere verbis cl. auctoris*, da così desolante filosofia questa preziosa confessione, che l'esistenza di Dio è pur ciò, che riempie il vuoto della umana natura, ciò, che questa natura sente a se medesima necessario, ciò, a cui incessantemente e irrepugnabilmente sospira: confessione che fa il maggiore encomio alle filosofie, le quali insegnano essere questa esistenza dimostrabile, e che fa la maggior condanna del criticismo. Potrà l'uomo abbracciare un sistema che dichiara impossibile dimostrare ciò, che alla sua natura è assolutamente necessario di ammettere?... Adunque la prova morale, onde Kant vuole dimostrare la divina esistenza o non prova nulla, o se prova, prova insieme colla divina esistenza anche la falsità, e l'impossibilità del kantiano sistema.

(1) Ita La Place, *Essai philosophique sur les probabilites*, Paris 1816, 3. edit. pag. 2.

(2) Hume, *Inquiry concern. human Understanding*, sec. XI, pag. 150, 160.

D. Sana philosophia excludit principium perperam dictum causarum finalium, ex quo nonnulli philosophi sibi arrogarunt explicationem tot naturae phaenomenorum, *C.* excludit veras causas finales *N.* Respui debet a sana philosophia illorum agendi ratio, qui per errorem excogitarunt causas finales ad explicanda nonnulla phaenomena, quorum veram causam ignorabant, ex. gr. cum per horrorem à vacuo exponebant ascensum aquae per antlias aspirantes; et sic de ceteris ejusmodi dicatur, quae utique evanuerunt, quo majores progressus physica assecuta est; de his porro hic non loquimur. Sed si sermo instituitur de causis, quae producunt aliquos effectus ob determinatos fines, quasque propterea *finales* vocamus, tantum abest ut sana philosophia eas excludat, ut negare illas nemo possit, quin neget aliquas causas producere realiter eos effectus, quos producunt. Non solum proinde nulla habetur contradictio inter causas physicas et causas finales, sed potius causae physicae finalibus inserviunt. Quaenam sane contradictio invenitur inter hanc expressionem: cor est potentia principalis, quae impellit sanguinem in vasa; et aliam: cor est potentia principalis, quae impellit sanguinem in vasa, *ut* per totam machinam animalem diffundatur? Propterea qui rejicit causas finales, statuere debet nec oculum ad videndum, nec aures ad audiendum, nec solem ad illuminandum, nec ignem ad calefaciendum, etc. facta esse, quae quidem assertiones omnes sensui naturae communi evidenter adversantur. Ut hoc magis patefiat, ponatur exemplum oculi. Nimirum oculus ita constructus est, ut ab ipso producantur illae modificationes lucis, ex quibus visio consurgit; ergo, cum ejusmodi modificationes velut causam propriam agnoscant dictam structuram oculi, quarum quidem consecutio seu finis est visio, sequitur talem structuram seu oculum ita constructum causam realem esse cujusdam

effectus ducentis ad quemdam finem, ac propterea causam finalem.

56. Dices : Fieri posset ut talis structura sic effecta fuerit, non ut inserviret lucis modificationi, sed ex accidentali rerum eventu seu casu.

57. Resp. *N*. Quia ea, quae casu fiunt, non sunt constantia et uniformia, prout cernimus tum in oculo tum in ceteris corporis nostri organis esse. Secus qui horologium spectaret horas indicans, dicere posset sphaerulam, quae constanter et uniformiter movetur ad horas indicandas, id casu praestare, quod esset omnino absonum (1).

58. Ad 2. *D*. Id est, esset ex liberis ac deliberatis hominis actionibus, quae ad certum finem ponuntur, analogice assurgere ad Deum, *C*. esset Deum similem prorsus homini efficere *N*. Nempe cum tot mirabiles effectus homo cernat in hac rerum universitate, qui praestitutos fines habent, atque intelligat ejusmodi fines non posse adscribi rebus ipsis materialibus, sed dispositioni alicui ipsis extrinsecae, infert mentem aliquam, infinita sapientia praeditam, quae res ipsas ita disposuerit, seu fines illos peculiares ipsis praestituerit, et quidem libere, quum nihil repugnet diversum ordinem Deum potuisse statuere. Physici jam fatentur per se nullam esse intrinsecam rationem, cur corpora potius tellurem versus descendant, quam ascendant (2).

(1) Cons. Ruffini, *Riflessioni critiche sopra il saggio filosofico intorno alle probabilità*, etc. Modena 1821, part. II, pag. 35 et 54.

De causis finalibus etiam fuse agit Bergier, *Traité hist. et dogmat. de la vraie relig.* tom. II, ch. 4. art. 9, § 1 seq.

(2) Cons. inter ceteros D. Hauy, *Traite elémentaire de physique*, 3. edit. Paris 1821, tom. I, Introduction, p. 4, ubi citat Newtonis opus *Opticae lucis*, tib. III, quaest. 28. Cons. etiam § 4, *De la divisibilité*, n. 28 e art. II, *De l'attraction*, n. 29. Hoc ipsum clariori in lumine ponit J. B. Pianciani S. J. *Instituz. fisico chimiche*, *Roma* 1833, vol. I, Introduzione, pag. 16 et seq. Sed legendus Newton ipse in op. *Philosophiae naturalis principia mathematica*, edit. 2. pag. 284. et seqq., vol. in 4, Cantabrigiae 1713, ubi plura magnifice scribit de Dei con-

59. Inst. Ex effectu tota causae essentia cognosci non potest. Nam ex effectu non possumus nec plures nec alias proprietates vel qualitates causae tribuere, quam eas, quas in effectu deprehendimus. Quare essentiam divinitatis ex finita rerum natura cognoscere non possumus (1).

60. Resp. 1. Dato toto argumento, negamus aliquid inde contra nos deduci. Non enim hic agitur de essentia Dei cognoscenda, sed de existentia. Resp. 2. *D.* Ex effectu non possumus essentiam infinitam divinitatis cognoscere adaequate, *C.* inadaequate *N.* (2).

61. Inst. 1. Ex hoc argumento physico-theologico non exurgit nisi probabilis conjectura vel praesumptio existentiae Dei; deberet proinde istud argumentum ab institutionibus theologicis expungi (3). Et sane 2. si nulla certitudo haberi potest, nisi supposita Dei existentia, quae tamen non habetur 3. nisi per fidem, et quae est prima veritas, nunquam poterit ex ratione individuali confici demonstratio Dei existentiae, cum nec de ipsa rationis individualis existentia, nondum supposita existentia Dei, certus quis esse possit; ac proinde ordinem inverteret, qui sic argumentaretur: *Ego existo, ergo existit Deus*, *vel*: *Mundus existit*, *ergo existit Deus* (4).

silio, dominio, majestate, virtute, providentia, immensitate ceterisque ejusdem attributis. Attamen Leibnitzius accusat Newton, quod non satis alte de Deo senserit. Cfr. *Pensées de Leibnitz sur la religion et sur la morale*, Paris 1819. Cujus quidem censurae causam suo loco expendemus.

(1) Hume, loc. cit. p. 151.

(2) Quomodo ex ordine hujus universi pervenire possimus ad cognitionem existentiae, non solum ordinatoris sapientissimi, sed etiam conditoris, ostendit Suarez, *Metaph.* tom. II, disp. 29, sect. 2, § 9.

(3) Sic Ziegler, *Beiträge zur geschichte*, etc, nempe *Collationes ad hist. fidei exist. Dei in theol.*; et Schleiermacher, *Der christ. Glaube*, etc. seu, *Fides christiana*. etc. I, p. 170. seqq.

(4) Ita in vol. II, op. *Essai sur l'indifference en matière de religion*, edit. 4, Paris 1822. Juvat hic nonnulla in medium afferre ex iis quae auctor hujus libri sparsim scribit de hoc argumento, ut melius ipsius principia cognoscantur: « Tout ce qu'affirme comme vrai une raison qui peut se tromper peut être faux, tout ce qu'elle affirme comme faux peut être vrai. Donc rien de ce qu'affirme une raison faillible n'est certain (Préf. pag. VII). Qu'est l'autorité à laquelle tous les esprits doivent obéir? Est-ce l'autorité d'un ou de quelques hommes?

62. Resp. Ad 1. *Neg.* Cum scripturae perpetuo ad istud argumenti genus homines provocent. Sic in lib. Job (XII, 7.) legitur : *Interroga jumenta, et docebunt te ; et volatilia coeli, et indicabunt tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi ; et narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quod omnia haec manus Domini fecerit ?* Tum in lib. Sapientiae (XIII, 1 et seq.) : *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei ; et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex.* Et alibi passim ; adeo ut Apostolus philosophos *inexcusabiles* vocet, eo quod Deum, ab ipsis lumine rationis cognitum ex iis, quae facta sunt, non glorificaverint (Rom. I, 20.). Itaque non agitur tantum de probabilitate vel conjectura, sed de cer-

Non ; mais la raison générale manifestée par le témoignage ou par la parole, *Ibid. pag.* CXII (ast nonne *sui* vel *aliquot hominibus* Christus dixit : *Euntes docete* ? Numquid omnes non tenebantur ipsis obedire ?). Suis-je certain que je sens ? Quelle autre preuve en ai-je que ma sensation même, ou plutôt je ne sais quelle croyance souvent trompeuse, etc. (p. 7. et 8). Toute certitude repose sur la connaissance de Dieu (pag. 41 note). Oublions un instant que Dieu est, comment pourrez vous être certain d'une existence impossible, si Dieu n'est pas (n. p. 45). Il suffit que la raison individuelle puisse se tromper sur un seul principe, sur une seule conséquence, sur un seul point quelconque, pour que tout ce qui lui paraît évident devienne douteux (p. 106). Chercher la certitude de notre existence, c'est en chercher la raison qui n'est pas en nous, *ibid.* (Hic auctor ut in pluribus aliis locis confundit causam existentiae cum certitudine hypothetica existentiae. Haud dubie sensus intimus nobis praebet certitudinem completam existentiae nostrae). Aucun être créé, s'il ne commençait pas à dire : Je crois, ne pourrait jamais dire : Je suis, *p.* 223 (*Ego credo* perinde valet ac *ego sum credens*, ergo affirmatio : *Ego sum*, praecedit illam : *Ego credo*) Dieu pourrait-il tromper l'homme, ou lui révéler l'erreur ? Il y a contradiction dans les termes, car on ne révèle que ce qui est, et l'erreur n'est pas », p. 128 n. (Auctor potuisset discere ex s. Thoma distinctionem inter errorem in rebus et errorem qui est in mente. Error in rebus *non est* seu non existit, ut fertur, a parte rei ; ast error saepe existit in mente; etenim judicium falsum est operatio mentis, ac proinde in ipsa est). Et haec speciminis gratia attulisse sufficiat. Ex his tamen quilibet sibi potest ideam efformare vani et erronei illius philosophici systematis ac novae ejusmodi philosophandi methodi, quam merito Gregorius XVI, in sua encyclica data sub die 26 Junii 1834, reprobavit. Ejus verba inferius referemus. Cons. Rozaven S. J. in op. *Examen d'un ouvrage intitulé, Des doctrines philosophiques*, etc. Avignon 1831, ch. 4.

titudine, qua homo ex his, quae facta sunt, Dei cognitionem habere potest; alioquin nec *vani* neque *inexcusabiles* dicerentur, qui eum ignorant. Quare hoc argumentum a theologia amoveri non debet, quinimo est maxime theologi proprium; ut patres ipsi facto suo ostenderunt (1).

63. Ad. 2. *Neg.* Hoc enim est commentum non minus antiquitati quam sanae philosophiae contrarium. Nam nisi logice saltem prius constaret de mei ipsius, seu, ut fertur, mei *ego* existentia, nulla omnino esset via, nullum suppeteret medium sive ad cognoscendum testimonium generis humani, ex quo juxta adversarios pendet certitudo existentiae tum Dei tum meae, quod est vere paradoxum, sive ad deprehendendam existentiam revelationis. Nec enim possum cognoscere ea, quae sunt extra me, nisi per media, quae sunt in me; sed si ista media fallacia et incerta sunt, quomodo potero mihi comparare certitudinem eorum, quae extra me sita sunt? Addo scripturam contrarium omnino supponere, ut ex allatis testimoniis aliisque prope innumeris, quae afferri possent, compertum fit. Idem dicendum de patribus et theologis, praesertim s. Thoma, qui quinque affert argumenta physico-theologica ad Dei existentiam evincendam (2).

64. Ad 3. *D.* Ut auctor ordinis supernaturalis, *C.* ut auctor naturae *N.* Nam, ut supra animadvertimus, tum per fidem, tum per rationem, Dei cognitio haberi potest (3). Ad id quod subditur de Deo, quod sit prima

(1) Cfr. Petavius, *De Deo*, lib. 1, cap. 1 et seqq.

(2) 1 p. q. 2. ar. 3.

(3) S. Thomas, *Contra gentes*, lib. 1, cap. 3: « Est autem, *inquit*, in his, quae de Deo confitemur, duplex veritatis modus. Quaedam namque vera sunt de Deo, quae omnem facultatem humanae rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum. Quaedam vero sunt, ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse, Deum esse unum, et alia hujusmodi, quae etiam philosophi demonstrative de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis ». Ex his pariter refellitur Bautain, qui negat fieri posse, ut homo sola ratione possit sibi comparare Dei ejusque attributorum cognitionem.

veritas, *D.* Est prima veritas metaphysica, *C.* logica *N.* Hinc neg. conseq. quae praeterea innititur falso principio, quod scilicet individualis ratio semper et in omnibus casibus fallax sit, quod pariter a sana philosophia respuitur, ut logici suo loco docent; sic ex dictis ruunt cetera omnia, quae subjiciuntur.

DIFFICULTATES

Adversus argumentum morale

65. I. Obj. Incertum est factum, cui innititur argumentum morale. 1. Plures veteres populi ab antiquis scriptoribus athei perhibentur. 2. Plures recentiores viatores idem testantur de populis sylvestribus recens detectis. 3. Plures adhuc populi nobis incogniti sunt, nihil propterea de istis affirmari potest. Sed quod maximi faciendum est, 4. plures sive antiqui sive recentiores philosophi atheismum professi sunt; 5. porro philosophorum auctoritas praeferenda est opinioni populorum, rudium praesertim ac barbarorum (1); ergo.

66. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* Athei perhibentur, at immerito, *C.* vere ac merito *N.* Nemo enim ex antiquis illis scriptoribus, qui diversos populos velut atheos traducunt, eos invisit, sed falsis rumoribus decipi potuerunt, ex eo quod vel idola non colerent, vel numina diversa ab iis, quae illi colebant, adorarent. Hac de causa judaeos, christianos, gallos atheos proclamarunt. Praeterea in eam ire sententiam potuerunt ex projectis moribus illorum populorum, ut saepe etiam contigit.

Cons. *Avertissement*, pag. 5, quae assertio periculi plena est et contraria patribus, theologis, imo vel ipsi Scripturae, ut ex dictis constat. Recolantur tamen quae paulo ante de Bautainio scripsimus.

(1) Bayle, *Contin. des Pensées div.* a § 7 ad 31, item *Rép. aux quest. d'un prov.* a cap. 95. ad 113; Voltaire, *Essai sur l'Histoire générale*, tom. 1, chap. 6, pag. 91.

*

Ceterum adeo constans erat apud veteres factum istud, quod propugnamus, ut praestantissimi philosophi Plato, Aristoteles, Cicero, Plutarchus, Maximus Tyrius, Epictetus aliique eo usi fuerint ad Dei existentiam adstruendam. Epicurus ipse illud admittebat (1).

67. Ad 2. *D.* Absque ratione ac nimia animi levitate ducti, *C.* rei veritate *N.* Etenim postea compertum est eos ipsos populos, quos nulla religione detineri antea dixerunt nonnulli, et divinitatem coluisse, et suos habuisse ritus, etc. (2). Nunc extra omnis dubitationis aleam factum istud habent increduli ipsi, nec athei illud amplius inficiantur. Fatentur enim populum, quo magis rudis est ac sylvester, eo magis propensum esse ad deos sibi fingendos (3); difficile omnino esse populum invenire, qui quamdam immortalitatis speciem animabus nostris non tribuat (4). Ex quo concludunt deorum imperium inexterminabile esse.

68. Ad 3. Resp. 1. Ergo nihil ex ipsis adversus Dei existentiam concludi potest. Resp. 2. *D.* Ita tamen ut ex analogia concludere jure possimus eos a ceteris non dissentire, eo ipso quod ceteris populis similes sint, *C.* secus *N.* Cum isti homines ab eadem origine proveniant, ac eadem naturae propensione donati sint, nullum dubium subesse potest eos divinitatis ideam pariter habere, prout semper compertum est illam habuisse omnes, quotquot detecti sunt. Quod si aliqui athei reipsa reperiren-

(1) Cicero, *De natura Deorum*, lib. 1, cap. 16: « Solus enim, *inquit*, vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset ipsa natura. Quae est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habet sine doctrina anticipationem quamdam deorum? Quam appellat πρόληψιν Epicurus, etc ». Et alibi.

(2) Cons. Bergier, *op. cit.* tom. 11, chap. 4, art. 12, § 1 et seqq.; Feller, *Catéchisme philosophique*, liv, 1, chap. 1, § 7; Tournemine, *Réflexions sur l'athéisme*, ad calcem operis, quod inscribitur *Demonstration de l'existence de Dieu, par Fénélon*, édit. Lyon 1805.

(3) *Syst. de la nat.* 2 part. chap. 10 et 11.

(4) Ibid. tom. 1, ch. 13, pag. 260, 275, 279; *Lettre de Trasibule*. par. 285.

tur, velut generis humani monstra spectari deberent, neque ex iis de humani generis sensu judicium effingi posset (1).

69. Ad 4. *D.* Qui fuerint vel sint athei practici, plures enumerantur, *C.* dogmatici sive speculativi *N.* Pauci omnino isti recensentur, neque unquam sectam constituerunt (2).

70. Ad 5. *D.* Philosophorum re nempe et nomine, *C.* nomine et quidem immerito sibi assumpto *N.* Auctoritas philosophorum in iis, quae ad sensum naturae communem spectant, nec doctrinam exigunt, sunt minoris auctoritatis, quam populus ipse, si extrinsecum, ut ita dicam, nomen quoddam excipias. Quis enim philosophos dicat eos, quorum philosophia in sola impietatis professione consistit? His igitur naturae monstris merito praeferuntur rudes atque inculti populi, qui naturae ductum, communem sensum et antiquam traditionem sequuti, veritatem conservarunt, quam illi nulla convictione ducti, imo reluctante conscientia obstinate rejiciunt. Nego praeterea suppositum ex dictis.

71. II. Obj. Dato etiam facto, nihil inde deducitur, quia haec Dei notio repeti potest 1. ex timore, juxta illud Petronii dictum:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coelo
Fulmina cum caderent (3);

Vel 2. ex ignorantia legum physicarum, qua factum est, ut Deo tribuerentur phaenomena, quorum causa

(1) Certe Cotta apud Ciceronem, *De nat. deor.* lib. 1, cap. 23, nullum gentium exemplum protulit atheorum, sed contentus fuit vagum ingerere dubium, *equidem arbitror*, inquiens, *multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit.*

(2) Observat Comes De Maistre in opere, quod inscribitur *De l'Eglise gallicane*, lib. 1, chap. 9: *Pour l'honneur du genre humain l'athéisme jusqu'à nos jours peut-être, n'a jamais été une secte.* Imo plures sunt, qui absolute negant exsfitisse veros atheos positivos et ex vera persuasione. Cons. Tournemine loc. cit. et Feller pariter loc. cit.

(3) In fragmentis, pag. 676, edit. Burmann. Petronius merito dictus est *auctor purissimae impuritatis.* Ex hoc autem auctore mutuatus est Ray-

ignorabatur; 3. ex domestica institutione; 4. ex sacerdotum fraude; 5. ex legislatorum auctoritate; vel 6. ex quadam propensione homini naturali; ergo.

72. Resp. ad 1, *N.* cum videamus apud omnes populos divinitatem coli conviviis, ludis, spectaculis, diebus festis, etc. Prima sacrificia, quorum mentio fit in historia, sunt illa, quae obtulerunt Caïn et Abel, quae tamen pro objecto non habebant nisi gratiarum actionem pro acceptis beneficiis et testimonium erga Dei majestatem ac bonitatem. Addatur timorem potius causam esse, cur athei quaerant sibi persuadere Deum non esse; constat enim quo scelestiores homines sunt, eo magis illos dubitare de Dei existentia ob conceptum poenarum metum. Ex quibus merito concludimus timorem potius atheismi originem esse, quam inductae persuasionis Dei existentiae. Profecto non timeretur Deus, nisi prius ejus existentia crederetur (1). Dogma existentiae Dei op-

nal, sive auctor operis, quod inscribitur *Histoire philosophique et politique des deux Indes*, liv. VII, pag. 1, suam religionis definitionem: « La religion est l'effet du sentiment de nos maux et de la crainte des puissances invisibles.

(1) Cl. Gerdilius agnoscit fontem et originem universalis consensionis omnium hominum circa divinitatis cultum in praenotione quadam anteriori justi et injusti, quae includit praenotionem Dei supremi legislatoris. Praestat ipsius verba afferre: « Cantici pure, *ait ipse*, quanto si vuole il celebre verso: *Primus in orbe Deos fecit timor*; il timor non avrebbe giammai potuto creare gli dei nella fantasia degli uomini, se non avesse già trovata la mente loro imbevuta delle nozioni del giusto e dell'ingiusto, per le quali conoscendo essi le loro scelleraggini e condannandole internamente, e degne stimandole di vitupero e di castigo, cominciassero a provare i crudeli rimordimenti della macchiata coscienza. Nè questo timore eccitato dalla coscienza del delitto più oltre sarebbe proceduto, nè ad altro avrebbe potuto indurre gli uomini, che a cercare un compenso contro la vendetta degli altri uomini, ne mai avrebbe avuto forza di fare ideare un punitore in cielo, se creduto non avessero, che l'iniquità è rea in se stessa, non solo da fuggirsi, perchè viene dagli altri uomini castigata per lo male, che ne ricevono, e se a questa nozione morale del giusto e dell'ingiusto non andasse naturalmente unita la *prenozione almeno confusa del supremo legislatore*, il quale prima dell' areopago e prima degli editti del pretore ha segnato ed impresso con eterni caratteri e vivaci la legge, che vieta l'omicidio, e il tradimento, e rende odiosa allo scellerato stesso la propria malvagità. *Cons. in* Discorso preliminare delle disposizioni dello spirito nello studio della religione, » pag. 77 et seqq.

ponitur omnibus cupiditatibus ; hinc oritur illa , quam recte comes De Maistre vocavit *theophobian* seu Dei horrorem , qua non parum laborant philosophi materialistae.

73 Ad 2. pariter *N*. Alioquin quo populi cultiores fierent , minus in Deum crederent , attamen experientia contrarium evincit. Physici ac philosophi qui peritiores , iidem et religiosiores quoque fuerunt, ut exempla Newtoni , Euleri , Galilei aliorumque confirmant. Hinc celebre illud Baconis a Verulamio dictum : *Leves gustus in philosophia movere fortasse posse ad atheismum , sed pleniores haustus ad religionem reducere* (1).

74. Ad 3. *N*. In primis enim quaeri posset , qui factum fuerit , ut domestica institutio , quae in reliquis omnibus apud diversas nationes adeo varia est , in hoc solum fuerit adeo constans ac uniformis ? Deinde dicimus non potuisse hujusmodi institutionem induci , nisi praecessisset cognitio existentiae Dei.

75. Ad 4. *N*. Aliter deberent prius supponi sacerdotes quam Deus , ad cujus cultum sacerdotes instituti sunt , quod est absurdum. Sublata enim idea Dei nullum jam locum habere potest sacerdotium , quod ad Deum honorandum assumitur.

76. Ad 5. Eadem ratione negatur , nisi enim prius in populis viguisset persuasio existentiae Dei , nunquam potuissent legislatores eo medio uti ad populos in officio continendos cum idea Dei et religionis anterior sit qualibet societate (2). Facta insuper ac monumenta historica adversariis refragantur. Non desunt ex atheorum antesignanis , qui effutiant divinitatem maximum esse regum hostem (3) , nec potuisse propterea ab ipsis excogitari.

77. Ad 6. *D*. Ex propensione homini naturali una

opp. edit. Rom. tom. IX. Cons. etiam Cicero , lib. I , *De legibus*.

(1) *De augm. scient*. lib. I.

(2) Cons. opusculum *Origine des lois , des arts. et des sciences* , part. I , liv. I , chap. I. Cons. etiam Felker op. cit. n. 91 et seqq.

(3) Sic auctor libri cui nomen *Essai sur les préjugés* , pag. 387.

cum persuasione, *C.* ex sola propensione in sensu adversarii *N.* Nullum utique dubium est hominem in se experiri veram indigentiam religionis, ac proinde existentiae Dei; non minus enim Deus cordi nostro necessarius est, quam cibus nostrae conservationi. Attamen haec propensio non excludit imo supponit intimam persuasionem Dei existentis, quem omni hominum classi et ordini caeli ac terra atque omnia et singula objecta perpetuo praedicant; siquidem fieri nequit, ut homo identidem extra se veluti raptus naturae contemplatione secum non reputet conditam eam esse a suprema, omnipotenti ac sapientissima causa, quae se prodit in maximis et in minimis objectis eorumque mirabili relatione, motu, legibus, etc.

78. III. Obj. I. Errores non pauci universales fuerunt, uti eclipseon et meteorarum timor, opinio motus solis circa tellurem, astrologia judiciaria, polytheismus atque idololatria, aliaque non pauca; ex unanimi igitur populorum consensione frustra Dei existentia adstruitur; praesertim 2. cum nullus populus fuerit, qui rectam de Deo notionem habuerit, 3. ipsis judeis non exceptis (1), qui neque ejus spiritualitatem, neque immensitatem agnoverunt, sed nationalem existimarunt, ut ceterae gentes suos habebant. 4. Cum vero perinde sit male de Deo

(1) Rationalistae in hac sententia sunt Judaeis minime rectam Dei ideam fuisse, neque talem exhiberi in Veteris Testamenti libris. Quod ut pateat, operae pretium ducimus aliquod ex ipsorum libris testimonium promere. Sic enim scribit Wegscheider, op. cit. § 9, n. a: « Omnino modus, *inquit*, quo idea numinis a diversis populis effecta est, magnopere pependit a reipublicae forma, quae apud alios populos alia extaret. Sic regimen patriarchale, quod apud Israëlitas primo obtinuit, facillime ad monotheismum eos perduxit, nisi hanc numinis notionem ab Aegyptiis repetere malueris. Ceterum rarissime monotheismum existere omni modo purum, vel Judaeorum docet exemplum, qui Deum tanquam sibi ἐγχώριον (localem) aliarum gentium diis longe potentiorem (quod suo loco confutabimus), et ipsorum Christianorum incultiorum, qui partim *tritheismum* et cultum hominum sanctorum prae se ferunt, partim Satanam ejusque angelos tanquam Deo hominibusque infensissimos metuant ». Soli tandem rationalistae purum in mundum monotheismum intulerunt. Sic etiam Kaefer, *Bibl. theol.* 1, 58.

sentire ac Deum ipsum destruere, ex generali polytheismo jure iterum concluditur nullum esse argumentum, quod ex humano consensu deducitur.

79. Resp. Ad. 1. *D.* Universales et constantes, *N.* universales, *subdist.* ita tamen ut eorum causa et origo cognoscatur, *C.* ita ut ignoretur *N.* In primis igitur adnoto ejusmodi errores non fuisse adeo universales, prout universalis est persuasio existentiae Dei, multo minus constantes prout constans est sententia de Dei existentia, ut patet ex facto. Praeterea novimus originem ejusmodi errorum. Sensuum illusio induxit opinionem de solis motu. Ignoratio causarum eclipseon, earum timorem injecit, ut cometarum improvisa apparitio, subitique aliarum meteorarum casus (1), astrorumque opinata animatio ortum fortasse dederunt astrologiae. Neque philosophi hac in parte sapientiores populo fuerunt (2). Polytheismus atque idololatria, ut suo loco ostendimus, nonnisi serius inducta sunt, neque ita obtinuerunt, ut vestigia ubique non occurrant ideae seu notionis cujusdam supremi numinis, quae semper conservata est ac nullibi penitus extincta (3).

80. Ad 2. *D.* Ita ut omnis vera Dei notio ab ipsis exulaverit, *N.* ut novis fuerit processu temporis superstitionibus foedata *C.* ut patet ex dictis. Addo hic agi de existentia Dei, non autem de recta vel erronea ipsius divinitatis notione.

81. Ad 3. *N.* Grandiores enim Dei ideae, sensus sublimiores divinitatis in judaeorum scriptis reperiuntur: ea nostri poëtae adeunt atque oratores, ut inde suas sententias derivent. Quod vero subdunt adversarii de angustis ideis judaeorum circa ipsius spiritualitatem, im-

(1) Ita ipse La Place in suo *Essai philosophique*, etc. pag. 4 et seqq., qui his abutitur ad suum finem.

(2) Conf. Cicero, *De natura deorum*, lib. 1, cap. 13 et seqq. edit. Taur.

(3) Cons. Feller, op. cit. n. 93.

mensitatem, etc., satis refellitur ex iis, quae leguntur Jerem. XXXII, 17, et seqq., ubi sic propheta ad Deum orat: *Ecce tu fecisti coelum et terram in fortitudine tua magna, et in brachio tuo extento; non erit tibi difficile omne verbum. Qui facis misericordiam in millibus ... fortissime, magne et potens ... magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu; cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam*, etc. Et alibi: *Numquid non coelum et terram ego impleo, dicit Dominus* (Jerem XXI, 24)? Hinc usitata apud illos jurandi formula: *Vivit dominus, in cujus conspectu sto*; ut alia innumera omittam, integra siquidem Scriptura fere esset exscribenda. Commentum porro recentiorum protestantium biblicorum est, quod dicitur de idea nationali Dei apud Judaeos recepta, ac dolendum quod aliqui ex nostris idem adoptare non erubuerint (1). Orta est haec opinio ex eo, quod Deus se exhibeat velut specialem hebraici populi patrem ac defensorem; quod verissimum est, ob peculiare foedus Deum inter ac populum illum initum. At haec confundenda inter se minime sunt, cum immane distent. Quod attinet ad ceteras gentes, non moramur.

82. Ad 4. *N.* Cum enim ex eodem principio a diversis diversae sive bonae sive malae consecutiones deducantur, patet omnes principium illud admittere, quod pro se omnia suffragia ac generalem consensum habet. Quaecumque sint ideae, quas sibi populi cuderunt circa divinitatem, certum est eos in ipsa admittenda divinitate conspirasse. Potest quis decipi in assignando vero horologii opifice, numquid propterea decipietur in aliquo opifice ejusdem statuendo? Omnes quaerunt felici-

(1) Inter ceteros Fr. Oberthür in sua *Idea biblica Ecclesiae Dei*, vol. 1, edit. alt. Solisbaci 1828, pag. 107, scribit: « Ipsi maximam partem Israëlitae, Deum, quem unum, summum maximumque profitebantur, ut unum suae gentis, et Palestinae terrae Deum, potentiorem tamen quocunque alio aliarum gentium et terrarum numine sibi cogitasse videntur.

tatem, at non omnes conveniunt circa felicitatis objectum; alii enim in honoribus, alii in divitiis, in voluptatibus, etc. illud collocant: numquid propterea negari potest hominem ad felicitatem ferri? Falsum itaque est, quod ab atheistis assumitur, perinde esse diversas divinitatis notiones admittere ac nullam admittere. Quod Deus existat, vox naturae est, ideoque constans et uniformis; multiplices vero ac depravatae de Deo sententiae non sunt nisi peculiares uniuscujusque aberrationes, circa quas propterea populi dissenserunt, quaeque non extitissent, nisi praecessisset idea divinitatis. Eadem ferme ratione ac omnes, qui christiano nomine censentur, conveniunt circa existentiam et veritatem Christianismi, sectae autem ac protestantismus sunt corruptiones peculiares christianae professionis, et circa quas mirifica semper fuit inter sectarios discrepantia (1).

CAPUT II.

DE DEI UNITATE

83. Adversantur unitati Dei polytheistae, sive plurium deorum cultores. An ejusdem erroris rei traduci debeant, qui vulgo *dualistae* audiunt, seu assertores duorum principiorum, praesertim inter eos, qui ex christianis prodierunt, res valde implexa est, de quibus infra agetur. Tritheistae pariter ejusdem perversitatis traducuntur, eo quod tres divinas personas, non solum relatione, sed natura praeterea ac substantia realiter distinctas affirmarint.

84. Polytheismus licet antiquissimus sit, ac longe lateque diffusus, est tamen monotheismo posterior, ejusdemque corruptio, prout jam observatum est; veritas in

(1) Cons. Segneri, *L'incredulo senza scusa*, part. 1, cap. 3, § 8.

his praesertim necessario est anterior errore, cum error in mente nostra non sit nisi corruptio veritatis. Documenta historica id apertissime evincunt (1). Hinc assentiri non possumus nonnullis neotericis, qui temere affirmant etiam apud hebraeos polytheismum praecessisse notioni existentiae unius Dei.

85. Etsi vero idololatria proprie sumpta confundi non debeat cum polytheismo, ad eum tamen revocari solet ob superstitionum necessitudinem. Idololatria tum latiori tum stricto sensu accipi potest. Stricto enim sensu est cultus superstitiosus imaginum, quae vel ut dii habentur, vel falsos deos repraesentant. Latiori et theologico sensu idololatria dicitur quicumque cultus, qui exhibetur tanquam Deo cuivis objecto sensibili, naturali vel manufacto.

86. Haec peculiarem et accuratam disquisitionem postulant ob exortas aetate hac nostra quaestiones. Ut autem ea, qua par est, perspicuitate progrediamur, duo in primis distinguenda sunt, *objectum* et *subjectum* idololatriae, seu spectari debet idololatria tum a parte rei, ut fertur, tum a parte colentium.

87. Ex parte *objecti* multiplex distinguitur idololatria; ac 1. *sabaeismus*, seu *astrolatria*, seu cultus astrorum, ut sunt sol, luna, stellae eorumque imagines (Exod. XX, 4, 5; Deut. IV, 16, 19; V, 8, 9,); 2. *zoolatria*, seu *cultus animalium*, ut sunt quadrupedes, aves, insecta, pisces, serpentes, etc. (Rom. I, 23); 3. *anthropolatria*, seu cultus hominum, eorumque simulacrorum,

(1) Id luculenter ostendit liber Geneseos, in quo cultus unius Dei ab ipso mundi exordio obtinuisse traditur. Ex historia veterum populorum idem facile colligitur. Jure propterea, saltem hic, Jahn scribit: « Qui contendunt primam hominum religionem fuisse feticismum, seu cultum creaturarum, et idololatriam. a priori confingunt historiam, et gratis sumunt homines in cognitionibus semper ascendere et nunquam descendere, quod universa historia, et praesertim historia religionis refellit, quae permultos descensus, et etiam Hebraeorum frequentes in idololatriam relapsus memorat ». (*Archaeol.* § 400).

qui robore, potentia aut prudentia pollentes, in alios vel benefici vel malefici, demum defuncti divis accensebantur (1). Recentiori aevo, florente licet philosophiae studio, scelestissimi quique reges et imperatores adhuc viventes templa obtinebant, in quibus a sacerdotibus sacrificiis colebantur (2). 4. *Cultus rerum sensu carentium*, ut sunt terra, mare, venti, fluvii, ignis, lapides, plantae, etc., ad quam idololatriae speciem reducitur *feticismus*, seu cultus illorum idolorum, quae ex lapide, ligno, etc. quisque sibi ut deos efformat. 5. *Daemonolatria*, seu cultus daemonum; pleraeque enim gentes malignos spiritus deos credebant, eorumque imagines venerabantur, ut aegyptii Typhonem, et mehestani Ahrimanium et innumerabiles ejus daemones. Diversa autem haec numina cogi posse et quiescere et dormire et ad sacrificia, in aliis regionibus oblata, tanquam ad epulas proficisci credebantur (3). Quumque diversi sexus fingerentur, pleraque etiam in matrimoniis vivere, imo adulteria patrare, et cum hominibus se commiscere existimabantur. 6. His addendus est *cultus imaginum rerum abstractarum*, famae, concordiae, pietatis, fidei, fortunae (4), nec non malorum, sive physicorum, ut febris, orbonae, infortunii, etc. sive moralium, ut contumeliae, imprudentiae (5). His omnibus velut diis altaria erigebantur et templa.

88. Ex parte *subjecti*, seu eorum qui foedis his superstitionibus tenebantur, multiplex pariter distingui debet ratio tendendi in ejusmodi numina pro varia colen-

(1) Herod. lib. I, 131, 144; Cicero, *Quaest. Tuscul.* I, 12, 13; *De nat. deor.* I, 42; III, 15, 23; Diodorus siculus, V, 74, 80; Fl. Joseph, *Archaeol.* lib. IX, 4, 5. Hoc dii mortui passim in bibliis dicuntur.

(2) Cfr. Joan. Alberti Fabricii, *Bibliographia antiquaria*, Hamburg. 1760, pag. 367.

(3) Iliad. I, 423, 424, 609, 611; Lucianus in *Dial. de sacrificiis*; I Reg. XVIII, 27, 28.

(4) Cic. *De nat. deor.* lib. III, 16, 23, 24; *De leg.* lib. II, cap. 8, ed. Taur.

(5) Plin. *Histor. natur.* lib. III, 5.

tium opinione, cultura, aetate seu aevo rudiori et incultiori. Multitudo seu populus recensita objecta eorumque simulacra vel omnia vel saltem pleraque ut vera numina habebat, quibus sacrificia, preces, vota offerebat, ut ex dicendis constabit. Alii autem statuas ut sedes saltem deorum existimabant, in quas numina per consecrationem tanquam incantamentum cogerentur; hinc illis quoque motus humani tribuebantur (1). Alii solem pariter, lunam ac sidera ut deos colebant, dum alii illa velut deorum sedes, aut symbola et emblemata venerabantur. Sequiori tamen aevo philosophi nonnulli pluralitatem deorum ut unius ejusdemque divinitatis symbola et attributa varia atque operationes spectarunt; seu verius, mythologiam et poëtarum commenta hac ratione exponere conati sunt (2).

89. Ex levi hac polytheismi et idololatrici cultus adumbratione, sub duplici respectu considerati, colligitur 1. non omnes quidem ethnicos pari superstitionis gradu sorduisse, sed alios plus alios minus; 2. infertur non omnes simulacra ut deos habuisse, sed plures illa vel ut sedes deorum, vel saltem ut divina quadam virtute praedita existimasse; 3. quod consequens est, non omnes et singulos cultu absoluto, sed multos solum relativo cultu eis honorem impendisse; rudiores quosque sive multitudinem, nempe populum, tum in pluralitatem deorum credidisse, tum passim eorum effigies ac simulacra pro veris numinibus habuisse, iisque cultum tribuisse absolutum; 5. cum pleraque ejusmodi numina reali carerent objecto, vel saltem destituerentur objecto sensibus et vita praedito, cujusmodi ex. gr. erant omnia numina abstracta superius recensita, vel etiam Jupiter, Mercurius, Venus, etc., infertur reos idololatriae proprie dictae eos om-

(1) Curtius, lib. IV, 11; Diod. siculus, lib. XVI, cap. 46; Plin. *Hist. natur.* lib. XXXVIII, cap. 4; conf. Joan. Alb. Fabric. op. cit.

(2) Cfr. S. August. *De civit. Dei* lib. VI; Lact. *Div. Inst.* lib. V et VI.

nes fuisse, qui etiam solo cultu relativo eorum colerent simulacra.

90. Quoad priores idololatriae species vix ulla est controversia; ast non modica viguit et viget circa reliquas postremas duas. Protestantes enim plerique, ut faciliorem viam sibi sternerent ad accusandam ecclesiam catholicam idololatriae in cultu imaginum, commenti sunt omnem ethnicorum cultum perinde ac cultum israëlitarum, qui accusati frequenter sunt in Scripturis idololatricae superstitionis, fuisse semper relativum, nusquam vero absolutum, atque israëlitas reos tantum in eo fuisse, quod effigies veri Dei contra legis praescriptum venerati fuerint, non autem quod falsa numina reipsa coluerint. Neoterici autem nonnulli scriptores his annis, protestantium vestigia hac in parte premere haud veriti, duo affirmarunt: 1. Ethnicos pluralitatem deorum minime admisisse, 2. eos idola non coluisse nisi ut diversa simulacra unius veri Dei, ut sic adstruerent *consensum communem* generis humani in unius Dei veritate admittenda.

91. Nostrarum igitur partium esse debet ostendere 1. ethnicos, imo et israëlitas infideles, passim polytheismi crimine se polluisse, 2. eosdemque idololatriae proprie dictae reos pariter passim extitisse.

92. Nunc vero praestat nonnulla breviter perstringere ex iis, quae ad dualismum spectant. Doctrina de duobus principiis inter ethnicos antiquissima est ac longe lateque, inter orientales praesertim, diffusa (1). Ortum fortasse duxit ex corrupta traditione lapsus angelorum, tentationis ac transgressionis primorum parentum. Nonnulli protestantes sibi visi sunt deprehendere dualismi vestigia apud judaeos, maxime ab exilii Babylonici temporibus (2); sed perperam. Ex christianis dualismum in-

(1) Cf. Ramsay, *Discours sur la mythologie*.

(2) Vegscheider, § 7, n. 6, aliique apud ipsum, ibid.

staurarunt Cerdon, Marcion, Apelles et Manes, a quo Manichaei, qui per plura saecula ecclesiam divexarunt. Oblivioni a non paucis saeculis datus erat dualismus, quum Bayle, lascivienti ingenio suo plus quam par esset indulgens, omni arte ac vafritie illius argumenta instaurare atque in novo lumine ponere aggressus est, tum in suo dictionario, tum in aliis operibus passim.

93. Tritheismus vix natus, opera praesertim cujusdam Philopponi, in sua obscuritate jacuit (1). Ariani tamen ac sabelliani catholicos tritheismi jamdiu accusarunt. Gibbon veritus non est hanc ipsam calumniam sanctis Patribus, acerrimis arianismi impugnatoribus, denuo impingere (2).

94. Ex his erroribus leviter delineatis ad quaestionis, quam suscipimus, explanationem patet, muneris nostri esse 1. statuere Dei unitatem; 2. ex hac propositione veluti principio quodam generali constituto, propositiones reliquas tanquam totidem corollaria deducere, sive adversus polytheistas atque idololatras, sive adversus dualitas. Quod enim spectat ad tritheismum, quem non vacat hic speciali ratione refellere, de eo commodius agemus in tractatu de Trinitate, ubi catholicos et ecclesiae patres ab impacta calumnia vindicabimus. Sit igitur.

PROPOSITIO I.

Deus unus est

95. Haec propositio de fide est, ut patet tum ex Sym-

(1) Joan. Damasc. *De haeres.* n. 83, edit, Lequien. Ex recentioribus cfr. Petav. *De Trinitate*, lib. 1, cap. 10, § 9; Bergier, *Dict. de théol.* art. *Tritheisme*; saeculo superiori triteismum renovarunt Petrus Faydit et Ant. Oehmbs. Hic posterior vulgavit Moguntiae 1789 tractatum *de Deo uno et trino*, quem Universitas Coloniensis anno 1790 refutavit et damnavit.

(2) *Hist. Casus Imp. rom.* cap. 20 et 21, inter quos recenset profanus homo s. Gregorium Nazanzenum et s. Athanasium.

bolo Nicaeno ac Constantinopolitano : *Credo in unum Deum* , tum ex concilio generali Lateranensi IV. Cap. *Firmiter*, ubi in fidei catholicae professione dicitur : *Firmiter credimus et simpliciter confitemur*, *quod unus solus est verus Deus.* Sensus autem propositionis est, ut Deus unus dicatur *numerice*, non autem *specifice*, adeo ut nonnisi unicus et singularis naturae Deus sit admittendus.

96. Ejusdem propositionis veritas non solum ex omnibus illis Scripturae testimoniis evincitur, in quibus perpetuo Dei unitas praedicatur , ut Deut. VI , 4 : *Audi Israël* : *Dominus Deus noster* , *Dominus unus est ;* et Marci XII, 29 : *Audi*, *Israël*, *Dominus Deus tuus*, *Deus unus est*, et alibi passim ; sed etiam ex ratione , seu ex ipsa notione Dei. Deus enim, ex dictis , est ens , quo nihil majus cogitari aut dici potest, est ens necessarium, a se , aeternum , infinitum omnique perfectione preditum ; jam vero quod ejusmodi est, non potest nisi unum esse, alioquin si plura ponerentur , ipse Dei conceptus ac notio destrueretur , quae necessario unitatem includit, cum dii pares omnes et aequales in hypothesi pluralitatis deorum admitti deberent, vel alii aliis inferiores, quod non minus absurdum esset atque a Dei notione abhorrens.

97. Hinc merito Tertullianus sic Marcionem, pluralitatem deorum invehentem, energice perstringebat : *Deum*, inquit , *ut scias unum esse debere* , *quaere quid sit Deus* , *et non aliter invenies. Quantum humana conditio de Deo definire potest*, *id definio* , *quod et omnium conscientia agnoscet*, *Deum summum esse magnum . . . Cum de isto conveniat apud omnes* (*nemo enim negabit*, *Deum summum magnum quid esse*, *nisi qui poterit Deum imum modicum quid e contrario pronunciare* , *ut Deum neget auferendo quod Dei est*). *Quae erit jam conditio ipsius summi magni ? Nempe ut nihil illi adaequetur* , *id est*, *ut non sit aliud sum-*

mum magnum; quia si fuerit, adaequabitur; et si adaequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, et, ut ita dixerim, lege, quae summo magno nihil sinit adaequari. Ergo unicum sit necesse est, quod fuerit summum magnum, par non habendo, ne non sit summum magnum . . . Proinde Deus, cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronunciavit: Deus, si non unus est, non est . . . . porro summum magnum unicum sit necesse est; ergo et Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum; nec aliter summum magnum, nisi parem non habens; nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit (1).

98. Eadem ratione argumentatur Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Lactantius, Joannes Damascenus apud Petavium (2), et s. Thomas *Contra gentes* (3), tum in *Summa* (4), ubi eamdem veritatem ostendit et ex Dei simplicitate et ex infinitate ejus perfectionis, tum denique ex unitate mundi, seu ex unitate, quae elucet in ordinatione mundi. Quae quidem aliaque ejusmodi argumenta evolveremus, nisi ageretur de re nunc temporis non necessaria, cum polytheismi error obsoletus sit, nec praeterea vacet in hoc refellendo diutius immorari.

DIFFICULTATES

99. Polytheismus non excluditur a Sacris Litteris, imo quodammodo iis insinuatur. 1. Deus enim iis nominibus designatur, quibus indoles religionis judaicae antiquioris *polytheistica* panditur; cujusmodi est nomen אֱלֹהִים (Elohim) apud hebraeos usitatum in plurali numero. 2. Historia docet ceteras religionis species, in Asia re-

(1) *Contr. Marcionem*, lib. 1, cap. 3, edit. Rigalt.
(2) *De Deo*. lib. 1, cap. 4.
(3) Lib. 1, cap. 42.
(4) Part. 1, quaest. 9, art. 3.

pertas, polytheismo superstructas fuisse, et 3. ipsos israëlitas, cultus religiosi mosaici quasi quodam jugo oppressos, quavis data opportunitate ad idololatriam reversos esse (1). Quare 4. in Veteris Testamenti libris non una eademque numinis idea pura, sed ea potissimum obtinuit notio, quae Deum praedicat mundi creatorem (Gen. I, 1; Ps. XCVI, 5; Is. XL, 28), naturam celsissimam (Ps. CXLV, 3), alii naturae nulli, neque aliorum populorum diis comparandam (Exod. XVIII, 11; Deut. III, 24; Jos. XXIII, 7; Ps. LXXXVI, 8, 9; CXL, 5 et seqq.; Isaïae XIX, 2), omnium rerum, et sensu quidem peculiari israëlitarum eorumque reipublicae summum dominum atque moderatorem (Exod. VI, 3; Jos. XXIV; Jud. II, 24; Ps. XX, 2, 7, et aliis locis), quem propterea יְהוָה *Iehovah*, quod nomen Dei Israëlitis ἐγχωρίου (*indigetis seu localis*) proprium recte vocaveris (2); ergo.

100. Resp. *N. A.* Ad 1. *N.* Nemo enim est qui nesciat in linguarum usu non tam ad vocum etymologiam vel nativam significationem quam ad sensum, quo usurpari consueverunt, attendi debere, ut innumeris exemplis petitis sive a linguis antiquis sive recentioribus ostendi facile posset. Cum autem falsum sit adversariorum principium de indole polytheistica Israëliticae religionis antiquioris, cujus ipsi nullum afferunt documentum, hinc jure negamus hoc indicatum fuisse per Dei nomina plurali numero expressa. Sane Moyses, loquens de populo Israëlitico, dum adhuc in sua infantia esset, aperte contrarium supponit, imo exprobrat infidelitatem ejusdem populi in cultu, quem idolis ac diis gentium praestitit, velut novitatem, dicens: *Immolaverunt daemoniis et non Deo, diis quos ignorabant, novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum,*

(1) Ita Wegscheider § 52, n. d. (2) Ibid.

Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.. Hinc Moyses semper unicum Deum exhibet in creatione, in patriarcharum cultu, a quibus hebraei originem traxerunt, eum vocando Deum Abraham, Isaac et Jacob, cui jamdiu sacrificia obtulerant Abel et Caïn ac postea Noë (1).

101. Ad 2. *Neg.* historiam docere ceteras religionis species fuisse superstructas polytheismo, quum potius contrarium doceat. Etenim historia omnium antiquissima est mosaica; jam vero historia mosaica aperte tradit in mundo prius obtinuisse monotheismum, nec nisi post diluvium saltem positivis documentis ostendi potest inolevisse inter homines polytheismum, et quidem per successivam defectionem, quae magis crescebat, quo magis homines recedebant a primaeva institutione per veri Dei oblivionem. Hinc videmus tum in Aegypto tum in Chananitide longius conservatam notionem unius Dei, ut patet ex Gen. XII, 18, ubi Pharao agnoscit se a Deo plecti ob usurpatam sibi uxorem Abraham; tum ex cap. XIV, 18 et seqq. ubi Melchisedech rex Salem ut cultor unius Dei exhibetur; rursum ex cap. XX, 3, 4, 11, Abimelech regem Gerarae monotheistam fuisse patet; ut alia documenta omittam, quae tum in libris mosaïcis, tum in libris Job, Josue et Judicum expendi possunt (2). Itaque non monotheismus polytheismo supertructus est, sed contra polytheismus, uti protestantismus, sive haereses sub nova lege, deficiendo a vera religione pullularunt.

102. Ad 3. *Neg.* suppositum, israëlitas nempe propter legis suae oppressionem, ad idololatriam reversos esse, ut patet ex dictis; ipsi enim potius ceterarum gentium

(1) Cons. *Ueber den Monotheismus*, etc. seu *De monotheismo tanquam primitiva religione humanitatis tentamen*, per Franc. Xav. Frit, etc. in *Ephem. Theol.* edit. a D. Jo. Pletz. anno 6, fasc. III.

(2) Ex libro Job, qui fortasse est omnium antiquissimus, patet monotheismum etiam apud gentiles adhuc plene viguisse.

scandalo, quod ob ipsorum oculos semper versabatur, trahebantur facili irritamento ad illorum deorum cultum, qui omnibus cupiditatibus favebat, habita praesertim ratione rudioris ac materialis indolis illius populi, qua factum est, ut observat s. Augustinus (1), ut illo rituum apparatu, velut sepe, divina providentia circumcingeretur, ne diffluereret ad ritus finitimarum nationum; et his non obstantibus forsan defluxisset, nisi Deus speciali ratione ei prospexisset.

103. Ad 4. *D.* In sensu exclusivo quorumcumque aliorum deorum, *C.* alio sensu *N.* Lex enim mosaica luculentissime unum et solum Deum praedicat et alium quemcumque excludit; palmaria sunt verba, quibus sic Deus loquens inducitur (Deut. XXXII, 39 et seqq.): *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere; levabo ad caelum manum meam, et dicam; vivo ego in aeternum*: quibus magnifice non solum unitas, sed et omnipotentia et aeternitas Dei praedicatur. Notandum porro est ex legis praescripto israëlitas istud Moysis canticum memoriae mandare debuisse, nunquam propterea potuerunt absurdam opinionem adoptare de diis municipalibus, ut vocant, ac patriis aliarum gentium; aeque luculenta sunt verba, quibus ibid. IV, 35, Moyses sic populum compellat: *Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius praeter eum.* Ut cetera brevitatis studio praetermittam, quae ex reliquis sacris voluminibus, prophetarum praesertim, qui populum revocant ad legis praescripta, depromuntur.

104. Quod si interdum videtur institui comparatio inter Deum hebraeorum aliarumque gentium deos, ejus-

(1) Tract. IX in Joan.: « Sacrificia illi populo pro ejus carnalitate et corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur, quominus in idola deflueret ».

modi comparatio non fit nisi juxta persuasionem illarum gentium, quae in suis diis gloriabantur, non autem in rei veritate, quum viderimus apertissime alios deos explodi. Adde passim in Scripturis deos gentium *daemonia* vocari, ut Levit XVII, 7: *Et nequaquam ultra immolabit hostias suas daemonibus, cum quibus fornicati sunt*; tum Deuter. citato cap. XXXII, 17: *Immolaverunt daemonio*; Psalm. XCV, 5: *Omnes dii gentium daemonia*, et alibi passim. Aperte negant Scripturae deos gentium deos esse, ut Deut. XXXII, 21: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus*; IV Reg. XIX, 18: *Non enim erant dii... Nunc igitur Domine Deus noster salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terrae, quia tu es Dominus Deus solus*; et alibi saepe. Cum haec igitur de diis gentium passim in Scripturis Veteris Testamenti praedicentur, qua ratione dici potest secundum israëlitas fuisse illos vere deos, licet inferiores Deo, quem ipsi colebant?

105. Atque hinc pariter excluditur, quod ultimo loco asserebatur, judaeos Deum suum ut indigetem seu localem ac patrium, ἐγχώριον יְהוָה habuisse ad instar aliarum gentium. Fieri utique potuit, ut rudes nonnulli, in idololatriam proni, hanc fortasse opinionem adoptarint, sed aliud est loqui de singulis, aliud de spiritu ac sensu totius gentis, ut adversarii faciunt, qui et in eo peccant, quod ex analogia aliarum gentium argumentum ducunt ad hebraicam nationem, quasi et ipsa imbuta fuerit eodem errore, in quo gentes ceterae versabantur, quae pessima quidem est argumentandi ratio. Nonne ridiculum se praeberet, qui vellet adscribere ecclesiae catholicae absurda, quibus protestantismus scatet? Haec tamen methodus est biblicorum rationalistarum, quibus et inter cetera fixum atque statutum est Deum hebraeorum fuisse localem; cum tamen nulla gens sit, quae

tam alte de Deo senserit, ejusque in gentes omnes dominatu, quam natio judaïca, quemadmodum patet ex Psalmis, in quibus gentes passim invitantur ad laudandum Deum.

106. Inst. Nec pauca nec levia sunt hujus opinionis fundamenta in sacris Bibliis; Deus enim 1. plurali numero, Gen. I, 26, loquens inducitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; tum ibid. cap. II, 18: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*; et cap. III, 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, et alibi. Hanc etiam 2. Christus ipse indicat illis verbis: *Ego dixi: Dii estis*, quibus (Joan. X, 34) ipse se comparat; atque 3. Apostolus, I Cor. VIII, 5: *Si quidem sunt dii multi et domini multi*. Sane 4. si non repugnat juxta christianam doctrinam plures esse personas divinas realiter distinctas, nec repugnat plures deos esse, qui plus minus eamdem divinam naturam participent (1); ergo.

107. Resp. *N. A.* Ad 1. probat. *D* Ad insinuandam pluralitatem deorum, *N.* ad indicandam pluralitatem personarum in Deo, ut patres exponunt, vel alia de causa *C.* Cum Moyses constanter monotheismum absolutum velut primarium legis articulum ponat, non potuit profecto iis verborum formulis uti, quae favere possent polytheismo, a quo perpetuo nititur abducere israëliticum populum; quare vel dicendum in praedictis locis, in quibus Deum plurali numero loquentem inducit, insinuare pluralitatem personarum in Deo, ut ecclesiae patres communi consensu exponunt atque interpretes cathotici, et antiquiores ipsi protestantes (2), quod nos pro certo habemus, cum nulla alia expositio satisfaciat (3);

(1) Argumenta, quae in favorem polytheismi desumi possent ex miraculis atque vaticiniis et oraculorum responsis, jam diluimus in tractatu *De vera religione*, part. I, n. 226 et seqq.

(2) Cons. *Critici sacri*; vol. 1, ad haec loca.

(3) Clericus hic adnotat emphasin

vel aliam rationem fuisse, quae nos lateat, promiscue usurpandi numerum pluralem pro singulari. Ceterum alter textus ex Gen. II, 18, desumptus hebraice est numero singulari: אֶעֱשֶׂה־לּוֹ *faciam ei*, etc.

108. Ad 2. *N.* Christus enim se comparat judicibus vel prophetis, ad quos sermo Dei factus est, et quidem relate ad solam denominationem, non autem ad naturam divinam, ut patet ex contextu, et nos suo loco ostendemus.

109. Ad 3. *D.* Qui tales dicantur ex ethnicorum hominum opinione, *C.* qui tales sint *N.* Non alium esse sensum Apostoli contextus evincit.

110. Ad 4. *Neg.* paritatem. Personae enim in Deo non distinguuntur in natura, quae una eademque in omnibus est, sed in relationibus; dii autem totidem distinctis naturis ac diversis necessario constant. Sed de hoc argumento in tractatu de Trinitate.

quamdam in illa locutione *faciamus*, etc. Rosenmüller eam repetit ex linguae consuetudine, nam et in aliis linguis mos est, ut interdum plurali numero, de se loquentes, singuli utantur homines. Sic. Job. XIII, 2, 3; II Reg. XIV, 14, ubi David in eadem orationis serie singularem et pluralem numerum promiscue de *se uno* adhibet, II Reg. XVI, 20. Adversum autem 22, cap. 3 Geneseos: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc. manifestum est, inquit, Deum, dum prima pluralitatis persona loquitur, sibi conjungere ceteros daemones אֱלֹהִים At, praeterquam quod allati textus ad rem non sunt, ut cuilibet eos attente percurrenti palam fiet, ne unus quidem adduci potest, in quo Deus de se plurali numero loquatur, si eos excipias, in quibus non solum ecclesiae patres, et veteres ipsi protestantes, verum ipsi rabbini non obscure insinuant pluralitatem personarum induci, ut inter ceteros ostendunt Martini in *Pugione fidei*, et Galatinus *De arcanis cath. veritatis*, et post ipsos Cl. Drach, *Deuxième Lettre d'un Rabbin converti*, sect. IV, pag. 75 et seqq. Paris 1827.

PROPOSITIO II.

Ethnici vel polytheismo proprie dicto vel idololatrico cultu absoluto vel passim utroque simul se commacularunt

111. Haec propositio est tum adversus illos protestantes, qui in solo relativo imaginum ac idolorum cultu crimen idololatriae constituunt, atque inficiantur idola ipsa per se ethnicos coluisse, tum adversus illos neotericos, quos supra indicavimus, qui nullum unquam viguisse polytheismum proprie dictum adstruunt, neque idololatriam absolutam.

112. Evincemus autem ejusdem propositionis veritatem tum ex sacris litteris, tum ex monumentis ecclesiasticae ac profanae antiquitatis quoad utramque partem. Diximus autem *vel* polytheismo, *vel* absoluto idolorum cultu, ne quis putet nos contendere omnes prorsus ethnicos in ea perstitisse sententia, idola per se deos fuisse; scimus enim non omnibus rudem hanc stetisse opinionem.

113. Jam vero ethnicos in primis polytheismum proprie dictum admisisse, seu coluisse plures deos proprie dictos, 1. omnia illa ostendunt Scripturarum oracula, quae objurgant infideles de pluralitate deorum, cujus rei documentum luculentissimum exhibent Acta Apostolorum cap. XIV ubi ex occasione miraculi patrati a Paulo et Barnaba, Lystrienses *levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium*; in turbas vero ac in sacerdotem, qui illis sacrificare volebat, insilientes, dixerunt apostoli: *Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit caelum et terram*, etc...

qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Ex quibus habemus ethnicos in multitudinem seu pluralitatem deorum reipsa credidisse, eum errorem praeteritis generationibus communem fuisse, et ad revocandas eas ab ejusmodi errore apostolos esse missos a Christo Domino. Hoc autem ethnicos praestitisse, absque respectu ad verum Deum, luculentissime declarat Apostolus, scribens ad Galatas : *Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis* (Gal. IV, 8,). Sic Veteri Testamento Achior (Judith. cap. V) meminit multitudinis deorum, quos chaldaei colebant. 2. Idem evincunt omnia loca, in quibus dii gentium nominantur dii alieni, dii patrii uniuscujusque gentis, quae innumera prope sunt. 3. Illa pariter evincunt testimonia, quibus arguitur infidelitas hebraeorum, qui, cum a Deo recederent, ut sequerentur gentium deos, dicuntur *fornicari*, *adulterari*, etc. Hisce objurgationibus plenae sunt Scripturae, ac praesertim prophetarum volumina (1), metaphora ducta exinde quod, derelicto uno veroque Deo gentis israëliticae sponso sive marito, diis falsis per summam infidelitatem adhaererent.

114. Quod praeterea idololatriae crimen consisteret in culto absoluto idolorum, id pariter luculentissime evincitur 1. ex iis locis, quibus reprehenduntur idololatrae, dicentes ligno : *Pater meus es tu ; et lapidi : Tu me genuisti* (2), quod coluerint *opera manuum suarum*, *opera manuum hominum*, ut in prophetis passim, ac praesertim Isaïae cap. XLIV, ubi graphice describitur stupiditas idololatriae, dum faber lignarius exhibetur faciens idolum, et deinde *curvatur ante illud et adorat illud et obsecrat*, *dicens : Libera me*, *quia Deus meus es*

(1) Exod. XXXIV, 15, 16 ; Lev. XVII, 7 ; XX, 5, 6 ; Jud. II, 17 ; VIII, 27, 33 ; Psalm. LXXII, 27 ; CV, 39 ; Isaïae XXIII, 17 ; Jerem. III, 1, 6, 8 ; Ezech. VI, 9 ; XVI, 15 et seqq. Oseae I, 2.

(2) Jer. II, 27.

tu (1). 2. Ex iis in quibus admonentur hebraei idola gentium deos non esse; quo spectat integrum caput VI Baruch: *Videbitis*, inquit, *in Babylonia deos aureos et argenteos et lapideos et ligneos in humeris portari, ostentantes metum gentibus: videte ergo ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis, et metus vos capiat in ipsis*; et, recensitis diversis idololatrarum ritibus ac multiplici idololátriae specie, eadem semper ratione concludit: *Sciatis quia non sunt dii, nec timueritis eos*. 3. Demum, ceteris omnibus omissis, quae in eamdem rem afferri possent, facta ipsa id ostendunt in Scripturis recensita, ex quibus seligimus historiam idoli Bel et draconis (Daniel XIV). Bel enim credebatur Deus vivens, quem propterea non solum cultu absoluto prosequebantur babylonii, sed praeterea apponebant ei per singulos dies escas, vinum, etc.; idem dicatur de dracone, quem ut Deum immortalem colebant et adorabant (ibidem); ut alia praeteream. Ex his interim patet negari non posse, nisi fides Scripturae detrahatur, ethnicos tum plures deos coluisse, tum idola pro veris diis habuisse, ac tanquam deos absoluto cultu veneratos esse.

115. Nunc praestat tandem propositionem documentis ecclesiasticis et profanis ostendere et confirmare. Ac primo quidem ecclesiae patres, qui profecto longe melius quam nos paganorum theologiam ac religionem cognoscebant, quum plures ex ipsis ex paganismo ad christianam veritatem venerint, et assidue adversus ethnicorum errores ac superstitionem tunc vigentem pugnaverint, aperte utrumque propositionis nostrae assertum testantur. Ipsi enim non minus confutant eos, qui simulacra sive metallica sive lignea sive lapidea ut deos colebant, quam eos qui divinitatem tribuebant Jovi, Apol-

(1) Cfr. Exod. xx, 23; xxxiv, 17; xxxii, 4; Sapient. capp. xiii-xv; Isaïae ii, 8 et seqq.: Dan. v, 4; Jer. x.

los ipsorum cadebat, et cujus ipsi pars fuerant, an recentioribus quibuscumque contrarium effutientibus

116. Demum ne longiores simus in re non necessaria, finem huic propositioni facimus duorum ethnicorum testimoniis, quorum unus est Horatius, cujus versus jam retulimus in tractatu de vera religione, ex lib. I, sat. VIII: *Olim truncus eram*, etc.; alter est Seneca, qui in libris moralibus ita de paganis scribebat: *Simulacra deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem aut adstant, illis stipem jaciunt, victimas caedunt; et cum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecerunt, contemnunt*, etc. (1).

117. Si igitur verus polytheismus dicendus est, in quo pluralitas deorum proprie talium admittitur et creditur; si polytheistico cultu, qui deos in simulacris venerantur commaculati sunt dicendi; si rei idololatriae stricte sumptae censendi sunt, quotquot vel credunt numina idolis inclusa, vel idola ipsa ut deos habent; cum ex documentis, sive ex Scriptura sive ex omni antiquitate sacra et profana depromptis, evidentissime constet ita se gessisse ethnicas gentes, concludendum igitur est ethnicos vel polytheismo proprie dicto, vel idololatrico cultu absoluto, vel passim utroque simul se commaculasse,

(1) Apud Lactant. loc. cit. cap. 2. Cfr. P. Baltus, *Suite de la reponse à l'Hist. des Oracles*, 1. part. chap. 11 et 12. Integrum confici posset volumen ex apertissimis patrum testimoniis, qui exprobrant gentibus cultum deorum et simulacrorum, et quidem absolutum. Nec minus clara sunt monumenta, quae nobis suppeditant auctores profani. Diogenes Laertius in vita Stilponis, lib. II, refert hunc philosophum exilio mulctatum fuisse ab atheniensibus, eo quod dixerit Minervam Phidiae non esse divinitatem. Cfr. historia, quam refert Flav. Joseph, *Archaeol.* lib. XVIII, cap. 3, n. 4, pag. 877 et seqq. edit. Havercamp, de muliere, quae putavit se cum Deo congressam, etc. Cons. Bergier *Dict.* art. *Idole*, *Idolatre*, etc. Cavendum tamen ab editione Vesuntina anni 1826, cui nescio quis e schola neoterica addidit notas ad disseminandam novam doctrinam, prout praestitit in hoc articulo, in quo Bergier aperta fronte contradixerat iis, quae postea neoterici auctores invexerunt.

quod demonstrandum nobis assumpsimus, tum adversus protestantes, tum adversus neotericos scriptores.

118. Quanquam hi postremi advertere praeterea deberent ad concilium Tridentinum, quod sess. XXV, in decreto de sacris imaginibus, mandat: *Imagines porro Christi, deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant.* Ergo ex conc. Trid. gentes putabant inesse idolis aliquam divinitatem vel virtutem, aliquid petebant ab ipsis, fiduciam in iisdem figebant spemque suam in idolis collocabant, ideoque verum ac proprie dictum polytheismum, veram ac proprie dictam idololatriam profitebantur.

DIFFICULTATES

119. I. Obj. 1. Idololatria non est negatio alicujus dogmatis, sed violatio praecepti, et quidem omnium primi, ejus nempe, quod praescribit Dei adorationem et quidem solius Dei. Sic 2. idololatrarum crimen consistit juxta Apostolum in eo quod, *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis ..., et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori.* (Rom. I, 21, 25.); quod 3. congruit cum eo quod idem Apostolus, scribens ad Thessalonicenses, de ipsorum conversione ait: *Conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero*; ad Thess. I, 9, et I ad Cor. XII, 2: *Scitis, quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes.* 4. Homo enim,

utpote sensuum suorum servus, in se experiebatur indigentiam sibi Deum verum, unicum, aeternum et invisibilem repraesentandi sub aliqua imagine, ut ipsa ἰδωλολατρείας (idololatriae) vox exprimit, *cultus* nempe *imaginum*; atque ita 5. honoratus est creator in operibus suis splendidioribus, quae facta sunt totidem symbola divinitatis (1).

120. Resp. ad 1. *N.* Idololatria enim est tum negatio dogmatis, scilicet unius Dei, tum violatio praecepti prohibentis deferre creaturae adorationem uni Deo debitam, vel etiam falsis diis cultum debitum Deo vero. Ex allatis enim documentis, sive ex Scriptura, sive ex patribus atque scriptoribus paganis, constat idololatras passim in errore versatos fuisse pluralitatis deorum, ideoque dupliciter peccasse et in dogma et in praeceptum. Paulus enim et Barnabas non unus, sed duo dii, Jupiter et Mercurius, existimati sunt (2).

121. Ad 2. *D.* Respectu paucorum philosophorum, *C.* respectu multitudinis ac populorum *N.* Patres enim atque interpretes, exponentes hunc locum conveniunt in eo restringendo ad philosophos, qui utique cum Deum cognovissent naturali ratione ex pulchritudine hujus universi, nec eum glorificaverunt, nec ejus unitatem et veritatem praedicaverunt, sed se potius in cultu externo et publico accommodaverunt multitudini colenti plures deos, prout ipsis exprobrat s. Augustinus, et patet ex historia (3).

(1) *Essai sur l'indifférence, en matière de Religion*, tom. III, pag. 74 et 75.

(2) Cfr. Euseb. *De Praep. evang.* lib. V, cap. I et seqq. usque ad cap. 16, ubi non solum de numinum ac simulacrorum multitudine, sed et de ipsorum cultu late ac fuse disserit, perpetuoque supponit coli simulacra lapidea ac lignea ut vera numina. Cfr. etiam Card. Gerdil. in suo *Saggio d'instruz. teolog.* opp. edit. Rom. tom. X, pag. 279, seqq.

(3) S. Aug. *De civ. Dei*, lib. VI, cap. 10. Cens. P. Baltus in opere, *Jugement des SS. Pères sur la morale de la Philosophie paienne*, liv. I, chap. 7, vol. I, in-4. Strasbourg 1719; ubi innumeris prope documentis ostendit philosophos fuisse idololatras ac docuisse pluralitatem deorum, et tum factis tum scriptis passim cohonestasse idololatriam apud populum.

Hanc porro esse mentem Apostoli eruitur his ex verbis, quae omisit adversarius: *Et dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.*

122. Ad 3. *D. A.* Ducebamini ad simulacra falsorum deorum, *C.* unius veri Dei *N.* Id ipsum dicatur de alio textu epistolae ad Corinthios; in hac enim ipsa epistola (I Cor. VIII, 5.) Apostolus expresse scribit: *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra* (*siquidem sunt dii multi et domini multi*); *nobis tamen unus Deus*; et loquitur juxta errorem et sensum gentium.

123. Ad 4. *Neg.* idololatrarum crimen praecise constitisse in efformandis et colendis imaginibus symbolicis unius veri Dei. Alioquin catholici, qui pariter Deum in imaginibus symbolicis seu formis, sub quibus Deus interdum apparuit patriarchis et prophetis, repraesentant, essent idololatriae turpissimae rei, prout eos accusant haeretici (1); quod impium et absurdum est. Falsum praeterea est vocem ἰδωλολατρείας designare seu exprimere, ut adversarius autumat, *cultum imaginum*; significat enim cultum vel servitutem *falsarum imaginum*, quibus nempe nullum reale objectum respondet, ut fuse ostendit Bellarminus adversus Henricum Stephanum aliosque haereticos, hanc ipsam etymologiam ἰδώλου obtrudentes (2).

124. Ad 5. *N.* Sed, ut patet ex dictis, idololatrae, veri Dei obliti, non creatorem, sed falsos et inanes deos honoraverunt.

125. Inst. 1. Saltem sub multitudine diversarum formarum idololatria reducebatur ad cultum spirituum, qui per hoc universum diffusi sunt, et ad cultum hominum, qui post mortem ad eum excellentiae atque potentiae gradum evecti putabantur quo spiritibus caelestibus appropinquarent (3). Hinc 2. ostensum est idololatriam nil

(1) Cons. Bellarm. *De reliquiis et imaginibus Sanctorum*, lib. II, cap. 13.

(2) Ibid. cap. 5.

(3) *Essai sur l'indifférence*, loc. cit. pag. 82.

aliud unquam fuisse, quam cultum spirituum bonorum et malorum, et cultum hominum illustrium, id est, quoad rem ipsam nil aliud quam cultum *Angelorum* et *Sanctorum* (1). Sane 3. difficile potest intelligi paganos alligasse his diversis spiritibus veram notionem divinitatis. Si enim res bene perpendatur, 4. nonne unitas necessario includitur in hac notione ? Dici propterea oporteret homines credidisse pluralitatem unius seu unici Dei (2); neque enim pagani credidissent plures *deos*, si non habuissent notionem *Dei* (3). In hanc 5. propterea sententiam conspirant catholici, protestantes, et philosophi, ut patet sive ex Beausobre (4) sive ex Voltaire (5). Quare 6. poterat quis esse idololatra, etsi nullam negaret veritatem, neque Dei supremi existentiam, ut judaeorum exemplum ostendit, neque providentiam, neque praecepta justitiae (6); ergo.

126. Resp. ad 1. *D.* Id est, aliqua species idololatriae, *C.* idololatria universim sumpta *N.* Cultus spirituum et heroum erat utique unus ex ramis idololatricae superstitionis, sed non constituebat totam idololatriam. Scriptura enim testatur ethnicos coluisse, et quidem cultu absoluto, solem, lunam, lapides et lignum, et ab ipsis petiisse beneficia, liberationem a malis, etc. Haec porro erat idololatria multitudinis; recolantur probationes.

127. Ad 2. *N.* Si enim hoc ostensum esset, demon-

(1) Ibid. pag. 107 et 108.

(2) Ibid. (pag. 110 et 111): « Il est difficile que l'on s'entende soi-même, quand on prétend que les païens attachaient à ces divers esprits la vraie notion de la divinité. Qu'on veuille bien y réfléchir : l'unité n'entre-t-elle pas nécessairement dans cette notion ? Il faudrait donc dire que les hommes croyaient à la pluralité d'un Dieu unique ».

(3) Pag. 111, n. 8 : « Comment les païens croyaient-ils à plusieurs dieux, s'ils n'avaient pas la notion de Dieu » ?

(4) In Historia Manicheismi, lib. IX, cap, 4, tom. II, pag. 654 et 655.

(5) In *Dictionario philosophico*, art. *Religio*, quaest. II. pag. 113 ad 115.

(6) Pag. 152 : *On pouvait être idolâtre sans nier aucune vérité.*

stratum pariter fuisset Scripturam sanctam nos decipere, dum affirmat homines coluisse deos, qui oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, habent os et non loquuntur; neque dixisset pariter Psalmista: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (1).

128. Ad 3. *D.* Si admitteretur, ut contendit adversarius, ethnicos alligasse veram notionem divinitatis diis suis, *C.* tunc enim haberetur contradictio in terminis; si contra admittitur, ut admittendum revera est, una cum omnibus patribus et theologis, ethnicos veram amisisse divinitatis notionem, dum admiserunt plures deos *N.* Etenim omnes patres ac theologi demonstrarunt, sive ex Scriptura, sive ex factis et documentis luculentissimis, viguisse polytheismum proprie dictum apud veteres paganos, prout etiamnum existit apud nostrae aetatis idololatras. Quo posito, necessario jam sequitur polytheistas reipsa veram divinitatis notionem amisisse; alioquin in ejusmodi absurdam opinionem nunquam delapsi fuissent, ut admitterent pluralitatem deorum. Quod si idea unius Dei supremi nunquam penitus obliterata est, repeti id debet a testimonio, quod vocat Tertullianus animae naturaliter christianae, sive a rationis lumine, quod nunquam extinctum est. Verum homines non semper, imo habitualiter non attendebant ad ejusmodi conscientiae dictamen, et ad illas veritatis veluti reliquias quae ab ipsis penitus in corde servabantur; insuper, dato etiam quod attenderent, niholominus ehu nimis compertum est homines non semper sibi cohaerere (2).

(1) Psalm. CXIII, 8.

(2) Hujus erroris refutationem jam praeoccupavit doctissimus Suarez, (*De religione*, tom. I, tract. III, lib. I, cap. 4, n. 12), qui cum sibi objecisset gentiles, inter deos majores et minores unum supremum, quem Jovem appellabant, agnovisse, cui soli verum cultum tribuebant, ita prosequitur: « Respondeo de facto ipso satis constare gentes errasse, sacrificando pluribus diis, ac subinde unumquemque ex illis diis tanquam verum Deum, seu quod idem est, sub aliqua ratione supremae excellentiae colendo. Unde verisimile est

129. Ad 4. *D.* In se, *C.* subjective, seu prout apprehenditur ab humana mente, dum a vero deflectit *N.* Hoc solum ad summum eruitur, eorum errorem non fuisse invincibilem, quia si cupiditatibus liberi et praeconceptis judiciis vacui attendissent ad veram Dei notionem, potuissent suum errorem detegere, ut plures reipsa philosophi eum detexere. Hinc evanescit illa battologia de fide in pluralitatem unius Dei, quia supponit quod est falsum, polytheistas nempe semper notionem veram divinitatis habuisse. In altera observatione, quod ethnici non credidissent *deos* absque notione *Dei*, permiscet auctor, quem impugnamus, Dei existentiam cum vera notione divinitatis; primam utique omnes admittebant gentes; alteram autem, generatim saltem, amiserant.

130. Ad 5. *D.* Protestantes, ut inde possent insimulare ecclesiam catholicam idololatriae in cultu imaginum, et philosophi, nempe increduli, qui nihili faciunt Scripturam et patres, *C.* Catholici, *subdist.* ex iis nempe qui non verentur a Scripturae, patrum, concilii Tridentini auctoritate et communi sententia recedere, ut propria et singularia inventa sectentur, *Tr.* ceteri *N.* Nam catholici theologi refellerunt protestantes contendentes cultum idololatricum non fuisse nisi relativum, ut patet ex eorum tractatibus de cultu Sanctorum, incipiendo a Bellarmino usque ad nos. Proinde adversarius noster habeat sibi consentaneos Beausobre et Voltaire; nos autem cum communi catholicorum doctrina, innixa auctoritati Scri-

credidisse unumquemque Deum in aliquo munere seu praesidentia et efficacia circa res aliquas habere supremam vim et potestatem, etiamsi alii dicerentur majores, alii minores, juxta dignitatem rerum, quibus praesidebant; vel certe multi gentilium, praesertim commune vulgus, coeca quadam ignorantia et falsa traditione ac fide ducebantur, putantes singulis rebus vim quamdam invisibilem ac supremam praesidere, ideoque supremo cultu esse colendam, sine ulla relatione ad unum supremum creatorem et gubernatorem omnium, nec discurrebant, quomodo id fieri posset, aut quomodo sine uno supremo numine et progenitore mundus posset subsistere ».

pturae, patrum et concilii Tridentini contrarium tenemus, abhorrentes ab ejusmodi novitatibus (1).

131. Ad 6. *D.* Eadem nempe ratione, qua quis potest esse islamita, non negando interius christianismum, *C.* alias *N.* Idololatria enim erat evidenter professio polytheismi, et per consequens negatio unitatis Dei; nec dubitari potest quin multitudo sive massa idololatrarum professa fuerit interius, non secus ac exterius, polytheismum; alioquin dicendum foret universam terram totidem hypocritis quot polytheistis plenam fuisse. Ad exemplum vero judaeorum, quos affirmat auctor noster tenuisse unius supremi Dei existentiam, una cum cultu idololatrico, dico hoc aperte repugnare Scripturae testanti, et quidem saepe, illos idololatras Deum deseruisse. Sic Deut. XXXII, 18: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui*; et Psalm. CV, 19 et seq: *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, et obliti sunt Deum, qui salvavit eos;* Jer. II, 5: *Elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem* (id est, idola), *et non dixerunt: Ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti?.. Effunde iram tuam in gentes, etc.*; Jud. X, 6.: *Filii Israël... servierunt idolis, Baalim et Astaroth, et diis Syriae ac Sidonis et Moab, et filiorum Ammon et Philisthiim; dimiseruntque Dominum, et non coluerunt eum;* ibid. 10: *Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, et servivimus Baalim*; et V, 16: *Alienorum deorum idola projecerunt, et ser-*

(1) Prae oculis habendum est gravissimum monitum Gregori XVI, qui in sua Encyclica emissa, VII, Kal. Jul. 1834, adversus opusculum: « Paroles d'un croyant »: « Probe autem, *inquit*, intelligitis, Venerabiles Fratres, nos hic loqui etiam de fallaci illo, haud ita pridem invecto, philosophiae systemate plane improbando, quo, ex projecta et effraenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur, sanctisque et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, futiles incertaeque nec ab Ecclesia probatae adsciscuntur, quibus veritatem ipsam fulciri, ac sustineri vanissimi homines perperam arbitrantur ».

vierunt Domino Deo. Quae quidem omnia, hisque similia, cum assertione auctoris componi nequeunt.

132. II. Obj. 1. Haud ita stupidi fuisse ethnici dicendi sunt, ut non intelligerent Deum alium esse quam ligna et lapides, 2. patet ex eo, quod ipsi mutarent simulacra pro arbitrio, cum tamen deos non mutarent, unique Deo multa simulacra ponerent. 3. Quod si prophetae passim judaeis et gentilibus fornicationes cum ligno et lapide exprobrare non desinebant, ratio est, quod Deum in ligno et lapide carnaliter venerabantur (1). Hinc, 4. cum gentiles a christianis tantae stupiditatis arguerentur, respondebant se non ita habetes fuisse : *Nam neque nos aera, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa constant, eas esse per se deos, et religiosa decernimus numina; sed eos in his colimus, eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris* (2); ergo.

133. Resp. ad 1. *D.* Omnes, *Tr.* plerique, seu multitudo *N.* Contra factum et documenta conjecturae nihil valent. Porro factum istud certissime constat ex dictis in probationibus; nunc addimus auctoritatem s. Augustini, qui in libro *De doctrina christiana*, cap. 7 : *Fateor*, inquit, *altius demersos esse, qui opera hominum deos putant, quam qui opera Dei*; et infra : *Illi simulacra venerantur vel tanquam deos vel tanquam signa et imagines deorum.* En igitur cultum absolutum idolorum, quem multorum fuisse idem testatur s. Doctor in Psal. CXIII, et epist. 49, et cultum quorumdam relativum, non quidem Dei, sed *deorum.* Tertullianus, *Apologet.* cap. XII, asserit deos gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus quam patiantur christiani, cum occiduntur, quod eos nolint adorare (3).

(1) Ita Calvinus, *Inst.* lib. 1, cap. 11, § 9 et seqq.

(2) Apud Arnobium lib. VI, n. 10, in *Bibliot. Patrum* Gallandi, tom. IV.

(3) Integrum textum superius dedimus. Alia plura recolantur apud Bellarminum, loc. cit. cap. 13.

134. Ad 2. *D.* Si homines sibi semper constarent in erroribus suis, *C.* secus *N.* Quanquam nihil vetat quominus dicamus ethnicos, qui eo stupiditatis devenerant, ut ligna et lapides putarent deos, eo pariter devenisse, ut sibi persuaderent se posse deos sibi efformare vel destruere. Addatur multitudinem ut plurimum ex habitu et consuetudine agere, quin attendat ad consecutiones et ad rectitudinem cujuspiam facti, cui ab infantia assuevit, neque nos debere ex ideis, quas habemus, judicare de agendi ratione ethnicorum, in tanta praesertim caecitate ac perversitate, quanta detinebantur tunc temporis.

135. Ad 3. *Neg.* ex duplici capite; 1. quidem, quia falso supponit Calvinus, qui hoc asserit, judaeos vel gentiles reipsa plures non coluisse deos; quod tamen ut ex dictis patet, perspicue falsum est; 2. quia pro certo sumit sive judaeos sive ethnicos per illa simulacra non intendisse nisi veri Dei imagines sibi fingere, quod pariter est aperte falsum; alioquin non dedisset Elias (III Reg. XVIII, 21) optionem israëlitis Deum sequendi, quem ipsi maluissent, dicens: *Usquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum*; quae prorsus inepta fuisset, si aeque verus Deus esset sive Deus Israëlis sive idolum Baal. Confer praeterea Deut. XXXII, 17; Jud. X, 6. Neque dicerentur israëlitae serviisse *diis alienis*, si in simulacris verum Deum coluissent (1).

(1) Sic enim loc. cit. libri Judicum legitur: « Filii Israël ... fecerunt malum in conspectu Domini, et servierunt idolis Baalim et Astaroth, et diis Syriae ac Sidonis, et Moab filiorum Ammon et Philisthiim; dimiseruntque Dominum et non coluerunt eum ». Caecus sit oportet, qui non videat hic non agi de effigie unius veri Dei, ut autumant adversarii. Sic III Reg. XV, 13, Asa rex Juda: « Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi .... et confregit simulacrum turpissimum, et combussit in torrente Cedron ». Non puto dicturos esse adversarios ejusmodi simulacrum Priapi fuisse effigiem veri Dei. Quare vel ipse Jahn, qui tamen, hac etiam in parte, neotericorum biblicorum protestantium vestigiis insistit, fatetur duplicis generis occurrere in bibliis simulacra,

136. Ad 4. *D.* Hoc respondebant *nonnulli*, ut vidimus ex Athenagora, et quidem ut a christianorum argumentis se subducerent, *C.* omnes, ac independenter ab ejusmodi exprobrationibus *N.* Rubore utique suffusi, nonulli ethnici hanc evadendi rationem invenerunt, ac mythologiam exponere diversimode nisi sunt, sive de diversis Dei attributis, sive de mundi partibus; ast sero nimis. Interim multitudo pergebat idola sua colere sive ut numina, sive ut numinum sedes; hinc loc. cit. prosequitur Arnobius: *Non improba neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardus necnon et prudentissimus credere deos, relictis sedibus propriis, id est caelo, non recusare nec fugere habitacula inire terrena, quinimo jure dedicationis impulsos, simulacrorum coalescere junctioni. In gypso ergo mansitant, atque in testulis dii vestri; quinimo testularum et gypsi mentes spiritus atque dii sunt.* En semper polytheismum et idololatriam proprie dictam (1).

alia Jehovae et alia deorum, quae praesertim in historia regni Israël, II Reg. (nobis IV Reg.) X, 29; XIII, 2, 11; XIV, 24. Quod tamen falsum est, cum in citatis locis tantum sermo sit de vitulis aureis erectis a Jeroboamo, quos Jahn pro certo sumit non fuisse nisi simulacra unius veri Dei, scilicet Jehovae, contra expressum testimonium libri III Regum XIV, 9, ubi propheta ex Dei nomine graviter objurgat Jeroboam ob vitulos ab illo erectos, vocatque eos non, ut autumat Jahn, simulacra veri Dei, sed *deos alienos et conflatiles*; sic enim ait: « Operatus es mala super omnes, qui fuerunt ante te, et fecisti tibi deos alienos et conflatiles, ut me ad iracundiam provocares » ... Nunc quaerere praestat, num Jahn, potius quam Scripturae contrarium asserenti, fidem adhibere debeamus. Idola, proprie sic dicta, diversis nominibus occurrunt, quae interdum permutantur. Communia omnibus nomina sunt סֶמֶל et תְּמוּנָה *effigies et simulacrum*; ast פֶּסֶל vel פְּסִיל proprie est sculptile, etc. Jahn, *Archaeol. bibl.* pars III *Sacra Arch.* § 127, p. 481, edit. Vien. 1805.

(1) In actis mart. saepissime mentio occurrit pluralitatis deorum, quos christiani colere recusabant, atque idcirco morte mulctabantur; inter cetera unum seligo exemplum, ex *Hist. eccl.* Eusebii, lib. VII, cap. 11, edit. Valesii, ubi refert, ex publicis actis martyrium ss. Dionysii, Fausti, Maximi, Marcelli et Chaeremonis. Cum Aemilianus praefectus adhortatus esset christianos ad deos colendos, Dionysius respondit: « Non omnes ab omnibus coluntur dii; eos singuli colunt, quos arbitrantur deos. Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano et Gallieno sacratissimis Augustis imperium tradidit, colimus et adoramus ... Aemilianus ite-

PROPOSITIO III.

Absurdum est Dualistarum systema, ac malorum origini explicandae impar

137. A remotissima antiquitate et apud plures orientales populos, persas praesertim, obtinuisse dualismi systema historica monumenta evincunt (1). Ab orientali theologia ejusmodi doctrinam in christianam religionem derivare conati sunt basilidiani, valentiniani, carpocratiani, cerdoniani ac marcionitae, qui totidem erant gnosticorum surculi. Manes, a quo manichaei, in Zoroastri schola enutritus, tertio saeculo in finem labente (2), persarum dogmata amplexus est, ac magorum instituta cum religione christiana conciliare est aggressus. At cito ab ecclesia pulsus fuit. Manichacismus diu perduravit (3);

rum dixit: Quis vero vos prohibet, quominus et hunc, si quidem Deus est, cum iis, qui natura sunt dii, adoretis? Deos enim colere jussi estis; eosque, quos cuncti norunt deos; *textus habet*: » Τίς γὰρ ὑμᾶς κωλύει καὶ τοῦτον, εἴπερ ἐστὶ Θεός, μετὰ τῶν κατὰ φύσιν θεῶν προσκυνεῖν; θεοὺς γὰρ σέβειν ἐκελευόσθητε· καὶ θεοὺς οὓς πάντες ἴσασι. Et en, quomodo plures et quidem *natura* dii ex communi sententia admitterentur et colerentur.

(1) Plutarchus in tract. *De Iside et Osir.* pag. 190.

(2) Cfr. Bergier, *Diction. théol.* art. *Manichéisme*.

(3) Ibid. Notum est, in occidentales etiam partes, medio aevo longe lateque diffusos manichaeos fuisse, qui deinceps sub albigensium, et postea henricianorum, petrobruisianorum, poplicanorum, catharorum, etc. nomine rursum prodierunt; qui, etsi fundamentalem articulum de duobus principiis visi sunt deseruisse, attamen semper proprios ejusdem sectae errores, sive circa incarnationem, sive circa sacramenta, tum quoad aversionem a cultu Sanctorum, Crucis et imaginum, odium adversus ecclesiae catholicae doctores servaverunt. Cum vero ex iisdem sectariis prodierunt postea protestantes, qui gloriantur ejusmodi parentibus, ratio patet, quare plures ex ipsis manichaeorum susceperint patrocinium, inter quos eminet Beausobre in sua *Histoire critique de Manichée*. Indidem etiam apparet, quaenam sit genealogia protestantismi. Cfr. Bergier loc. cit.; cons. Alticotius S. J. in opere *De antiquis novisque manichaeis*, cap. XI, pag. 81. Theodoretus refert errores Manetis, *Haereticarum fabularum*, lib. I, haer. XXVI, et s. Epiphanius, *Adversus haereses*, lib. II, haeresi LXVI, edit. Petavii; ubi n. 25 refert Manichaei impia dogmata ex Archelai Episc. Mesopotamiae scriptis, qui eum coram ita confutavit, ut veterator de-

non tamen omnes Manetis discipuli ipsius principiis adhaeserunt, sed, ut fieri consuevit inter haereticos, in diversas sententias abierunt (1).

138. Etsi vero duorum principiorum dogma error fundamentalis fuerit harum sectarum, aliter tamen ab aliis exponebatur; ac mira semper extitit inter eas sectas discrepantia, tum circa naturam, tum circa originem et operationes entium istorum. Alii enim ex his sectariis contendebant esse improducta ambo, ac proinde aeterna atque independentia ab invicem; alii autem principium mali productum asserebant (2).

139. Verum quaecunque demum fuerit germana illo-

bucrit fugam arripere. Cons. notas Petavii in haer. LXVI. Laur. Zacagni disputationem Archelai cum Manete protulit in sua *Collect. monument.* P. I. Vera dogmata manichaeorum tradit etiam s. August. in libris adversus manichaeos editis, praesertim vero in libris *Adversus Faustum*; Titus Bostrensis in libris tribus, qui inveniuntur in *Bibl. Patrum*, tom. IV, pag. 443, edit. Lugdunensis.

(1) Theodoretus apud Bergier art. cit. supra LXXII sectas manichaeorum recensuit, quae sibi invicem adversabantur.

(2) Certum videtur, omnibus perpensis, plerumque veteres duslistas, manichaeis non exceptis, saltem nomine tenus, unum Deum admisisse, non autem duos, ut vulgo traditur; id constat tum ex ipsorum professione, tum ex antiquorum auctoritate. Etenim Faustus apud s. Augustinum (*Contra Faustum* lib. XX, cap. 2) protestatur manichaeos unum Deum colere: « Nos, *inquit*, Patris quidem omnipotentis et Christi Filii ejus, et Spiritus Sancti unum idemque, sub triplici appellatione, colimus numen ». Titus Bostrensis in *Biblioth. Patrum*, tom. IV, pag. 297, fatetur manichaeos odisse principium malum, etsi par Deo facerent. Sic enim scribit: « Non solum Malum collocat (Manes) in ordine aequali Deo, tanquam hoc honorare velit, quod scilicet odit ». Hinc neque s. Augustinus unquam exprobrat manichaeis quod adorarent principium malum, quamvis ipsis exprobraret quod de principio malo Deum facerent, ei tribuendo potestatem quae soli Deo competit; at hoc ex consequenti, ut ajunt. Imo non videntur veteres dualistae ex alta divinitatis idea, quam animo conceperant, eo devenisse, ut duo constituerent principia. Nempe ipsis horrori erat Deo, sive mediate sive immediate, mali originem adscribere, excogitarunt propterea principium, diversum a Deo, cui mala tribuerent. Id testatur s. Epiphanius, *Haeresi* LXVI, nec non s. Hieronymus in *Commentariis in Nahum*, cap. 5, cujus verba haec sunt: « Inde Manichaeus, ut Deum a conditione malorum liberet, alienum mali induxit auctorem. Eadem habet Titus Bostrensis, loc. cit.; idipsum colligitur, relate ad valentinianos et marcionitas ex scriptis, quae s. Irenaeus et Tertullianus adversus hos haereticos ediderunt. Ex quo colligimus recentiores novatores deteriores esse gnosticis et manichaeis, dum veriti non sunt Deum mali auctorem praedicare.

rum doctrina, quae obscuris tenebris involuta est; in utraque hypothesi facile est ejusmodi systema evertere.

140. Etenim, ex dictis in propositione 1. Dei notio, necessario poscit, ut unicus sit et singularis; si autem duo principia ponerentur increata et independentia, necessaria proinde ac aeterna, quorum unum esset omnium bonorum principium, alterum autem malorum, jam duo dii essent, ideoque ipsa Dei notio destrueretur. Praeterea 2. pugnat cum eadem Dei notione, ut duo ponantur principia independentia quorum videlicet unum non pendeat ab altero, duo enim dii darentur aequales, neuter summus esset, ac proinde neuter Deus. 3. Si ambo necessaria et absoluta essent haec principia, et aequali potestate praedita, in pari conflictu nihil operarentur. Atque ut alia absurda praetercam, quae ex tali hypothesi sequerentur, quaeque veteres ecclesiae patres urgebant adversus diversos recensitos sectarios (1), ex revelatione scimus, unum Deum esse rerum omnium conditorem et principium, cui auctori Scripturae tribuunt omnia mala physica, ut legitur Deut. XXXII, 39: *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo*; et Isaïae XLV, 6, 7: *Ego Dominus, et non alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum; ego Dominus faciens omnia haec*; Tob. XIII, 2: *Quoniam tu flagellas et salvas, deducis ad inferos et reducis.* Malum autem morale oritur ab ipsa creatura deficiente a lege seu regula morum.

141. Quod si ponatur dependens ac productum mali principium, jam Deo bono subest, nec quidpiam moliri potest, nisi quatenus a Deo ipsi permittitur, ipsumque dualistarum systema hoc ipso evertitur. Addo ex igno-

(1) Cons. s. Epiph. loc. cit. et s. Aug. tom. VIII, opp. edit. Maur.

rantia bonae philosophiae, ac praesertim physices, absurdam hanc doctrinam esse ortam.

142. Ex his porro rationum momentis altera etiam propositionis pars necessario colligitur, inutile nempe ac impar prorsus esse dualistarum systema malorum origini explicandae. Etenim, eo semel constituto, cum utrumque principium ex naturae necessitate ageret, nulla ratio assignari posset, cur tot numero et gradu bona ac mala essent, si pari virtute seu vi agerent ejusmodi sibi adversantia principia; quod si alterum alteri praevaleret, vel sola bona vel sola mala reperirentur; nisi velimus ex condicto ac inito foedere sic temperare bonorum malorumque distributionem, ut paria haec effluant et exsurgant, quod absonum omnino est et absurdum in iis, quae necessitate naturae agere supponuntur.

143. Ast praeterea in tanto, quo versamur scientiarum physicarum progressu, inutile deprehenditur ejusmodi commentum, quod nonnisi ex earum ignoratione profluxit; nemo enim in praesentia est, modo vel a limine physices disciplinas salutaverit, qui nesciat ex earumdem legum physicarum simplicitate ac unitate oriri phaenomena, quae inter se videntur contraria, ita ut ejusdem legis vi, qua producuntur effectus nobis salutares, prodeant ii, qui nobis nocent (1). Hinc non duplex, sed unum idemque est proximum principium, et quidem physicum, boni ac mali, seu illorum phaenomenorum, quae nos relative bona ac mala vocamus.

144. Et haec quoad bona vel mala physica. Quod enim attinet ad bona vel mala moralia, ut jam adnotatum est, haec nonnisi a bono vel malo usu libertatis proveniunt; et si de malo speciatim sermo sit, hoc oritur ex creatu-

(1) Ex. gr. calore, vitae animantium et stirpium necessarius, non raro et molestas sensationes et alia parit incommoda. Caloris effectus est evaporatio, et ex hac procedunt pluviae, rores, fontes, etc. Sed ex hac etiam grandines, inundationes, etc.; id ipsum dicatur de effectibus electricitatis, chimicarum affinitatum, etc.

nsito malo metaphysico, quod in limitatione consi-
quo fit ut errare et deficere a regula possit (1).

5. Cum igitur undequaque repugnet dualistarum sy-
ı, cum impar omnino sit explicandae malorum ori-
ac prorsus inutile, sequitur, omnes difficultates,
ab adversariis, Bayle praesertim, urgentur adver-
sali permissionem, ad summum non nisi mentis no-
angustias evincere, quae assequi nequit, quomodo
infinite bonus voluerit sic universum constituere,
o tot mala, sive physica, sive moralia dominan-
Nos ex facto colligimus sic Deum potuisse se gere-
alva sua bonitate, justitia et sanctitate. Etenim ex
parte notio nobis insita Dei velut entis sanctissimi,
tissimi et optimi destrueretur, si supponeremus quid-
ipsum potuisse aut posse velle ac permittere, quod
naret summae bonitati ac sanctitati; ex altera, tot
, tum moralia, tum physica, quibus premimur,
mur. Concludendum igitur est non repugnare Deum
um atque sanctissimum ista velle aut permittere,
tionem minime assequamur, qua duo haec com-
nter se possint.

. Duo praeterea prae oculis semper habenda sunt

alum metaphysicum signifi-
tiam perfectionis illius, quae
lebita naturae entis, ex Sua-
ph. disp. XI, sect. IV, n. 3,
observat *acceptionem istam*
propriissimam esse, nec ma-
d Patres et philosophos us-
ipsius tempora considerasse,
ervarunt, in communi usu
, non appellari malam rem
per hoc dumtaxat, quod ca-
ctione aliqua. Haec enim est
naturae cujuscumque crea-
per hoc quod careat per-
sibi debita. « Quis, *inquit*
. (1 p. q. XLVIII, a. 3),
m aliquam esse malam, quia
t bonum alterius rei, ut ho-
sse malum, quia non habet
fortitudinem leonis? » Wolfius fuse ostendit ex illo malo nihil inferri posse contra bonitatem Dei (*Manichae.* Sect. III, n. 16, p. 379). Cfr. Leibnitzius (*Essai de Théodicée*, p. 1, n. 21, pag. 132), quem secutus est Ant. Genuensis (*Elem. metaph.* part. III, cap. 4, prop. 25). Wolfius loc. cit. hujusmodi malum vocavit malum metaphysicum; Kingius vero (*De origine Mali*, cap. 2, n. 20, et Moshemius (in notis ad Cudworth, cap. 4, § 13) vocant *malum imperfectionis*, Hooke (*Princ. relig. natur.* tom. 1, sect. 1, art. 2) *malum defectus*, alii demum *imperfectionem negativam*. Cfr. Spagni in opere *De bono, malo et pulchro*, Romae 1766, *De malo*, sect. 1, art. 3.

ad dissolvenda Baylii sophismata: 1. Deum non teneri ad optimum, alioquin tolleretur ipsius libertas, et omnes pariter creaturas suas rationales ac intelligentes in summo beatitudinis seu felicitatis apice constituere debuisset, qnod absurdum est. Quod si ad summum istum perfectionis ac felicitatis gradum evehere creaturas suas non tenetur, nulla ratio sufficiens assignari potest, propter quam in hoc potius, quam alio perfectionis gradu sistere debeat; cum et ipse, quocumque tandem sistat, altiorem tenere perpetuo queat, et creatura, quemcumque assecuta fuerit, eminentiorem quem non obtinuit, optare semper possit (1). Hinc eo ipso, quod gradus isti indefiniti sint, et Deus ad summum non teneatur, ita li-

(1) Hanc theoriam clarissimo in lumine posuit Alex. Zorzi in suo *Prodromo della nuova enciclopedia italiana*, Siena 1779, art. *Libertà*, n. 20, 21, 22, 23. Sic enim loquitur n. 20: « Io convengo che Dio sia necessariamente determinato al migliore, o vogliam dire all' ottimo, dove l'ottimismo v'è ed è possibile. Ma dove l'ottimo non v'è, o non è possibile, allora è che Dio può scegliere qualunque de'due o più termini, rappresentati necessariamente dal divino intelletto con un perfetto equilibrio. A maggior chiarezza io distinguerò due casi diversi. Il primo quando i termini della scelta sieno rappresentati come perfettamente simili. Qui l'ottimo non vi è: e questo *caso* da alcuni filosofi chiamasi *parallelo*. Il secondo quando i termini compongono una serie infinita, in cui il termine che siegue sia sempre migliore di quello, che lo precede. Qui l'ottimo non è possibile: e questo lo chiamerò appunto il caso della serie infinita. *Deinde exposito primo casu, pergit ad secundum, dicens*: Iddio vuol creare il mondo. Ma un mondo assolutamente ottimo, e vale a dire un mondo infinitamente perfetto, è impossibile. Basta dunque che Dio dia al mondo, che vuol creare, un grado di perfezione finita... Presentasi dunque questa serie positiva infinita all' intelletto divino. E poichè i due limiti di essa, il zero e l'infinito sono impossibili, resta che la volontà divina scelga l'uno de'termini medj, che noi spiegheremo appunto coi numeri naturali. Ma quale ne sceglierà? Sia per esempio il cinquanta. E perchè non il cinquantuno, che certamente è migliore? E se il cinquantuno, perchè non il cinquantadue, che d'un grado lo supera? e se questo, perchè non il cinquantatrè, anzi il cento, il mille, e così all'infinito? Quindi è chiaro, che quantunque tutti i termini della serie sieno trà lor disuguali, nondimeno come non è possibile sceglierne un tanto buono, che non ve n'abbia sempre un migliore, così ugualmente, tranne però i due limiti, divengono indifferenti di una indifferenza perfettissima d'equilibrio, del pari che se tutti fossero uguali. Iddio però potea scegliere qualsisia degli universi possibili: e che uno ne abbia scelto, l'esistenza del mondo lo manifesta ».

ber est, ut aeque possit in quolibet istius scalae, ut ita dicam, gradu consistere.

147. 2. Animadvertere debemus, nos neque posse, neque debere ut judicemus de iis, ad quae Deus tenetur, mensuram ac normam capere ab eo, quod praestare tenetur creatura finibus circumscripta. Haec enim bona *quandoque* (1) censeri nequit, si quidquid potest boni in alteram creaturam non conferat, praesertim si vel peculiari lege vel obligatione naturali ad id obstringatur; cujusmodi sunt ii omnes, quibus aliorum cura demandata est vel a natura ipsa, vel ab aliqua lege positiva, ut omnes provisores particulares. Deus enim utpote infinite bonus ac potens, hoc ipso non adstringitur ad bonum omne, quod tribuere potest, conferendum, nisi velimus admittere absurdum illud jam expositum, absolutum nempe *optimismum*, qui limites figeret ejus omnipotentiae, ultra quos ipse progredi non posset; Deus praeterea cum sit provisor universalis, potest permittere defectus in partibus sui operis propter bonum totius universi (2).

148. Huc accedit discrimen ingens inter Deum et creaturas, quum Deus possit ex malis bona eruere, quod assequi nequit simplex creatura; hinc illud Augustini effatum: *Melius enim* (Deus) *judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere* (3).

149. Quae si probe teneantur, difficile jam non erit,

(1) Dixi *quandoque*: nam non videtur admitti posse principium absolutum Bergier, qui statuit, seu pro certo sumit, bonam non censeri creaturam, quae in alteram *totum bonum quod potest* non conferat. Cum enim nulla lege vel obligatione, sive naturali vel positiva, quispiam teneatur *totum quod potest bonum* in alterum conferre, non video, quomodo aliquis dici non possit bonus, si omne bonum quod potest alteri non praestat. Quod si homo non tenetur ad optimum, multo minus tenetur Deus.

(2) Quo sensu mundus praesens possit dici optimus, fuse exponit Andr. Spagni, in *Diss. de mundo*, prop. III, sect. I, in-4, Romae 1770. Cfr. s. Thom. p. I, q. XXII, art. 2.

(3) *Enchiridii*, cap. 27.

per eorum applicationem adversariorum objectis occurrere, eaque singillatim disjicere.

DIFFICULTATES

150. I. Obj. a veteribus dualistis: Aeternum ac summum aliquod mali principium divinae ipsae Scripturae agnoscunt; 1. sic Amos III, 6: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*; 2. Ecclesiastici XXXIII, 15: *Contra malum bonum est... duo et duo et unum contra unum*; et rursum ibid. XLII, 25: *Omnia duplicia, unum contra unum*; quare 3. Christus Joan. XII, 31: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; et Apostolus II. Cor. IV, 4: *Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium*; ergo.

151. Resp. *N. A.* Scriptura enim tota in eo est, ut inculcet absolutum monotheismum. Ad 1. Dico hic Amos loqui de malo poenae, ut exponit s. Augustinus (1), et patet ex contextu et scopo prophetae, qui est arguere hebraeos de patratis sceleribus, propter quae Deus in eos animadversurus praedicitur illis afflictionibus et calamitatibus, quibus premebantur.

152. Ad 2. Resp. in allatis Ecclesiastici textibus sermonem esse de bonis ac calamitatibus, quibus universa haec terra nostra, imo et hominum vita, quadam veluti permixtione constituitur, quaeque proveniunt ex ipsa rerum natura, seu conditione creaturarum, quae suis limitibus circumscribuntur, ac proinde *relative*, ut expositum est, possunt esse vel bonae vel malae (2).

(1) *Lib. contra Adimantum manich.* cap. 26: « Malum, *inquit*, hoc loco non peccatum, sed poena intelligenda est. Dupliciter enim appellatur malum, unum quod homo facit, alterum quod patitur; quod facit, peccatum est; quod patitur, poena,... ita homo male facit quod vult, ut male patiatur, quod non vult ».

(2) Cfr. Tertull. *Adv. Marcion.* lib. II, c. XIV: « Quae quidem (poenae) illis, *inquit*, mala sunt quibus rependuntur: ceterum suo nomine bona, qua justa et bonorum defensoria, et delictorum inimica, atque in hoc

153. Ad 3. *D.* Nempe diabolus, ad quem debellandum venit Christus, quique mentes infidelium excaecat, seu suasionibus suis eos male dispositos a veritate retrahit, *C.* princeps ac Deus proprie dictus *N. Dicitur autem diabolus*, inquit s. Thomas (1), *esse Deus hujus saeculi, non creatione, sed quia saeculariter viventes ei serviunt; eo modo loquendi, quo Apostolus utitur* (Philip. III): *Quorum Deus venter est.*

154. II. Obj. Si unicus et quidem bonus Deus admittatur, jam explicari non potest existentia mali moralis. Si enim 1. Deus bonus est, vel non debuisset concedere suis creaturis libertatem, qua abusuras ipsas praeviderat, cum tanta ipsarum pernicie temporali et aeterna, ac tanto dedecore suo, quum culpa sit maximum ipsius dehonestamentum; vel ipsas iis 2. saltem debuisset munire gratiae praesidiis, quibus creaturae rationales instructae, tum liberae essent, tum a peccato immunes. Ea 3. nobis insidet Dei boni, imo optimi, idea, ut intelligi a nobis nequeat, quomodo, cum possit a creaturis suis mala omnia avertere, non solum non avertat, sed malis omnibus temporalibus et aeternis eas penitus obrui permittat. 4. Quod si dicatur Deus non sibi proposuisse ut finem, in condendis creaturis liberis, bonum peculiare ipsarum creaturarum, sed gloriam suam, quae major exurgit ex mali moralis permissione ob exercitium suorum attributorum, praecipue vero misericordiae atque justitiae, ejusmodi effugium multiplici ratione intercipitur; tum *a*) quia indignum Deo bono est quaerere gloriam suam tanto creaturarum suarum detrimento; tum *b*) quia eamdem, imo longe majorem obtinere ac consequi posset gloriam ex felicitate earumdem creaturarum, patefaciendo quid ipsis contingere potuisset, si in alio rerum ordine eas collocasset; tum *c*) denique nullomodo ad-

ordine Deo digna ». Energice idem prosequitur capitibus sequentibus.

(1) 1. p. q. LXV, art. 1.

mitti Deus conferens libertatem cum praeviso ipsius abusu, quin ipse particeps censeatur et auctor saltem remotus ejus mali, cujus ipse causam, licet deficientem, posuit; quemadmodum auctor et complex necis filii censeretur pater, qui dedisset ei ensem, cum praevisione, imo sola probabilitate ipsius abusus; quemadmodum mater, quae ad choreas filiam duceret, ex quibus vel suspicari potuisset ejusdem filiae seductionem, et ita porro (1); ergo.

155. Resp. *N. A.* ut patet ex dictis in probationibus. Satis est enim ad mali moralis existentiam explicandam defectibilem creaturae intelligentis conditionem supponere; porro eo ipso, quod nulla creatura esse possit infinite perfecta, ei malum metaphysicum jam necessario adhaeret, quod in ipsa limitatione consistit. Ex hac autem limitatione sequitur omnem creaturam rationalem ignorantiae et errori obnoxiam esse posse ex parte intellectus, et deficientiae ab honestate ex parte voluntatis; quo fit ut certa regula morali indigeat, qua possit tuto finem suum assequi. Jam vero creaturae rationales, ut sunt essentialiter intelligentes, ita sunt essentialiter liberae, adeoque etiam adversus vitae regulam, benignissime eis a Deo datam, agere possunt. Hoc vero malum morale est. Malum igitur morale non est nisi per creaturam liberam, nec exigit nisi causam deficientem seu defectibilem et limitatam. Hic igitur totus controversiae cardo evolvitur, utrum nempe Deus potuerit creaturam intelligentem ac limitatam condere, et utrum bonitate sua adigatur ad eam exteriori aliquo praesidio ita muniendam, ut deficere illa non possit. Nos primum affirmamus, alterum negamus. Affirmamus primum, quia nihil impedit, quominus Deus optimus possit efficere, quod non repugnat, et in se bonum est, et quod

(1) Bayle, *Dictionnaire*, art. *Paulicens*; eadem refricat in aliis art. *Manichaens*, *Origene*, *Marcionites*.

exposcit ipsa creaturae notio atque conditio. Alterum negamus, quia nulla lege Deus optimus adstringitur ad largiendum bonum aliquod extrinsecum, quod scilicet non exposcit ipsa creaturae notio atque conditio. Quod si Deus ejusmodi bonum addit, id ex mera liberalitate facit, quae proinde nullam importat obligationem, et diversos gradus habere potest, ut ipsa liberalitatis idea evincit. Sed jam ad singulas probationes.

156. Ad 1. *Neg.* ob allatas rationes. Cum agatur de re in se bona, et qua bene utens creatura potest semper ulteriorem felicitatem acquirere. Nec Deus tenetur ob abusum accidentalem, licet praevisum, ac praevisam inde provenientem perniciem, abstinere a donis suis conferendis. Dedecus vero ac dehonestamentum se tenent ex parte creaturae, ad quae propterea reparanda Deus decrevit poenas, sive temporales, sive aeternas, pro offensae seu dehonestamenti modo.

157. Ad 2. *Neg.* ut pariter patet ex dictis. *Potuisset* quidem Deus id praestare, sed non *debuit*, ut adversarii affirmant et non probant; alioquin evincerent Deum *debuisse* creaturas omnes intelligentes statim condere in gradu supremo felicitatis ac beatitudinis, nec potuisse alia ratione e nihilo eas educere, quod est absurdum. Dixi *debuisse* in tali supremo beatitatis gradu collocare; quia, cum malum sit defectio ulterioris boni, ut vidimus, quicunque inferior gradus felicitatis supponatur, semper erit malum respectu ulterioris gradus, quem creaturae illae assequi potuissent.

158. Ad 3. *Neg.* Haec enim non est nisi idea praepostera atque ἀνθρωποπάθεια, a nobis nempe desumpta, ex nimio nostri amore (φιλαυτία) proveniens, quam ad Deum transferimus, et qua fit ut nos ipsos velut centrum spectemus, ad quod omnia referri debeant. Nihil vero nostra refert, si intelligere nequeamus quomodo Deus, quem natura seu essentia bonum esse ratio ipsa

dictat, possit permittere, nec a nobis avertat tot mala, quibus obruimur; nobis sufficit ostendere id non repugnare, quod evincimus sive a *priori* sive a *posteriori*, ut aiunt. Si nunc quae partium nostrarum sunt executi fuerimus, divina gratia adjuti, olim videbimus aperte, quod nunc nonnisi in speculo et in aenigmate videmus.

159. Ad 4. Respondeo nos minime adstringi ad hanc potius quam aliam assignandam rationem, qua Deus permotus sit ad hunc providentiae ordinem prae alio amplectendum; potest haec esse, possunt esse aliae, quas ignoramus; possunt etiam plures esse. Hoc certum ac ratum apud omnes esse debet Deum, utpote sapientissimum atque sanctissimum, fines habuisse dignos se, dum prae tot aliis innumeris, qui ipsi praesto esse potuerunt, hunc potius ordinem eligere statuit; quinam autem praecise sint illi fines, nonnisi conjecturaliter, atque, ut dicitur, ex congruentia, determinare valemus, licet omnes demum in gloriam ejus cedant, a qua ipse praescindere nequit, quum omnium supremus finis sit (1).

(1) Diversas vias inierunt, qui Bayle impugnare aggressi sunt, inter quos eminet King Archiepiscopus Dublinensis, Jacquelot, La Place, Leibnitzius, Le Clerc, P. Malebranche; quorum varia systemata seu principia videri possunt apud Bergier, *Dict. theol.* art. *Manichéisme*. Apposite observat And. Spagni op. cit. *De Malo*, diss. II, sect. VII, n. 129, non posse non determinatam vel determinatas detegi in particulari rationes adaequatas, per quas Deus rectissime permittit peccata; certe vel ipse s. Augustinus cum in hanc rationem inquirendam meditatus fuisset, illam esse supra captum suum professus est, dicens: *Altitudinem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor* (*De Genesi ad lit.* lib. XI, c. 4, n. 6); et alibi passim (*Epist. ad Paulin.* CXLIX, alias XXXIX, n. 18; *De Genesi ad lit.* lib. XI, cap. 10; *De dono perseverantiae*, cap. 10). Hoc ipsum fassi sunt non pauci heterodoxi, quos citat et sequitur Joan. Christoph. Wolfius, *Manich.* sect. III, n. 20; et ex nostris Michael de Elizalde S. J. *Forma veras religionis*, q. XXXIX, n. 727 et seqq.; Alfonsus de Sarasa S. J. *Ars semper gaudendi*, tom. I, tract. VI, aliique. Quare nihil melius in hac re quam illud Scaligeri usurpare: *Nescire velle, quae magister optimus docere non vult, erudita inscitia est.* Quod si proferri tanquam determinatae nonnullae rationes possunt, ut etiam solent, illae adaequatae dici nequeunt, sed partiales atque, ut eas vocat Card. Bellarminus (*De amiss. gratiae*, lib. III, cap. 2), *probabiles*. Has expendit singillatim

160. Nec tamen sequitur, quod primo loco *a*) inferebatur, *indignum Deo esse quaerere gloriam suam tanto creaturarum suarum detrimento.* Deus enim in hypothesi non quaerit seu intendit simpliciter gloriam suam ex creaturarum suarum detrimento, sed supposita istarum malitia, quam impedire non tenetur, eruit inde gloriam suam.

161. Non secundum *b*), quia quid magis conferat ad gloriam Dei nostrum non est dijudicare, quia prorsus ignoramus an in hoc scilicet potius quam in altero systemate majorem gloriam esset consecutus. Hoc autem Deus longe melius quam nos novit.

162. Non tertium *c*) denique, quia particeps criminis non est, nisi qui, cum possit et debeat praevisum abusum impedire, non impedit, cujusmodi esset provisor particularis, non autem Deus, qui ex dictis non tenetur, utpote provisor generalis, qui potest in particularibus defectus aliquot pati ob totius universi bonum, ut bene jam adverterat, post s. Augustinum, s. Thomas (1); et sic responsio patet ad exempla patris, matris, magistri, etc. aliaque non pauca, quae lasciviens Baylii ingenium excogitavit, in quibus idem semper latet sophisma, in eo positum, quod concludat ab eo, ad quod tenetur provisor particularis et limitibus circumscriptus obstrictusque moralibus legibus, ad provisorem generalem, infinita potentia ac bonitate praeditum, qui non tenetur ad totum illud quod potest (2).

Spagni, libro cit. n. 130 et seqq., eteneditque omnes inadaequatas esse, sive quae prolatae sunt ab antiquis, sive quae afferuntur a recentioribus.

(1) 1. p. q. XXII, a. 2: « Aliter, inquit, de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali, quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius »; et alibi passim.

(2) Pictetus *Cont. l'Indifférent.* ch. X, p. 134, adnotat permissiones allatas illius patris, et regis, etc. sistere tandem in ultimo quodam et praecipuo motivo certe vitioso, in praepostero affectu; tum esse imprudentes, cum neuter certus esse possit de felici exitu remedii, de quo cogitat; rex autem ille, qui permit-

163. Inst. Deus non potuit condere creaturas rationales nisi ad felicitatem; ergo, licet *absolute* non teneatur totum malum ab ipsis avertere, tenetur tamen *hypothetice*, cum alias finem suum obtinere non possit.

164. Resp. *D. A.* Id est, ad felicitatem per bonum usum illorum donorum, quibus illas cumulavit, *C.* quacumque ratione obtinendam *N.* Sane Deus creaturas rationales non potuit condere nisi ad felicitatem ex intentione sua, ac proinde eas instruxit mediis, tum naturalibus, tum supernaturalibus, quibus ipsae bene utendo *possint* felicitatem adipisci, si velint; sed si istae illis abutuntur ad suam perniciem, sibi solis, non autem Deo, infelicitatem quam sibi consciscunt, adscribere debent. Sed de hoc postea.

165. III. Obj. 1. Contrariorum eadem est ratio, ergo si bonum summum existit omnis boni causa, existit etiam summum malum omnis mali causa. Sane 2. effectus malus non potest produci a causa bona ex eadem ratione, qua effectus bonus produci non potest a causa mala. Hinc 3. cum bonum et melius dicantur relate ad optimum, malum et pejus dici debent relate ad pessimum. Demum 4. cum tam bona quam mala talia sint per participationem, debent utraque reduci ad illud, quod est per *essentiam* tale, cujus naturam ipsa participant; ergo.

166. Resp. Ad 1. *D.* In iis quae contraria sunt per oppositionem *positivam*, *C.* qnae contraria sunt per oppositionem *negativam* seu *privativam N.* Ex eo enim quod sol necessarius sit ad aërem illuminandum, non

teret scelera, ut haberet in quibus exerceret justitiam, crudelis animi esset. At in Deum perfectissimum non cadunt nisi fines sanctissimi et ipso digni, et licet puniat malos, non tamen permittit esse malos ad finem puniendi, et omnia habet in sua potestate, ut etiam de malis bona possit elicere. Quod est fateri, ut observat Spagni n. 135, illas non esse adaequatas rationes permissionis peccati, sed tamen esse aliquas, quae saltem satis opportunae sunt ad revocandum in mentem, inter attributa Dei non esse solam bonitatem, nec a Deo mundum conditum esse, ut hanc tantummodo creaturis intelligentibus manifestaret, quod tamen praeter rationem videtur saepius supponere adversarius.

efficitur aliquam similem et oppositam causam requiri ad tenebras producendas, quae offunduntur sola lucis absentia et privatione. Hinc cum malum sit boni privatio, quae negativa est, nonnisi causam finitam et imperfectam, quae a recto ordine deflectere possit, expostulat, et malum ita bono inhaeret, ut sine ipso bono nec esse, nec intelligi queat.

167. Ad 2. *D.* Non potest produci a causa bona quatenus bona est, *C.* quatenus a bono deficit, ut expositum est *N.* et nego paritatem, cum effectus bonus sit positivus.

168. Ad 3. *D.* Sed diversa ratione, *C.* eadem ratione *N.* Bonum enim et melius dicuntur relative ad optimum per *accessum*, malum autem et pejus per *recessum*, nempe a bono vel optimo.

169. Ad 4. *D.* Bonum tale est per participationem, *C.* malum *N.* Neque enim malum dicitur per *participationem*, sed per *privationem* vel negationem boni, ut diximus (1).

CAPUT III.

DE ESSENTIA DEI EJUSQUE PERFECTIONIBUS GENERATIM

170. Deum existere ac unicum esse ostendere operosum non est; quid vero Deus sit, et cujusmodi ipsius natura in se sit, sive quae essentia propriaque ejus conditio, definiri omnino explicarique non potest. Hinc receptum illud s. Augustini dictum, cui Patres reliqui consonant: *Deus ineffabilis est. Facilius dicimus quid Deus non sit, quam quid sit* (2).

(1) Cons s. Thom. I, p. q. XLIX, art. 3, ad 3: « Bonum, *inquit*, per accessum ad terminum perfectum attenditur; privatio autem per recessum a termino. Unde non dicitur malum per accessum ad summum malum; sicut dicitur bonum et melius per accessum ad summum bonum ».

(2) In Psal. LXXXV, n. 12. Cons. Petavius, *De Deo* lib. I, cap. 5, ubi refert a s. Edmundo Cantauriensi in *Speculo* cap. 27, quatuor tra-

171. Dum igitur theologi inquirere solent in Dei sentiam ejusque perfectiones, pro intelligentiae hum modulo id faciunt, quatenus nempe ab humana m Deus concipi potest, non autem omnino quatenu ipsa est.

172. *Perfectiones* autem, *nomina*, *attributa* di tur illae dotes, quae Deo necessario insunt, atqu ejus essentia profluere quodammodo mente nostra c piuntur, eamque jam constitutam veluti perficere ac dificare.

173. Cum vero Deus sit perfectionum infinitum l gus, ac simplicissimus in se ipso, nec, ut videbi apprehendi a mente finita possit nisi per conceptu culiares, dum instituitur quaestio a theologis, quod sit constitutivum Dei metaphysicum, id debet int de ratione et ordine, quo progredi mens debet in divinarum perfectionum vel attributorum, et de perf ne ejusmodi investiganda, quae spectari possit ut

di modos, qui arripendae Dei notitiae nobis usui esse possunt, quorum duo sunt interiores, alii exteriores. Prioris generis sunt revelatio atque ratio: revelatio tum fit, cum vel arcanis instinctibus, vel miraculis docentur homines; ratione vero cognoscitur, cum argumentis ad id utimur. Exteriores modi duo sunt, scriptura et creatura. Rursum ab antiquis passim duplicem distingui theologiam, hoc est, disputationem, quae de divinitate ipsa instituitur: unam symbolicam et mysticam sive arcanam, alteram demonstrativam. Prior est, quae sub figuratis quibusdam descriptionibus ac similitudinibus, quae symbola vocantur, abstrusarum rerum significationes continet; ut cum uterus, et cor, et manus, et oculus affinguntur Deo. Posterior, quae de Deo revera, non figurate, affirmat aliquid aut negat, ut cum eum bonum ac sapientem dicimus, aut infinitum vel invisibilem. Haec notare constitui juxta veterum placit magis innotescat, quam ab ip flexerint 1. Neoterici illi, qu tendunt non aliter posse nos existentiae cognitionem perve quam per revelationem; illos rius recensuimus. 2. Illi qui aut in statu purae naturae, seu revelatione, homines nunqua venturos in Dei existentis not quod passim in Germania tr 3. Quam abutantur nonnulli tionis voce, quae interdum a teres occurrit, quando de Dei tione sermo est, cum alio omni su ab eo, quem neoterici eid ci affingunt, illam usurpaveri ipsum dici debet de symbolica l titia, quae a veteribus accipi gnificatione diversa ab ea, qua temporis obtinet apud nonnull hoc pallio se tegere nituntur. Estius in *Sententiarum* lib. 1 5, § 6.

rarum veluti fons et origo, vel etiam, si placet, basis et fundamentum, quod ceteras regat atque sustentet, qua ab aliis entibus Deus maxime secernatur, quaeque propterea constituat ipsam Dei essentiam.

174. Essentiae enim nomine intelligitur id, quod primum in ente concipitur, et est ejusdem proprietatum fons et origo, atque per quod ens a reliquis entibus omnino distinguitur, seu in suo esse proprie constituitur.

175. Circa hanc quaestionem quatuor praecipuae sunt theologorum sententiae. Prima illorum est, qui *nominales* nuncupantur, juxta quos Dei essentia consistit in cumulo omnium perfectionum (1); altera est illorum, qui contendunt eam ponendam esse in *infinitate radicali*, seu in *exigentia* omnium perfectionum (2); tertia nonnullorum *thomistarum* est, qui opinantur eam sitam esse in *intellectione actuali* vel, ut aliis placet, *radicali* (3); quarta demum, quam sectantur thomistae reliqui, ac communis est inter theologos, statuit Dei essentiam in *esse a se* (*aseitatem* vocant), vel clarius in existentia a se, in existentia necessaria, seu necessitate essendi.

176. Cum instituti nostri non sit in quaestionibus scholasticis diutius immorari, contenti erimus communiorem, quamque veriorem existimamus adstruere sententiam, de ceteris non solliciti. Quod quidem praestabimus, quum Deo vindicaverimus, prout ordo postulat, omnes prorsus perfectiones, ut inde ex his illa ordine prior statuatur, quae spectari possit, nostro cogitandi modo, velut ceterarum fons et origo, ac constitutivum, ut vocant, metaphysicum Dei, seu Dei essentia metaphysica.

177. Notandum porro est perfectiones generatim bifariam dividi. Prima pars complectitur eas, quas veteres scholastici vocabant *simpliciter simplices*, quasque nos

(1) Horum auctor est Guillelmus Occamus, de quo cfr. Feller, *Dict. hist.*

(2) Hanc passim scotistae tuentur.

(3) Cons. Card. Gotti, Tract. *De Deo*, tom. II, q. 3, dub. 3.

absolute *simplices* vocabimus ; altera vero complectitur perfectiones *secundum quid* , quas nos dicemus *mixtas*. Perfectio *simplex* ea est , quae nullam in suo conceptu involvit imperfectionem , ac melior est sua opposita et quacumque alia cum qua est incompossibilis in eodem subjecto ; perfectio *mixta* ea est , quae vel aliquam in suo conceptu importat imperfectionem , nec est perfecta nisi in aliquo genere tantum , non autem absolute , vel saltem talis est , ut sit incompossibilis in eodem subjecto cum alia perfectione sive meliore sive aequali. Quod ut aliquo exemplo clarius fiat , ducto ab ipso s. Anselmo , hujus distinctionis auctore in *Monologio* , cap. XV (alias XIV) : esse sapientem , melius est suo opposito , quia absolute melior est sapiens quam non sapiens ; quod pariter dici debet de bonitate , justitia , etc. ; contra , esse aurum non est perfectio nisi in auro , non autem in omni genere , quia esset imperfectio in homine , qui si aureus esset , vita et sensu careret. Advertit autem idem s. Doctor (cap. 5) hanc distinctionem non habere locum nisi in substantiis (1).

178. Inesse autem possunt alicui subjecto perfectiones duplici potissimum modo , nempe vel *formaliter* vel *eminenter* (quatenus sub hoc vocabulo comprehenditur etiam quod dicitur *virtualiter* et *aequivalenter*). Tunc aliquae perfectiones censentur inesse alicui subjecto formaliter , cum proprie et secundum suum conceptum ac definitionem de eo enuntiantur ; ut cum dico : Deus est bonus ,

(1) Praemiserat enim initio capitis : « De relativis quidem nulli dubium , quia nullum eorum substantiale est illi , de quo relative dicitur. Quare si quid de summa natura dicitur relative , non est ejus significativum substantiae. Unde hoc ipsum, quod est summa omnium , sive major omnibus, quae ab illa facta sunt , vel aliquid aliud quod similiter relative dici potest , manifestum est, quoniam non ejus naturalem designet essentiam. Si enim nulla earum rerum unquam esset , quarum relatione summa et major dicitur , ipsa nec summa nec major intelligeretur ; nec tamen idcirco minus bona esset , aut essentialis suae magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur. Quod ex eo manifeste cognoscitur , quoniam ipsa quidquid boni vel magni est , non est per alium quam per se ipsam ».

sapiens, etc. vel in Deo est bonitas, sapientia, etc. Eminenter autem, quando nonnisi improprie de illo enuntiari possunt, quum non inveniantur in subjecto prout sunt, sed modo longe perfectiori, seu cum subjectum, cui inesse aliqua ejusmodi perfectio dicitur, potest aut illam producere aut idem praestare per altioris ordinis perfectionem; sic ex. gr. Angelus eminenter dicitur continere rationem, quia longe meliori modo assequi potest per suam intelligentiam, quod homo per rationem assequitur.

179. His ita declaratis, tria hic praestare debemus: nempe ostendere 1. Deo inesse omnes perfectiones; 2. quanam ratione Deo perfectiones inesse dicantur; 3. quae demum ex perfectionibus, quae in Deo sunt, censeri debeat Dei metaphysicum constitutivum, seu per quam censendum sit constitui Dei essentiam. Quod enim spectat ad modum, quo se habeant divinae perfectiones ad divinam essentiam, disseremus, cum de attributis in particulari, ac praecise cum agemus de Dei simplicitate. Sit igitur

PROPOSITIO I.

In Deo sunt omnes perfectiones

180. Deus enim de se ipso loquens (Exodi XXXIII, 19), dicit Moysi: *Ostendam omne bonum tibi.* Jam vero omne bonum Deus dici absolute non posset, nisi perfectiones omnes in se contineret. Huc quoque spectant, quae de Deo passim Scripturae praedicant, Psal. 144: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*; tum Baruch III, 25: *Magnus est et non habet finem.* Cum autem Scriptura magnitudinem Deo tribuit, non in sensu magnitudinis extensae per omnia spatia tribuit, sed cujuslibet perfectionis, ut sapientiae, potentiae, majestatis, naturae, etc. Quare optime s. Joan-

nes Damascenus, *De fide orthod.* lib. I, cap. 9, de Deo loquens: *Nam totum* ESSE, ait, *velut immensum quoddam et nullis terminis definitum essentiae pelagus complexu suo ipse continet* (1). Hoc ipsum jampridem affirmaverat s. Greg. Naz. *Orat. in Natalitia*, iisdem pene verbis dicens: *Universum* ESSE *in se ipso*, *nunquam inceptum*, *nunquam desiturum*, *complexus continet*, *tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiae pelagus* (2). Sic patres reliqui.

181. Sed et ratio ipsa hoc suadet: Deus enim est ens quo nihil melius excogitari potest. Ergo necessario omnes omnino perfectiones in se contineat necesse est; alioquin jam aliud eo majus excogitari posset, nimirum quod omnes possideret.

PROPOSITIO II.

Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter

182. Talis enim Dei est idea, ut ipsi tribui debeant omnes perfectiones, quae cum ejus natura componi possunt, ac removeri ab eo debeat quidquid imperfectionem in suo conceptu involvit, et cum simplicissima ipsius natura consistere nequit. Quum autem ex praecedenti propositione Deus in se contineat perfectiones omnes, dicendus est diversa ratione possidere perfectiones simplices, diversa perfectiones mixtas, priores nempe formaliter, posteriores eminentiori quodam modo, prout naturae divinae congruit.

183. Ac primo quidem Deum vere et proprie seu for-

(1) Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. Pag. 142, edit. P. Le Quien, Paris 1712.

(2) Ὅλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον· οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. Edit. Billii *Orat.* XXXVIII, n. 11, pag. 615.

maliter illas continere perfectiones simplices, patet ex ipsius perfectionis simplicis notione, quam dedimus. Simplex enim perfectio ea dicitur, quae et sua opposita et omni alia incompossibili melior existit. Ergo omnes perfectiones simplices vere et proprie Deus in se continet; secus enim non esset quidquid optimum cogitari potest. Hinc omnes perfectiones simplices Deum denominant, et Deus dicitur substantia, spiritus, sapiens, justus, etc.

184. Quod autem nonnisi *eminenter* contineat perfectiones mixtas, ex earum ipsa notione pariter eruitur; mixta enim perfectio ea est, quae involvit aliquam imperfectionem, vel saltem est incompossibilis cum perfectione meliori sive aequali; hinc si Deus vere et proprie perfectiones istas in se contineret, jam non possideret perfectiones simplices, cum quibus in eodem subjecto perfectiones mixtae consistere nequeunt. Sic si Deus esset corpus, non esset spiritus; si vero spiritus non est, jam nec est quidquid optimum cogitari potest. Hinc perfectiones mixtae Deum non denominant; hinc Deus non dicitur corpus, animal, rationalis, etc.

185. Cum tamen omnes perfectiones, quae in creaturis elucent, Deo insint, sequitur eas non alia ratione in eo esse, nisi quatenus potest illas producere, ideoque eminenter seu virtualiter continere; sive quia nulla est, cui Deus non aequivaleat tum in *essendo*, ut dicunt, tum in operando. Quare eas continet aequivalenter, quia potest illud producere et praestare, quod illae praestant, per altioris ordinis perfectionem, producit enim illas per suam omnipotentiam; et quod illae pro modulo suo nec sine multis imperfectionibus praestant, praestat ipse absque ullo defectu et cum singulari excellentia; ac propterea, quod illae possunt, ipse potest per perfectionem longe eminentiorem; hoc est autem continere eminenter.

186. Deus igitur perfectiones simplices formaliter, mixtas vero continet eminenter, quatenus, ut dictum

est, istae aliquam imperfectionem in suo conceptu involvunt. Ex dictis autem pronum est unicuique colligere Deum esse infinitam omnis perfectionis et entitatis simplicissimam et eminentissimam complexionem. Omnis, inquam, perfectionis non solum increatae, sed etiam creatae, quia quidquid est bonitatis, pulchritudinis, perfectionis, entitatis, non solum existentis, sed etiam possibilis in creaturis, id totum infinite perfectius et copiosius continetur in Deo, et quidem per unam simplicissimam rationem suae deitatis, per quam est omnia formaliter vel eminenter. Hinc merito s. Anselmus loc. cit. infert omnia illa, quae divinitati tribuuntur, significare, non qualitatem vel modum, sed substantiam ejus, et ab ipsa omnia summo modo concludi: *quidquid igitur eorum*, inquit, *de illa dicatur, non qualis vel quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palam est, quia quodlibet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa justitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa aeternitas, summa potestas, summa unitas.* Quem propterea summe revereri summeque diligere debemus (1).

(1) Cf. Less. *De divinis perfect.* lib. 1; cap. 6. Praeter summam in dicendo claritatem id sibi peculiare vindicat piissimus hic auctor, ut lectorum corda mire accendat ac in Deum moveat; praesertim in suis recollectionibus precatoriis, in quibus, dum summam colligit eorum omnium, de quibus praecedentibus capitibus late disserverat, egregias precationum formulas exhibet. Ut hujus rei specimen habeant auditores nostri, partem hic referre placet recollectionis, quam materiae, de qua agimus, subjicit: « Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara sint mihi omnia tua, et tu Deus meus plus quam omnia. Quid enim sunt cetera omnia ad excellentiam bonorum tuorum? Fumus sunt, umbra sunt et vanitas omnes divitiae et deliciae, omnisque gloria hujus mundi, quae misere oculos mortalium fascinant, ne vera illa bona, quae in te sunt, cognoscere et persequi valeant. Et sicut qui dormiunt, inani imagine divitiarum, voluptatum et honorum delusi, nihil horum inveniunt cum excitantur, sed

DIFFICULTATES

187. Obj. 1. Relationes divinae non sunt perfectiones simplices, sed mixtae seu secundum quid; atqui in Deo formaliter sunt. Falsum igitur est perfectiones mixtas non esse in Deo nisi eminenter. Praeterea 2. ex dictis, perfectiones divinae profluere intelliguntur ab essentia; ergo in illa formaliter non continentur.

188. Resp. ad 1. *D. A.* Quatenus in eodem subjecto consistere simul nequeunt, *C.* quatenus imperfectionem involvunt in suo conceptu *N.* Diximus autem perfectionem mixtam esse, quae vel imperfectionem in suo conceptu importat, vel saltem in eodem subjecto cum alia consistere nequit; hoc porro tantum posteriori sensu inter perfectiones mixtas recensentur divinae relationes; eadem enim persona non potest habere paternitatem et filiationem, quae duae proprietates se invicem excludunt. Non desunt qui relationes perfectiones esse negant, cum relatio non dicat neque perfectionem neque imperfectionem, sed modum seu habitudinem unius ad aliud, sed de hoc in tract. de Trinitate.

189. Ad 2. *D.* Profluere intelliguntur, si distincte considerentur, *C.* si generatim *N.* Hoc enim sensu sunt formaliter ipsa divina essentia.

cum dolore animi vident se misere deceptos, ita accidit omnibus hujus mundi amatoribus, vitae istius per mortem corporis discusso somno, mente in lucem alterius saeculi expergiscente. Nihil igitur illorum amem aut aestimem, sed te solum et bona tua, quae in te recondita, quae tu ipse es, quibus fruentur aeternum qui, hisce caducis contemptis, tibi inhaeserint. Amem te super omnia, et semper serviam tibi; quia infinite melior es omnibus, et dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis servitus tibi ab omni creatura in omnem aeternitatem deferatur et impendatur ».

PROPOSITIO III.

Essentia Dei metaphysica videtur constituenda in eo quod sit ens a se ac independens, seu in existentia a se

190. Essentia enim metaphysica seu metaphysicum Dei constitutivum, ex communi doctrina, quatuor debet in se conditiones complecti: nempe 1. ut sit quidpiam intrinsecum enti, 2. ut ipsum ab aliis omnibus secernat, 3. quod primo concipiatur, 4. demum ut ceterarum omnium perfectionum spectari possit veluti fons et origo. Atqui in *aseitate*, seu in existentia a se, quatuor ejusmodi conditiones reperiuntur, quae ad essentiam metaphysicam constituendam requiruntur et sufficiunt. Nam ratio entis a se est quidem intrinsecum Deo, ut patet; nihil enim ea prius cogitari potest; nihil praeterea est quod Deum magis a creaturis distinguat, quae *esse* acceperunt ab alio; omnia demum attributa ex hoc quasi principio dimanare concipiuntur. Ex eo enim quod Deus intelligitur esse ens a se statim necesse est, ut omnibus perfectionibus cumulatissimus nullisque terminis circumscriptus intelligatur. Quare s. Thomas, cum docuisset Deum esse ipsum *esse* per se subsistens, ex hoc colligit, eum omnes perfectiones continere, quia omnis perfectio pertinet ad rationem *essendi* (1); ac postea cum s. Joan. Damasceno statuit ex omnibus Dei nominibus, quae de Deo dicuntur, praecipuum et Deo maxime proprium esse QUI EST, totum enim in se ipso comprehendens, habet ipsum *esse* velut quoddam pelagus substantiae infinitum (2).

(1) 1. p. q. IV, a. a. Cfr. Suarez, *Metaph.* tom. II, disp. XXX, sect. I et seqq.

(2) Ibid. XIII, a. 2. Adeo Dei proprium *esse a se* Tertullianus pro corto habet, ut inde arguat adversus Hermogenem materiam aeternam non esse. En quomodo ipse ratiocinetur, cap. 4: « Hinc denique incipiam retractare, *ait*, de materia, quod eam

191. Haec sane sententia magis consentanea videtur tum sacrae Scripturae tum sanctorum patrum doctrinae. Deus enim ipse suam naturam nomenque sibi proprium expositurus (Exodi III, 14) ait Moysi : *Ego sum qui sum : sic dices filiis Israël* : QUI EST *misit me ad vos* (1). Quae verba expendens s. Hilarius, *De Trinitate*, lib. I : *Admiratus sum*, inquit, *plane tam absolutam de Deo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur, quia ad ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque coepti ;* ac s. Bernardus, *De Consideratione ;* lib. VI, c. 6 : *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est* EST. *Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse.* Sic patres reliqui, sive graeci sive latini, quorum testimonia profert Petavius (2), qui praeterea ostendit hanc ipsam inhaesisse sententiam philosophis ipsis ac judaeorum doctoribus (3).

Deus sibi comparet, proinde non natam, proinde non factam, proinde aeternam, sine initio, sine fine propositam. Quis enim alius Dei census, quam aeternitas ? Quis alius aeternitatis status, quam semper fuisse et futurum esse, ex praerogativa nullius initii et nullius finis ? Hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est proprium, quia etsi alii adscribatur (nempe si et alii adscribatur), jam non erit Dei proprium, sed commune cum eo cui et adscribitur... Quod si Deus est, unicum sit necesse est, ut unius sit. Aut quid erit unicum et singulare, nisi cum nihil adaequabitur ? Quid principale, nisi quod super omnia ? nisi quod ante omnia, et ex quo omnia ? Haec Deus solus habendo est, et solus habendo unus est. Si et alius habuerit, tot jam erunt dei, quot habuerint quae Dei sunt » ... et ita prosequitur capp. 5, 6, 7, edit. Rigaltii.

(1) Hebraice vero legitur ad litteram אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero* ; LXX verterunt : Ἐγώ εἰμι ὁ Ὤν, et vulgatus noster, reddidit : *Ego sum qui sum*, Aquila et Theodotion hebraea ad verbum reddiderunt : Ἔσομαι ὃς ἔσομαι. Onkelos, Syrus et Persa, textus hebraei verba retinent. Arabs uterque habent : *Ego sum aeternus, qui non desinit.* Paraphrastes Jonathan nempe et Targum hierosolymitanum liberius verba illa exposuerunt. Sensus semper idem est. Cfr. Rosenmuller.

(2) *De Deo*, lib. I, cap. 6.

(3) Ib. Mirum proinde est Beausobre, *Histoire de Manichee*, etc. liv. III, ch. 3, § 4, scribere potuisse : « Supposé que Denys d'Alexandrie

192. Et haec quidem pro instituti nostri ratione dicta sufficiant ; qui enim plura de hoc argumento cupit , adeat ipsos scholasticos.

ait connu cette vérité (aseitatem nempe proprietatem esse divinitatis propriam et incommunicabilem), il est néanmoins constant que les philosophes l'ont ignorée, et qu'elle a échappé à la pénétration du plus subtil de tous les Pères. Je veux parler de s. Augustin ». Ergo juxta hunc criticum hanc veritatem metaphysicam ignorarunt philosophi omnes antiquitatis et patres omnes , sive graeci sive latini. Petavius tamen loc cit. in medium profert hujus veritatis assertores Platonem in Timaeo, Plotinum, Numenium , Plutarchum ; ex judaeis Philonem ; ex patribus laudat Clementem Alex., Gregorium Nazianzenum , Dionysium Alex. , Hieronymum , Hilarium , Dionysium Areopagitam nuncupatum, Maximum Mart., Damascenum , aliosque , quorum ibidem testimonia et argumentandi ratio videri possunt. Quoniam vero Beausobre commemorat s. Augustinum, ex eo afferemus testimonium. In tract. in Psal. CXXI , interrogat : « Quid est quod est ? Quod aeternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est , quia non manet. Non omnino non est, sed non summe est ». Fuse etiam de hoc disserit s. Doctor Tract. XXXVIII , in Joan. tum alibi saepe. Recolantur verba adducta ex Tertulliano.

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PARS ALTERA

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM

193. Divina attributa alia sunt *absoluta*, quae ad divinam referuntur naturam, alia *relativa*, quae referuntur ad personas. De his suo loco. Ex attributis autem absolutis alia dicuntur *negativa*, non quasi reipsa negativa sint, sed quia vocibus exprimuntur negativis, ut infinitas, immensitas, immutabilitas, etc. Quae tamen notionem positivam praeseferunt, alia *affirmativa* vocantur, quod vocibus affirmantibus praedicantur, ut bonitas, justitia, etc., alia demum *respectiva* dicta fuere, utpote quae ad operationes referantur, cujusmodi sunt scientia, omnipotentia, providentia, etc. Hae sunt praecipuae divinorum attributorum divisiones, quibus alii alias addiderunt plus minus imperfectas (1). Nobis hic satis erunt, ne ex copia ejusmodi divisionum confusio potius quam claritas oriatur.

194. Nimis longum esset de singulis attributis instituere sermonem, et quaestiones agitare; illa propterea tantum expendemus, in quibus maxime erratum est, sim-

(1) Praeter *positiva* attributa ac *negativa*, etc. recensentur *quiescentia*, seu immanentia (ἀνενέργητα), et *operativa* seu transeuntia (ἐνεργητικά); *primitiva*, ex quibus alia scilicet deducuntur, et *derivata*; *metaphysica*, quae ad Dei substantiam infinitam spectant, et *moralia*, quae ad ejus intelligentiam et voluntatem referuntur; *communicabilia*, quae, licet diverso gradu, creaturis communicari possunt, ut sapientia, bonitas, etc., et *incommunicabilia*, ut omnipotentia; *propria*, ut aeternitas, *metaphorica*, ut misericordia, ira, *moralia*, ut sanctitas, justitia etc.

*

plicitatem nempe, immutabilitatem, libertatem, infinitatem, immensitatem, aeternitatem.

CAPUT I.

DE SIMPLICITATE DEI

195. Simplex dicitur quod caret omni compositione, quae est distinctorum unio; potest autem esse haec compositio vel physica vel metaphysica vel logica. Compositio *physica* est ea, quae constat partibus realiter distinctis, cujusmodi ex. gr. sunt corpora omnia; *metaphysica* compositio ea est, quae exsurgit ex potentia et actu, essentia et existentia, natura ac personalitate; *logica* demum, quae coalescit ex genere et differentia.

196. Circa Dei simplicitatem non pauci quovis tempore errarunt. Ac I. quidem ex ethnicis illi omnes, qui idola ut deos habuerunt, quos plerosque fuisse ostendimus, vel qui numina corporea admiserunt. 2. Ex christianis, qui humanam formam Deo tribuerunt, *anthropomorphitae* propterea dicti; quam quidem quaestionem indifferentem ad fidem esse contendunt sociniani et arminiani (1). 3. Cum veteribus stoicis recentiores pantheistae, Spinoza duce, qui in sua *ethica*, pantheismum geometrica methodo exponere ac demonstrare aggressus est, et nihil adstruit nisi materiam aeternam, improductam et immensam, quam Deum vocat, cui paucis ab hinc annis judaeus Salvador adstipulatus est (2). 4. Ii qui rea-

(1) Beausobre, *Histoire de Manichée*, etc., liv. III, ch. 2, pag. 484, censet, non esse haeresim per naturam divinam velut lucem extensam. Sic enim ait: « Tout ce qui peut me convenir, c'est de peser à la balance de l'équité et de la religion la question, si c'est une hérésie dangereuse de concevoir la nature divine comme une lumière étendue. Voici ce qui peut en faire douter, etc ».

(2) *Histoire des Institutions de Moïse*, tom. III, seconde partie, chap. I, *Jehovah*. Hic auctor tamen negat se admittere pantheismum, sed contendit non esse admittendum nisi *Infinitheismum*, sive existentiam uni-

lem distinctionem commenti sunt inter divinam essentiam et attributa, qui quidem error vulgo Gilberto Porretano tribuitur, nonnullis reclamantibus (1). Hunc eumdem errorem adoptarunt graeci schismatici passim, agente potissimum Gregorio Palama episcopo thessalonicensi, qui virtutem Dei, ἐνεργείαν, operationesque a divina essentia realiter distinguebat, ac commentus est quamdam lucem ab ea promanantem, qualis Christo affulsit in monte Thabor (2). Sic abbas Joachim realem distinctionem invehere visus est inter divinam naturam divinasque per-

versalem. Si enim propriam sententiam promit loc. cit. pag. 180: « Maintenant réunissons tous les êtres et toutes les intelligences secondaires connues et inconnues; ajoutons un même accord, une même tendance, une même harmonie, voilà l'existence universelle. Mais n'est-ce point le pantheisme? Mais alors chaque chose n'est-elle pas Dieu? Le mot *pan* signifie *tout*, et l'expression *un tout* indique une oeuvre faite, terminée, bornée. Or l'être universel n'a pas de bornes dans notre esprit; ... au lieu du mot *pan* plaçons le mot *infini*, faisons, si l'on veut, l'infinitheisme, et soudain la premiére objection (du panthéisme) disparaît ». Ast parum refert denominatio, cum agatur de re, utrum nempe Deus ab universo distinctus sit nec ne, seu an ipsa rerum universitas Deus sit. Sane ipsemet in nota fatetur, ad rei summam quod spectat, in unum convenire pantheismum et infinitheismum, imo et spinozismum.

(1) Critici inter se divisi sunt circa veros Gilberti errores (quos ipse tamen revocavit in concilio Remensi); alii enim, ut Vasquez, Frassen, etc. longe probabilius esse arbitrantur, Gilbertum non distinxisse inter Dei essentiam atque attributa, sed solum essentiam et proprietates a persona realiter distinctas esse contendisse. Atque hi innituntur tum auctoritate Othonis Frisingensis tum actorum concilii Remensis, quae ex codice vaticano vulgavit Vasquez. Alii autem communiter cum Petavio, Nat. Alex. censent, Gilbertum utramque distinctionem propugnasse, tum inter essentiam et attributa, tum inter essentiam et proprietates atque personam; hi autem citant auctoritatem s. Bernardi et Gaufredi monachi. Cons. Petavius, *De Deo*, lib. 1, cap. 8, § 4 et seqq. et Nat. Alex. *Synopsis in saec.* XI et XII, cap. 4, art. 9, pro posteriori hac sententia; pro priori cfr. Vasquez, qui tamen disp. CXVI, in 1 part. sancti Thomae, cap. 2, errorem de discrimine inter essentiam et attributa adscribit Gualtero, contenditque Gilbertum solum dixisse « concretum, *Deus*, aliquando poni pro persona, aliquando pro natura: cum ponitur pro natura, concedebat (Gilbertus) Deum esse ipsam deitatem et unitatem; cum vero ponitur pro persona, dicebat, non esse concedendam illam propositionem, *Deus est natura divina*, in casu nominandi. Similiter veritatem et alia attributa abstracta non praedicabat de persona, nec de Deo quando pro persona ponebatur; ex quo ille solam distinctionem realem, seu ex natura rei inter personam ex una parte, et essentiam atque attributa ex alia constituebat ». Deinde disp. CXX, cap. 2, refert acta Concilii Remensis, quae ibid. legi possunt.

(2) Cfr. Petavius loc cit. cap. 12 et 13, ubi fuse exponit illius errores, et quae circa ipsos gesta sunt.

sonas, cujus proinde libellus in concilio Lateranensi IV, anno 1215, proscriptus est. 5. In oppositum scopulum inciderant anomaei, qui saeculo quarto Eunomium et Aëtium sequuti, nullam, nec rationis quidem, distinctionem inter Dei essentiam ejusque attributa, atque inter attributa ipsa admittebant, ut sic facilius aditum sibi aperirent ad impugnandam Verbi divinitatem.

197. Hi sunt praecipui errores circa Dei simplicitatem ab Ecclesia damnati. In hac tamen Dei proprietate adstruenda variae sunt theologorum sententiae sibi invicem adversantes. Nam alii quibusdam visi sunt accessisse ad sententiam Gilberti Porretani, alii autem ad anomaeorum errorem; quod ut intelligatur, juvat breviter exponere istorum theorias ac opiniones.

198. Distinctio est negatio identitatis; ea enim distinguuntur, quae non sunt idem. Aliquid autem potest non esse idem cum alio, vel in se, vel in conceptu nostro. Si in se aliquid unum seu idem cum alio non sit, tunc distinctio, quae intercedit inter duo vel plura, dicitur *realis*; si autem aliquid unum cum alio non sit nisi in conceptu nostro, tunc dicitur distinctio *rationis*, seu mentalis, cogitationis.

199. Rursum aliquid potest non idem esse cum alio in se, vel quia separata sunt, ut Petrus et Paulus, vel saltem separari possunt, ut anima et corpus; vel relative opponuntur, ut pater, et filius; et haec est quae dicitur distinctio *realis major*; aliquid praeterea in se potest non esse idem cum alio solum ratione modi, quatenus modus distinguitur a re, qualis intercedit inter animam ejusque cogitationem, corpus ejusque figuram; et haec distinctio dicitur *modalis*, seu distinctio *realis minor*. Praeter duas has Joan. Duns Scotus tertiam invexit, nempe inter duas vel plures ejusdem rei proprietates, quarum una non est alia, saltem in sua ratione formali, ut ajunt; ex. gr. in homine animalitas et ratio-

nalitas; in Deo essentia et attributa, atque attributa alia ab aliis, ut misericordia, justitia, etc. et haec dicta fuit distinctio *realis minima*, vel etiam *formalis* aut *scotistica*.

200. Distinctio mentalis bifariam dividitur, quarum nempe una sit pure arbitraria, ut cum quis distinguit inter Petrum et Cepham, et est sine fundamento in re, et vocatur distinctio *rationis ratiocinantis*; altera est quae a sola quidem mente fit, sed cum fundamento in re, quae licet in se una sit ac summe simplex, aequivalet tamen pluribus in se distinctis, nobisque fundamentum distinctionis suppeditat propter varios effectus, quos producere potest: ex. gr. granum potest spectari ut semen, ut alimentum, ut corpus, etc., et si de Deo sermo sit, cum ipse diversa possit efficere, cumque eminenter, ut dictum est, simplicissima ratione in se contineat perfectiones, quae distinguuntur in creaturis ansam dat menti nostrae eas seorsum considerandi per distinctionem, quam scholastici vocarunt *rationis ratiocinatae*, vel etiam *virtualem*.

201. Hi vero cum inter se divisi fuerint, et alii, ut scotistae, voluerint in Deo admittendam esse inter essentiam et attributa, et inter attributa ipsa distinctionem *realem formalem*, ideo accusati sunt, quod in sententiam concesserint Gilberti Porretani; alii vero ex adverso, ut nominales, cum voluerint in Deo negare distinctionem inter divinam essentiam et attributa, atque inter ipsa attributa, quae dicitur *virtualis*, et *rationis ratiocinatae*, in suspicionem venerunt erroris anomoeorum. Attamen omnis erroris suspicio ab utrisque a praestantissimis theologis sublata est (1). Sed de his satis multa, et ne theologiae candidati illarum quaestionum je-

(1) Cons. Frassen *Scotus academicus*, tract. I, disp. III, art. I, quaest. 3. Venetiis, 1744.

juni omnino sint, et ad doctrinam catholicam pro re, quam agimus, vindicandam.

202. Quam quidem doctrinam tuentes adversus recensitos errores hoc ordine progrediemur : 1. adstruemus summam in Deo simplicitatem; 2. adoriemur eos, qui Deum corporeum esse docuerunt, et eos, qui velut adiaphorum habent ejusmodi articulum ; 3. refellemus pantheismum vel spinozismum ; 4. errorem impugnabimus Gilberti et socinianorum ; 5. errorem eunomianorum, ita tamen ut ab erroribus jamdiu obsoletis breviter nos expediamus, insistamus autem in iis refellendis qui adhuc aetate nostra vigent.

PROPOSITIO I.

Deus est omnino simplex.

203. Haec propositio est de fide, ut patet ex definitione concilii Lateranensis IV, cap. *Firmiter*, ubi profitetur, quod in Deo sit: *Una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.*

204. Hoc sensu omnimoda simplicitas adstruitur, ut omnes recensitae compositiones, quae se tenent a parte rei, excludantur a divina natura.

205. Sic autem ejus veritatem in primis evincimus : Deo competit summa simplicitas, si nulla in ipsum cadat compositio sive physica, sive metaphysica, sive logica ; atqui nulla prorsus ejusmodi compositio in Deo est vel esse potest ; ergo.

206. Ac 1. quidem omnem physicam compositionem, quae exsurgit ex partibus realiter distinctis, cujusmodi in corporibus habetur, removet Scriptura a Deo, Christus enim de Deo loquens ait ; *Spiritus est Deus* (1).

(1) Πνεῦμα ὁ Θεός, Joan. IV, 24.

Spiritus autem vocem Christum usurpasse stricto sensu quatenus ea opponitur cujusvis generis corpori, patet ex ipsius scopo, nempe instruendi mulierem Samaritanam circa cultum Deo exhibendum ubique locorum, et quidem *in spiritu*, ut ibidem addit, *et veritate*, quasi diceret, ut observat Maldonatus, cum Deus nullum prorsus habeat corpus, ideo non corpore, sed spiritu adorari Deum oportere (1). Quo sensu etiam Apostolus ait: *Dominus autem spiritus est* (2), et alibi passim (3).

207. Scriptura praeterea eas proprietates de Deo praedicat, quae cum physica compositione consistere nulla ratione possunt; cujusmodi sunt infinitas, immensitas, aeternitas.

208. 2. Omnem aliam compositionem metaphysicam ac logicam a Deo pariter Scriptura abigit, dum nomina abstracta sic Deo tribuit, ut ipsum denominent: ita passim Deus dicitur *sapientia*, *justitia*, *bonitas*, *via*, *veritas*, *vita* aliaque ejusmodi; jam vero nisi esset omnimode simplex omnisque prorsus compositionis expers, Deus sapientia, justitia, etc. subsistens dici minime posset, sed ille potius qui habet sapientiam, justitiam, etc.; ergo.

209. Hanc autem doctrinam confirmant patres et ratio multiplex, quae ab ipsis assignatur. Ac primo patres colligunt Deum omni compositione carere ex eo, quod juxta communem omnium sensum sit id, quo nihil ne fingi quidem potest cogitarique perfectius; atqui Deus talis non esset, nisi simplex omnino existeret, compositio enim semper arguit aliquam imperfectionem. Ita s. Am-

(1) « Hoc enim, *inquit*, agebat Christus, ut probaret Deum nullum prorsus habere corpus, ideoque non corpore, sed spiritu adorari oportere. Quae Christi ratio nihil efficeret, si Deus aliquod, quamvis subtile, quamvis tenue haberet corpus ». Quam quidem rationem mutuatus est ab Origene *De principiis*, lib. I, cap. I, num. 4.

(2) Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. II Cor. III, 17.

(3) Sap. I, 5, 6, et VII, 23, etc.

brosius (1), s. Augustinus (2), s. Bernardus (3) aliique. 2. Id ipsum inferunt ex eo quod Deus sit primum ens, necessarium, aeternum, a se existens, quia omni composito componentem priorem esse necesse est; Deus autem quidquid est, natura est. Ita inter ceteros Tertullianus (4), s. Cyrillus Alexandrinus, s. Gregorius Nyssenus, Richardus Victorinus. 3. Ex eo quod *id quod habet, est*, ut loquitur s. Augustinus, et cum eo ss. Hilarius, Cyrillus, Ambrosius, aliique (5). 4. Ex eo quod Deus sit infinitus et immutabilis. Quidquid enim Deus est, infinitum est, ideoque partibus constare nequit; sic, quod immutabile est, nullum subire potest modificationum fluxum aut vicissitudinem, quae in compositis necessario inest, ut argumentantur ss. Maximus martyr, Athanasius, Greg. Nyssenus, Cyrillus (6). Hae autem fere rationes sunt, quibus s. Thomas, *Contra gentes*, lib. I, cap. 18, ostendit nullam in Deo esse compositionem.

210. Ex quibus sic concluditur: In Deum nulla compositio cadere potest, ergo est omnino simplex, et quod consequens est, Deus est sua essentia, suum esse, actus purissimus, seu totus actus, atque ita simplicissimus, ut nihil cum eo comparari possit, cum quidquid Deus non est, aliqua compositione metaphysica saltem ac logica constet. Quae argumentandi ratio nonnullorum etiam patrum est.

(1) *De fide*, lib. 1, cap. 16, num. 106: « Deus, *inquit*, naturae simplicis est, non conjunctae atque compositae ».

(2) *De Trinitate*, lib. v: « Intelligit omnia et sentit mente, non corpore, quia spiritus est Deus; » atque ibid. summam simplicitatem Dei fuse commendat

(3) *De consideratione*, lib. v, cap. 7, num. 16. *Quaeris quid* (Deus sit)? *Summa simplicitas*. Et ibid. num. 17: *Non est compositus Deus, merum simplex est.*

(4) *Contra Marcionem*, lib. II, cap. 6: « Nam bonus natura Deus solus. Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud sed natura ».

(5) Apud Petavium, lib. II, cap. 2, § 2 et seqq.

(6) Ibid. § 9 et seqq.

1. Hoc posito fundamento, jam pronum est refelle-
rores omnes, quotquot assertae veritati adversantur.

PROPOSITIO II.

ksurda et haereticalis est sententia eorum, qui Deum corporeum esse censent

2. Absurdam dicimus eam sententiam, primo qui-
adversus anthropomorphitas, et quotquot Deo corpus
cumque tribuerunt; haereticalem praeterea adversus
anos illos, qui illam veluti indifferentem habent,
altem veluti talem olim habitam fuisse arbitrantur.
3. Primum vero sic adstruimus: Dei natura seu es-
ı ex dictis est omnino simplex, prout non solum au-
s, sed et ratio ipsa suadet; ergo absurdum est
ı corporeum asserere prout etiam repugnat Deum
hum, aeternum, immensum atque absolute perfe-
partibus realiter distinctis constare, ac partibus ne-
rio finitis compositum esse. Hinc Scriptura objurgans
qui simulacris Deum sibi effingebant, ait: *Cui er-
milem fecistis Deum? Aut quam imaginem pone-
?* (Isaïae XL, 18). Optime propterea Origenes, *Pe-
hon*, lib. I, cap. I, n. 6, scripsit: *Non ergo aut
s aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus,
ntellectualis natura simplex, nihil omnino in se
ctionis admittens, uti ne majus aliquid et infe-
esse credatur; sed ut sit ex omni parte* μονὰς
t ita dicam, ἑνὰς *et mens ac fons, ex quo ini-
totius intellectualis naturae vel mentis est.*
4. Alterum pariter sic ostendimus: Ad fidem indif-
error ille censeri nequit, qui inter haereses re-
s est, cujusque fautores ecclesia constanter velut
ticos habuit; atqui. Etenim dum prodiit, quarto
iae saeculo labente, anthropomorphismus, illico

velut absurda haeresis a patribus, qui ecclesiae sensum exprimebant, proclamatus est. Ita s. Hieronymus, lib. *Contra Joan. Jeros.* n. 11, eum vocat *Stultissimam haeresin*; Theodoretus, *Haeretic. fabul.* lib. IV, cap. X: *Stultam sententiam* (1); Cassianus, *Collatione* X, cap. II et seq: *Ineptam haeresin* appellat, *gravem errorem, qui in perpetuae mortis discrimen injiciat, et gentilem blasphemiam ab omnibus detestandam.* Hinc factum est, ut anthropomorphitas, qui pervicaci sententia huic errori adhaerere voluerunt, inter haereticos recensuerint; ita quidem s. Augustinus (2), s. Philastrius (3), s. Epiphanius (4), s. Joan. Damascenus (5), Isidorus pariter ac Rabanus in suis haereticorum catalogis audianos, quo nomine anthropomorphitas designabant, inter haereticos numerarunt. Theophilus alexandrinus antistes iis fortiter restitit ac paschalibus suis epistolis universae ecclesiae eos denunciavit; ita vero profligati sunt, ut vix eorum reliquiae superfuerint (6). Exploratum igitur est errorem antropomorphismi semper ab ecclesia ut putidam haeresin spectatum fuisse, non minus rationi quam fidei adversantem, adeo ut s. Augustinus, epist. CXX (alias CXXII), cap. II, n. 7, non

(1) Loquens enim de Audaeo, qui Deum humana forma esse docuit, ait stulte (μωρίᾳ) ipsum intellexisse, quae in Scripturis per accommodationem de Deo dicta sunt: et paulo infra eumdem rationis inopia laborantem traducit, καὶ ἀλογιστεῖ νοσῶν; eumdem tamen ab hoc errore alii purgant.

(2) *Haeresi* LXXVI et *haer.* LXXXVI.

(3) Lib. *De haeres.* in *Bibliot. Patrum* De la Bigne, tom. V, col. 50, *De imagine et similitudine Dei in homine haeresis.*

(4) *Advers. Haer.* lib. III, haeresi LXX, n. 2 et seqq. edit. Petav.

(5) *De haeresibus*, n. 70, eos tantum schismaticos vocat, ut s. Epiphanius, eorumque vivendi rationem commendat: at Petavius in notis ad citatam Haeresim cum Theodoreto observat eos postea defecisse. Cur vero s. Epiphanius schismaticos tantum dixerit audianos, ex s. Augustino habemus, cujus auctoritas inferius adducetur.

(6) Saeculo V Faustum Regiensem, et saec. X Ratherium monachum adversus anthropomorphitas scripsisse refert Trithemius; sane ex sermone I. de quadragesima ubi Ratherius refellit antropomorphitas, colligitur saeculo X nonnullos presbyteros Vicentinae dioecesecos ejusmodi errorem instaurasse. Cfr. Zaccaria S. J. in adnot. ad loc. cit. Petavii *De Deo*, lib. II, cap. I.

dubitaverit eum vocare *quamdam idololatriam*; qui propterea, libro de *Fide et Symbolo* cap. VII, verba illa symboli: *Sedet ad dexteram Patris*, explanans scribit: *Nec ideo, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est ... ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis* (1). Quod vero diximus de corpore humano debet pariter intelligi de quacumque alia substantia corporea, cujusmodi ex. gr. esset lux, quam manichaei velut partem constitutivam Dei dixerunt, imo ipsum Deum.

DIFFICULTATES

215. I. Obj. adversus primam propositionis partem. 1. Scriptura hominem exhibet conditum ad imaginem et similitudinem Dei; porro homo non solum anima, sed et corpore constat, igitur ad totum compositum haec Dei similitudo referri debet; quod 2. non pauci ecclesiae patres admiserunt. 3. Scriptura tribuit praeterea Deo humana membra, os, oculos, etc.; tribuit corporis proprietates magnitudinem et extensionem; etenim Job. XI, 8, Deus dicitur *excelsior coelo ... profundior inferno ... longior terra mensura ejus, et latior mari*; tribuit affectiones humanas, irae, poenitentiae, zeli, patientiae, vindictae, etc.; ergo.

216. Resp. ad 1. *D.* Quoad animam, *C.* quoad corpus seu integrum hominem, *subdist.* respectu potestatis et dominii, quod ad instar regis super omnia animantia ac super universam terram exercet, in quo homo prae-

(1) Cfr. Petav. loc. cit. ubi innumera prope affert patrum sive graecorum sive latinorum testimonia ad eandem adstruendam doctrinam, seu *juxta patrum fidem*, ut loquitur Gennadius, libro *De Viris illust.* in *Theoph. de Dei nempe incorporea natura.*

fert imaginem Dei supremi Domini, *C.* respectu lineamentorum corporeorum *N.* Apposite Philo judaeus de iis, qui abjecte adeo de Deo sentiunt, scripsit, *Cochlearum more in id, quod mortale est, subeuntes, vel ut herinaceos in sese conglobatos et circumvolutos, de beato et incorruptibili Deo talia sentire, cujusmodi de se ipsis judicant* (1).

217. Ad 2. *D.* In sensu nuper exposito, aliove cum catholica doctrina consentaneo, *C.* in sensu anthropomorphitarum *N.* Patres igitur, qui etiam quoad totum hominem Dei similitudinem agnoverunt, vel 1. ea ratione loquendi intellexerunt potestatem, qua homo regis cujusdam more in naturae creatae res pollet, ut diximus (2); vel 2. opinati sunt Deum in creatione seu formatione hominis humanam formam assumpsisse tanquam typum et exemplar, ad quod opus suum exigeret (3); vel denique 3. putarunt etiam quoad corpus hominem Deo esse similem respectu habito ad futuram Divini Verbi incarnationem (4). Hac ratione quae apud patres obscure dicta, vel dure, quaeque non consentanea reperiri possunt iis, quae alibi iidem patres de summa Dei simplicitate praedicant, et explicantur et emolliuntur et cum reliquis optime componuntur.

218. Ad 3. *D.* Improprie seu metaphorico sensu, *C.* proprie *N.* Deus enim homines alloquens, horum imbecillitati se quodammodo accommodavit, iis verborum formulis utens, quae vel humana membra, vel corporum

(1) Ἀλλ' εἰς τὸ θνητὸν εἰσδυόμενοι, καθάπερ οἱ κοχλίαι, καὶ περὶ αὐτοὺς ὥσπερ ἐχεῖνοι σφαιροειδὲς εἰλούμενοι, καὶ περὶ τοῦ μακαρίου καὶ ἀφθάρτου, καὶ περὶ αὐτῶν δοξάζομεν. *De sacrificiis Caini et Abelis* p. 146, edit. Paris. 1640.

(2) Cfr. Petavius, *De opific. sex dier.* lib. II, cap. 3 et seq.

(3) Ibid. cap. 4.

(4) Ibid. Hinc Prudentius in *Apotheosi contra Unionitas*, id est, sabellianos haereticos:

Christus forma Patris; nos
Christi forma et imago,
Condimur in faciem Domini
bonitate paterna
Venturo in nostram faciem post saecula Christo.

proprietates vel affectiones exprimerent, ut intelligerent Deum solo nutu ac voluntate praestare, quae homines utpote corporei suis membris, affectionibus, proprietatibusque operantur. Ceterum ne quis humanae menti subesset error, ea de se praedicat, quae cum ejusmodi affectionibus vel proprietatibus consistere nequeunt; ut cum dicit Jerem. XXIII, 24: *Numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus*; et Sap. I, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis*; et his similia, quibus referti sunt sacri libri. Quare merito s. Epiphanius: *Affectiones*, inquiebat, *in Deo esse aliquas dicere, summae esse impietatis, eo quod divinum numen nullis affectionibus est obnoxium et his omnibus superius est, quae peculiari cognitione ac cogitatione comprehendimus* (1).

219. II. Obj. adversus alteram propositionis partem. Quod revelationi non opponitur, imo eidem potius congruit, de haeresi damnari non potest. Jam vero 1. Scriptura, ut ipse observat Origenes (2), contrarium non definivit, *incorporei* seu ἀσωμάτου vox, ut idem adnotat, in Scripturis non reperitur. 2. Scripturarum loca, in quibus Deus *spiritus* dicitur, non solum Dei substantiam incorpoream non evincunt, sed evincunt potius contrarium. 3. Exploratum enim est hanc vocem apud veteres aliam significationem habuisse, quam apud nos, ut eruitur ex pluribus exemplis scriptorum, sive ecclesiasticorum sive profanorum, qui per spiritum non aliud intelligebant nisi corpus subtilius. Alioquin, si ratum habuissent veteres *incorporeitatem* proprietatem spiritus esse, nun-

(1) Haeresi LXXVI, in confut. cap. 14, Aetii pag. 953, edit. Petav. Πάθη ὅλως ἐν Θεῷ διηγεῖσθαι ἀσεβέστατον. εἴσω γὰρ παθῶν οὐδ' ὅλως περιέχεται τὸ θεῖον. ἀνωτάτω δὲ ὂν τῶν τοιούτων, τῶν ἐν ἡμῖν, εἰς μεριστικὰς ἐννοίας ὑποπιπτόντων.

(2) *De Principiis*, lib. I, cap. I.

quam in eam devenissent sententiam, ut sibi persuaderent *spiritus esse corporeos* (1); ergo.

220. Resp. *Conc. maj. neg. min.* Ad 1. *D.* Expresse, *Tr.* aequivalenter *N.* Nam eo ipso quod Scriptura Deo tribuat proprietates, quae cum corpore componi nequeunt, cujusmodi sunt immensitas, infinitas, etc., patet ab ea tribui Deo simplicitatem summam. Origenes autem loc. cit. nihil aliud edicit nisi conceptis terminis Deum in Scripturis minime vocari ἀσώματον, quod non abnuimus (2).

221. Ad 2. *D.* Si Scriptura de Deo loquens praeterea non adderet ea, quae spiritum proprie dictum, seu prout nos hanc vocem accipimus, denotant, *Tr.* secus *N.* Jam vero non ex sola ac nuda spiritus voce colligimus Deum incorporeum ac simplicem praedicari, sed ex ceteris proprietatibus modo recensitis, quae nonnisi substantiae simplici ac vere spirituali conveniunt, atque ex scopo et contextu.

222. Ad 3. *D.* Prout exploratum pariter est, veteres non eadem significatione usurpasse vocem *corporis* ac nos usurpamus, *C.* in eodem sensu *N.* Non inficiamur latiori sensu interdum a veteribus vocem *spiritus* acceptam fuisse, at non minus certum est diverso etiam sensu ab iisdem vocem *corporis* adhibitam esse. Aliquando per hanc vocem exprimebant quod nos *substantiam* voca-

(1) Ita Beausobre loc. cit.

(2) Et hic juvat specimen exhibere malae fidei, qua religionis catholicae hostes proferunt veterum auctoritates. Beausobre effert auctoritatem Origenis, nec advertit 1. hic Origenem non ex propria sententia ea affirmare, sed proferre objectiones adversariorum. 2. Origenem fuse ea refellere quae sibi objiciuntur. 3. Ostendere vocem *spiritus* in Scripturis opponi corporalibus. En ejus verba loc. cit. n. 2: « Consuetudo est Scripturae sanctae, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori et solidiori designari vult, spiritum nominare, sicut dicit: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* In quo sine dubio per litteram corporalia significat, per spiritum intellectualia, quae et spiritualia dicimus »; et ita prosequitur. 4. n. 4 ex professo ostendit in verbis Christi *Deus spiritus est*, nomen spiritus ita usurpari a Christo Domino ut illud opponat corpori, ut jam a nobis superius observatum est.

mus (1), aliquando designabant naturam non omnimode simplicem, cujusmodi Deus est omnis compositionis tum metaphysicae tum logicae expers (2), quo sensu interdum veteres dixerunt corporeum quidquid Deus non est, ideoque non absolute, sed comparative, quo sensu spiritus corporeos dixerunt. Quare haec dissimulavit Beausobre?

223. Inst. Eo majori indulgentia digni sunt, qui Deum corporeum ac lucem extensam crediderunt, 1. quod nullam ideam substantiae spiritualis habeamus; 2. quod ex ejusmodi errore Dei corporei nullum detrimentum religio patiatur; cultus enim, amor Dei, obedientia ei debita integra subsistunt; 3. quod ii, qui divinam naturam lucem esse extensam sibi persuasum habebant, nec eam minus sanctam, aut puram aut invisibilem crediderunt; nec idcirco minus perfecti christiani fuerunt Tertullianus, Melito, etc. etsi Deum corporeum esse crediderint; 4. quod vel subtilissimus inter antiquos theologus, cujusmodi profecto communi omnium suffragio fuit s. Gregorius Nazianzenus, aperte fateatur, *Orat. XXXIV*, naturam divinam esse prorsus incomprehensibilem, atque ineffabilem, cum attributa negativa nullam nobis divinae essentiae ideam praebeant, et dicant quid Deus non sit, minime vero quid sit; voces autem quibus utimur ad aliquid de Deo significandum semper menti nostrae ideam offerunt alicujus rei sensibilis, *adeo ut impossibile sit* enti corpore praedito entia simplicia cogitare, nullo adhibito rerum corporearum adminiculo (3); ergo.

(1) Ut de Tertulliano exploratum est. Cfr. Natalis Alex. *Hist. Eccles. saec.* II, diss. IX, art. 71; Witasse, Tract. *De Deo*, quaest. VI, sect. II, pag. 452, edit. Paris. 1718; Boucat, *De Deo* diss. III, art. 3; Vasquez in 1. part. disp. XXI, cap. 1.

(2) Ut Methodius, Gennadius, Theophilus Alex., Cassianus, Hilarius apud Petav. *De Deo*, lib. II, cap. 1, § 14.

(3) Sic Beausobre loc. cit. pag. 458 et seqq.

224. Resp. Ad 1. *D.* Nullam habemus substantiae spiritualis ideam adaequatam, *Tr.* inadaequatam *N.* Nos enim juxta aliquos philosophos, praesertim antiquiores, devenimus in cognitionem entis seu substantiae spiritualis et simplicis per remotionem partium ac modificationum, eorumque omnium, quae in compositionem, quaecumque demum ea sit, confluunt, et diversos gradus simplicitatis hac via concipimus, donec perveniamus ad simplicitatem summam, quae nonnisi in Deo est. Cum igitur ideam satis claram habeamus compositi, nihil prohibet quominus per eam abstrahendo efformemus nobis ideam saltem inadaequatam ejus substantiae, quae simplex omnino sit, quaeque praeterea sit spiritualis, si ejus actus sint ejusmodi, ut nullo modo possint competere entibus materialibus. Juxta philosophos recentiores idea entis simplicis, qualis est idea *nostri ego* est prima idea, et est velut fundamentum recentioris philosophiae (1).

225. Ad 2. *Neg.* Illud enim religio ex falsa ejusmodi opinione detrimentum patitur, quod patitur a quocumque alio errore, qui adversatur veritati, cujus religio expressio est. Si valeret Beausobrii ratio, consequeretur inter haereses minime esse recensendos arianismum, eutychianismum, nestorianismum, aliasque sexcentas monstrosas ejusmodi sententias, quae fidei dogmatibus, seu veritatibus speculativis a Deo revelatis adversantur.

226. Ad 3. *Tr.* Numquid propterea haeresis talis esse cessabit, si, qui illam profitentur, in ceteris fidei articulis a veritatis tramite non abscedant? Quod spectat ad illos, qui erroneae ejusmodi opinioni adhaesisse dicuntur, et nihilo tamen secius perfecti christiani extiterunt, distinctione opus est; si enim ita de Deo senserunt *rustica simplicitate* ducti, cujusmodi nonnullos monachos fuisse affirmavit s. Hieronymus, Epist. XI, ad Pam-

(1) Cfr. Galuppi, *Elementi di filosofia*, tom. III, *Dell'ideologia*. Messina 1824, cap. I et seqq.

machium, tunc utique materialis hic error nihil officiebat ipsorum sanctitati; ast si ita sensissent postquam illis patefacta est contraria ecclesiae doctrina, profecto nec sancti nec perfecti christiani esse potuissent, sed formales haeretici. Nulla enim est vera sanctitas sine vera fide.

227. Quod attinet ad Melitonem, Tertullianum, etc., quos Beausobre pro certo habet credidisse in Deum corporeum, res adhuc incerta est. Sunt qui eos hujus erroris accusant, et sunt qui eosdem ab hac macula longe probabilius liberant; ad ulteriora nos properantes, non est quod in critica hac disquisitione immoremur, cum fidei nostrae dogmata ab unius alteriusve privata opinione non pendeant, praesertim cum in hypothesi adversarii (quam non admittimus) citati auctores errore potius mentis quam voluntatis in ea sententia versati fuissent (1).

228. Ad 4. Dicimus Gregorium Nazianzenum in adductis locis nihil aliud docuisse, quam quod ceteri omnes patres ante et post ipsum docuerunt, ac omnes etiamnum theologi docent, naturam nempe divinam esse incomprehensibilem atque ineffabilem, nec nos posse ad invisibilia ejus, ut loquitur Apostolus, nisi per visibilia, ac per ea, quae ab ipso Deo facta sunt (2), ad ipsum assurgere. Quid inde colligi possit pro adversarii sententia non video, quin potius ex iis, quae difficilia

(1) Consul. auctores a nobis citati supra in nota (1), pag. 113, qui eruditissime ab hac criminatione eosdem vindicant.

(2) Rom. 1, 20. Ceterum satis est vel leviter percurrere *Orationem* XXXV s. Gregorii Nazianzeni, quae est secunda de theologia, a n. 10 ad 24, ut quisquam intelligat non alienum esse sensum s. Doctoris ab eo quem indicavimus. Addit autem fieri prorsus non posse ut ii, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum rerum ac sensilium adminiculo, rebus iis, quae animo ac ratione intelliguntur seu percipiuntur, omnino conjungantur. Semper enim, inquit, obiter sensile aliquid incidit, quantumvis maxime nostra mens ab iis rebus, quae in aspectum cadunt, se se surripiat et in seipsam collecta, cum rebus cognatis atque oculorum aciem fugientibus commercium habere conetur. Ast per hoc non inficiatur nos non posse habere ideam rerum abstractarum, vel substantiarum simplicium, sed loquitur tantum de eo quod evenire consuevit. Ibidem enim Deum omnino simplicem, et cujusvis compositionis expertem esse, ex professo demonstrat.

*

nostro intellectui sunt, colligi debet absoluta necessitas, quae omnibus incumbit, acquiescendi infallibili ecclesiae magisterio.

229. Dices: Anthropomorphitae tolerati sunt, neque inter haereticos recensiti a s. Epiphanio, teste s. Augustino, *Haeresi* L; ergo.

230. Resp. *D.* Quamdiu ignorantia ac simplicitate errarunt, *C.* postquam eis ecclesiae contraria doctrina innotuit *N.* Alioquin in catalogo haeresum et haereticorum illi patres atque scriptores ecclesiastici anthropomorphismum ejusque sectatores minime recensuissent. Rudiores porro illi monachi tolerati ad tempus sunt, quod, ut ibidem scribit s. Augustinus: *Rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur haeretici.* Sic Cassianus, *Coll. X*, cap. 2, *Simplicitatis errorem* vocat illorum monachorum opinionem (1).

PROPOSITIO III.

Systemata pantheismi atque autotheismi absurda sunt

231. Majoris perspicuitatis gratia nonnulla ad dicendorum intelligentiam praemittenda censuimus.

232 1. Pantheismus veterum stoicorum confundi non debet cum spinozismo proprie dicto. Veteres enim stoici etsi mundum hunc, quem aeternum cum plerisque philosophicis sectis supponebant, Deum dicerent, distinguebant tamen duas substantias in Deo, spiritualem atque intelligentem, quae esset ad instar animae, quae molem intus pervaderet, regeret, vitam motumque praeberet, tanquam partem constitutivam totius esse divini, nempe Dei, et substantiam corpoream velut partem alteram con-

(1) S. August. *De haeresibus*, ubi de *Vadiunis*.

stitutivam ipsius Dei exteriorem atque passivam (1). Spinoza vero non adstruit in Deo, quem identificatum supponit cum hac rerum universitate, nisi unam substantiam, cujus proprietates et attributa ac modificationes sunt intelligentia, immensitas, infinitas, etc. ideoque intelligentiam concipit, non ut partem constitutivam ipsius Dei, sed solum ut ejusdem attributum (2).

233. 2. Pantheistae recentiores plus minus accedunt ad Spinozae systema circa unicam substantiam, quam activam et passivam simul adstruunt; diversa tamen ratione ac diversa via pro ratione diversa philosophandi in idem conspirant.

234. Etenim qui sectantur philosophiam *realisticam*, ut vocant, affirmant Deum esse *universum absolutum*, *chaos*, *indifferentiam puram* inter objectivitatem et subjectivitatem, *complexum naturae totius* et *animal universale*, quod hoc universo empyrico se quasi vestivit ex quo omnia, ceu *transeuntes apparitiones*, *vibrationes* et totidem bullae in *universalis vitae oceano* promanant. Ita Schelling ejusque sequaces (3).

235. Qui vero philosophiam *idealisticam* profitentur, docent Deum esse illud *ego universale*, quod ex intuitu nostri ipsius *ego* deducitur, quodve nec *substantia* potest dici, quia conceptus substantialis est finitus, nec *existens*, quia existentiae forma spatii et temporis sem-

(1) In hoc consentiebant stoici, ut principium aliquod primum rerum omnium ponerent, etsi dissentirent inter se in hoc principio determinando; siquidem alii illud ignem vel aquam, etc. esse dicebant; consentiebant praeterea in eo quod asserent principium illud, quodcumque demum fuerit, a ratione regi in operando, et divinam rationem, ut loquitur Seneca, toti mundo ac partibus ejus insertam, vel ut ajebat Zeno Θεὸν εἶναι πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, id est, *Deum esse spiritum universum mundum permeantem*. Cfr. Cudworth, *Syst. intell.* cap. 4, § 25.

(2) Ex antiquis praeiverant Spinozae *eleatici*, qui, duce Xenophane, quidquid existit, aeternum dixere, infinitum atque unum esse; nempe mundum, quem Deum vocabant.

(3) Vid. Joan. Imre, *Amicum foedus rationis cum experientia*, Pestini 1827, part. I, *Cosmologia*, cap. I, § 6 et part. III, *Theol.* cap. I, § 1.

per adhaeret: utrum vero illud *ego universale* sit *ordo mundi moralis*, an *ideale purum*, determinari non posse autumant. Ita Fichte cum suis asseclis (1). Ex hoc principio exsurgit *autotheismus* seu *suitheismus*, cum Deus non sit nisi *ego absolutum* et *individuale*, seu personale *sublimatum*.

236. 3. Tum ex *transcendentali realismo* et *rationalismo*, tum ex *idealismo* et *intuitismo transcendentali* originem suam habuit sansimonianismus, cujus doctrinae summa consistit in neganda seu destruenda omni divinitate ac religione, in quarum locum substituit pantheismum atque authotheismum universalem totius generis humani (2), quod sansimoniani unire satagunt in unam familiam aequalium personarum, exclusa omni inaequalitate vel privilegio orto ex nativitate. Idem praeterea sansimoniani omnia moralitatis principia evertunt, et id demum respective bonum vel malum statuunt, quod eorum fini confert, vel respective adversatur. Uxores in familiis aequales statuunt maritis, ideoque quaerunt mulierem emancipatam vel emancipandam (3). Continuum praedi-

(1) Ibid. part. III, tom. cit. Fichte assentiuntur Jacobi et Koppen. Cum ab his quaereretur, num *ego illud* sit creator ex nihilo, rex adorandus, etc., reposuerunt: *Cum illius* non ego (scilicet mundi, nam sic ipsi distinguere solent, et vocant *ego proprium* seu individuale animam; vocant vero *non ego* mundum et ea quae in mundo sunt, in quae impingens τὸ *ego proprium* limitatur a *non ego*) et *individualis ego* (animae nostrae) *aliter conscii non simus, nisi praeexistente* τῷ ego universali, *quod illa ponat producatque, consequens est illud creatorem omnino esse*. Id est, ponunt creationem non ex nihilo, sed tanquam emanationem τοῦ *ego universalis*. Admittunt quoque illud *ego universale* dominum esse, ast detestantur ejusdem dominium *in* τὸ *ego nostrum* velut tyrannidem, despotismum, superstitionemque paganam et judaicam, qua Deus deorum creditus cultusque est. Ecquis risum teneat dum haec perlegit?

(2) Inferius afferemus textus ex ipsis libris sansimonianorum ad haec ostendenda. Secta sansimoniana ob nimias fatuitates, quas praedicabat, ab initio vix digna attentione videbatur; cum vero latius latiusque serpat (anno 1835), et emissarios effuderit in dissitas regiones, Syriam, Aegyptum, etc. ad virus suum diffundendum, ideo operae pretium duxi ejusdem systema ob oculos lecturum ponere.

(3) Ita in libello cui tit. *Religion saint-simonienne, Communion générale*, pag. 32, Paris 1831, « Parmi nous plus de privilèges de sexe et de naissance: l'inférieur n'est plus

cant progressum et perfectibilitatem, quivis singillatim passus, ut ajunt, humani generis et progressus, est aliquis gradus ad perfectionem; atque ita velut progressus habentur ex. gr. praetensa Lutheri reformatio, rebelles motus Galliae ante annos XL, recentia seditiosorum tentamina ad omnem ordinem evertendum (1). Sed haec juxta ipsos non erant nisi opera incompleta, perfectio rerum Sansimoni reservata fuit ejusque discipulis! Ex eodem progressu vel perfectibilitate non desperant fore ut homines aliquando aeternum vivant in his terris. Christi religio juxta eos bona fuit; pro illa Christi aetate fuit progressus, quia tunc necesse erat hominibus praedicari mortificationem coelumque promitti; nunc autem genus humanum altius provectum est, et homines abstinentia non amplius opus habent, cum omnes vocentur ad felicitatem (2).

237. Cum sansimoniani Deum ac religionem omnem rejiciunt, simulacrum tamen divinitatis per autotheismum

l'esclave du supérieur, ils sont associés; l'homme n'est plus le maître de la femme, ils sont mariés; un peuple n'est plus le tributaire d'un autre peuple, ils forment une seule famille; car Dieu est tout ce qui est ». Ista est ratio quare caput seu princeps sectae *patris* nomine donetur, qui nunc est quidam Enfantin nuncupatus. Etsi vero secta cooperatrices habeat, ut patet ex libro *Religion saint-simonienne*, *La Presse*, pag. 26, nondum tamen communem matrem invenit.

(1) Inter cetera in libro cui titulus: « Religion saint-simonienne, *Enseignement central*, pag. 34, haec legunt: « Saint-Simon sentit l'inspiration progressive, et dit: toute l'humanité est là, lorsque j'aurai réconcilié le catholicisme et le libéralisme (qui videtur pariter scopus auctoris: *Paroles d'un croyant*) et que j'aurai fait disparaître ces deux formes exclusives, j'aurai réconcilié l'humanité avec Dieu, c'est-à-dire avec elle-même, avec le monde (en Deum sansimonianorum societatem et mundum), j'aurai trouvé la vraie religion ». Cfr. etiam *Organisateur*, 19 Maji, 1830, *Sur la vie et le caractère de Saint-Simon*, ubi dicitur, quod Moyses *promiserit* hominibus fraternitatem, Christus *praeparaverit*, San-Simon *perfecerit* (*réalisée*). Hinc est quod ipsius discipuli, qui Christo Domino negant appellationem *hominis Dei*, *Filii dilecti aeterni Patris*, etc., has denominationes transtulerint in San-Simonem. Et in op. cit.: *Enseignement central*, pag. 27, dicitur: *Chaque pas de l'humanité qu'elle parcourt est un progrès.*

(2) *Enseignement central*, Paris 1831, loc. cit. « L'abnégation n'était plus nécessaire, parce que les temps étaient venus, où tous sans exception devaient être appelés au bonheur ».

retinent ac religionis, quam cum politica confundunt, seu identificatam cum politica autumant. Quod apprime notandum est, ut detegatur eorum loquendi ratio, quae sub involucris et ambagibus verborum latet. Usitato nempe dicendi modo plerumque utuntur, saepe enim disserunt de revelatione, religione, Deo, Trinitate, Messia, etc. Miracula admittunt, sacerdotes etc. at longe diverso sensu ab eo, quo nos iisdem vocabulis utimur (1), ut ex expositione illius systematis quisque percipere potest.

(1) Quod Deum objectivum rejiciant patet ex eorum confessione : « Nous ne craignons donc pas de le dire avec vous, que tout ce qui n'est pas atheisme aujourd'hui est ignorance et superstition ; que toutes les doctrines, qui ont dirigé les peuples, ont successivement pris et quitté », et tamen perpetuo sansimoniani loquuntur de Deo ac de religione ; sed Dei nomine significant hominem et societatem ; sed voce religionis et dogmatis intelligunt *scientiam* ; loquuntur de *Trinitate*, ast ea voce significant *activitatem externam*, *intellectum et imaginationem*, quarum prima praeest *industriae*, secunda *scientiis*, tertia *bonis artibus*, inter quas collocant religionem sansimonianam, quam filiam vocant *imaginationis*, filiam augustam *veri*, etc. et tripliceem manifestationem nuncupant : « Cette triple manifestation de l'activité humaine (*Doct. de Saint-Simon*, 1 année, 3 séance) et alibi (55 séance) : Beaux arts, sciences, industrie ; voilà donc la trinité philosophique de Saint-Simon ». Loquuntur de Messia, sed sub Messiae nomine designant quemlibet humanae libertatis assertorem et propagatorem ; sic enim scribunt in art. cit. (*Commun. gener.* pag. 37) ; « O jeunes filles, vous le savez, la vierge Juive (Virgo Judaea, sic enim impii hujus aetatis sanctissimam Virginem Mariam appellant) était belle, heureuse et bénie, parce que d'elle pouvait (*poterat*, non negant ipsi Christum natum esse de Maria Virgine ; ast Christus poterat quidem esse Salvator mundi, sed juxta ipsos non fuit nisi pro quodam incoepto progressu solum ulteriori. San-Simoni ejusque sequacibus perfectio operis, ut vidimus, reservata fuit) naître le Sauveur du monde, vous aussi, vous êtes bénies, heureuses et belles, car, peut-être, serez vous les mères des chefs aimans, qui réuniront un jour tous les peuples dans une même communion ». Hinc desperandum non est aliquando gnosticorum et Montani deliria fore resuscitanda. Loquuntur de sacerdotibus et theurgis ; sed quinam sunt ? en nexam doctrinae sansimonianae ex art. *Enseignement central*, Paris 1831, pag. 27 : « Beaux-arts, science et industrie, et qui constituent dans l'ordre Saint-Simonien la religion, le dogme et le culte ; et alors l'association sera composée exclusivement d'artistes, de savans et d'industriels, ou plutôt de prêtres, de théologiens et et de théurgiens ». *Itaque* artes liberales *sunt* religio, scientia *est* dogma, et industria cultus ; artifices *sunt hujus novae religionis* sacerdotes *vel* presbyteri, sapientes *vero* theologi; physici et chemici, theurgi » etc. ; foeminas etiam ad sacerdotium evehunt ; pudet omnia referre quae de natura novi hujus sacerdotii tradunt ; inter cetera : « Presbyter, *ajunt*, et presbyterissa exercent suum ministerium cum omni vi seu attractione pulchritudinis propriae ; etenim futu-

238. 4. J. Salvador judaeo-philosophus seu incredulus in sua historia institutionum Mosis spinozismum, pantheismum transcendentalem et absolutum, sive ex Germaniae et Angliae philosophis, sive ex sansimonianis, complexus est. Incredulitati adjecit perfidiam judaicam, dum recensita paradoxa cohonestare nisus est doctrina mosaica. Contendit enim Mosem docuisse alium Deum non esse nisi *esse absolutum*, *ego universale*, autotheismum societatis, religionem politicam. Impius propterea hic auctor ceu organum sansimonianismi spectari potest.

239. Longa res esset aberrationes istas humani intemperantis ingenii persequi velle; ut igitur statutam propositionem evincamus, quae complectitur recensita systemata omnia, partim ex *idealismo* anglico profluentia, partim ex *criticismo* germanico atque ex *sensismo*, in quo Deus statuitur idea *subjectiva* et *idealis*, minime vero objectiva et realis, nisi ad summum ut *postulatum* rationis practicae, quaeque recte cum cl. Rosmini *formas impietatis* vocaveris hujus saeculi (1), sic ex generalibus principiis jam vindicatis rem conficimus:

rum sacerdotium non mortificat carnem suam, nec velo obtendit faciem suam, non se operit cinere, nec corpus lacerat, nec discerpit flagelli ictibus, ipsum pulchrum est, sapiens est ». *Vid. Le Globe.* Sane omnes obscoenitates renovant veterum haereticorum seu carpocratianorum et gnosticorum, piccardorum medii aevi sive pseudo-mysticorum. Reliqua expedit praeterire, praesertim cum ex his jam satis pateat, quaenam indoles sit novae religionis, quinam fructus quos peperit philosophia sensistica, idealistica et critica protestantium, quaenam consectaria demum pantheismi et autotheismi. Definiri propterea sansimonianismus posset; « Secta quae pantheismum et autotheismum seu verius atheismum profitetur sub larva terminologiae catholicae ».

(1) In op. *Frammenti di una storia dell'empietà*, Milano 1834, pag. 115; qui praeterea pag. 110 haec praeclare scribit: « Un sentimento religioso e ribellante stà nel fondo del cuore umano, e questo sentimento senza ristare si dispiega e si disviluppa, e or prende forme di una nuda superstizione, or di una nuda e nauseante incredulità, e queste forme si corrompono, e si rigenerano in un continuo movimento, che le affatica, e le fa cangiare senza riposo ». Quibus paucis verbis cl. auctor complexus est originem et progressus omnium impietatum, quae sub diversis formis et nominibus a mundi exordio hactenus obtinuerant, ac deinceps obtinebunt usque ad mundi finem. Prius polytheismus, postea scepticismus et atheismus, sive apertus sive larvatus, ac post religionis

240. 1. Deus ex demonstratis in prop. I. est ens objectivum, reale, extramundanum; 2. Deus praeterea ex dictis est ens infinite perfectum ab omni corporea concretione semotum, et omnino simplex; 3. Deus est ens a se, necessarium independens. Hinc inferimus *a*) ergo Deus non est idea mere subjectiva; *b*) ergo Deus confundi nulla ratione potest cum hac rerum universitate, finita, limitibusque undique circumscripta ac pluribus scatente imperfectionibus, corporea, partibus extra partes positis constante; *c*) ergo Deus non est homo infirmus, non solum physicis, sed et moralibus defectibus undique obnoxius. Absurdus proinde est sive pantheismus sive autotheismus, tum idealis tum materialis.

241. 2. Ad spinozismum speciatim quod attinet, cum nitatur definitione ambigua et contradictorius sibi sit, hoc ipso ejusdem falsitas deprehenditur. Spinoza enim sic definit substantiam: *Per substantiam intelligo id quod in se est, et per se concipitur; hoc est, id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat* (prop. III). Jam vero sub verbis illis: *Id quod in se est*, duplex latet sensus; vel enim significant *id quod per se est*, quemadmodum scholastici dicunt substantiam esse *per se*, quia non indiget subjecto cui inhaereat, quam sic ab *accidente* et *modificatione* distinguunt, quorum proprium est alteri inhaerere subjecto, ut rotunditas ex. gr. in cera est; vel signi-

christianae exordium tot haereticorum sectae, usque ad lutheranos, ac deinceps usque ad rationalistas et sansimonianos. Aliis verbis at eodem sensu magnus Augustinus hoc ipsum longe ante expressit, in lib. XIV. *De civ. Dei.* cap. 28, dicens: « Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui. Denique illa in seipsa, haec in Domino gloriatur.... ideoque in illa sapientes ejus, secundum hominem viventes, aut corporis aut animi sui bona, aut utriusque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum non ut Deum honoraverunt, vel gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, id est, dominante superbia sua, se extollentes, stulti facti sunt », etc.

ficant *id quod est a se*. Si primo sensu accipit Spinoza vocem illam *in se*, optima est ejus definitio, sed ex ea nulla ratione colligere potest conclusiones suas; quod si eam intelligit altero sensu, ejus definitio falsa est, et hac sublata definitione fatiscit fundamentum illius systematis, ac proinde tota superstructa moles ruit. Hoc autem posteriori sensu accipit Spinoza illud *in se*, ut ex ejus deductionibus patet. Idipsum dicatur de explicatione quam subdit datae definitioni, in qua eadem latet aequivocatio: *Cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* Vel enim accipit Spinoza conceptum illum *absolute*, vel *relative*; si accipit absolute, ita ut conceptus unius substantiae formaliter non includat conceptum alterius rei, ex. gr. ut conceptus horologii formaliter haberi possit absque conceptu artificis, recta est; sin vero velit excludere conceptum relativum ad artificem, a quo elaboratum est horologium, est falsa; et tamen hoc posteriori sensu illum accipit Spinoza. Idipsum dicatur de ejus axiomatibus, quae perpetua aequivocatione laborant (1).

242. Dixi praeterea sibi esse contradictorium ejusmodi systema; etenim juxta Spinozam non est nisi una substantia infinita, in qua tamen inesse fatetur plura attributa infinita, inter quae recenset cogitationem et extensionem. Sic porro definit attributum (prop. X): *Attributum per se concipi debet*, seu, ut clarius mentem suam aperit in epist. II et IV ad Oldenburgum: *Notandum*, ait, *me per attributum intelligere omne id, quod concipitur per se et in se, adeo ut ipsius conceptus non involvat conceptum alterius rei*; sed ex ejus propositione III, quam modo expendimus (*Per substantiam intelligo id, quod in se est, et per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu al-*

(1) Cf. Gerdil, *Della esistenza di Dio e della immaterialità delle nature intelligenti*, tom. II, opp. edit. Rom. pag. 285 et seqq.

terius rei, *a quo formari debeat*), eadem est notio substantiae ac attributorum ejusdem substantiae; ergo cum ipso fatente plura dentur attributa, hoc ipso plures dantur substantiae, ideoque, quod consequens est, substantia una est et multiplex, quod involvit contradictionem. Spinozae demum systema aliudve pantheisticum et autotheisticum quodcumque absurdum esse inde patet, quod per illa fatum impium, falsum perniciosumque inducatur; ex iis enim sequitur Deum actionum quarumvis, etsi scelestissimarum, auctorem esse, imo et patratorem; quod quidem *impium* esse nemo non videt; *falsum* insuper propterea, quod dimanat ex falsis conceptionibus de *substantia*, *Deo* et *mundo*, ut suo loco philosophi seu metaphysici ostendunt; eo autem nomine *perniciosum*, quod libertatem humanam et cum ea moralitatem ac religionem penitus labefactet ac subruat (1). Quibus si addatur repugnare Deum simul esse activum et passivum, voluptatibus simul et doloribus obnoxium, stupidum simul esse et ingeniosum, oriri ac interire, aliaque innumera, quae persequi longum esset, eo magis cuique ejusmodi systematum absurditas atque stultitia patebit.

243. Post haec inutile videretur, absurda et impia haec deliramenta hominum, qui *evanuerunt in cogitationibus suis*, in tanta, ut plenis buccis crepant, scientiarum luce, Scripturarum auctoritate refellere; quoniam vero, ut vidimus, non desunt, qui impietates istas Moysi

(1) Sic enim disserit in sua ethica: « In natura nullum datur contingens, omnia sunt per necessitatem naturae divinae determinata, ita quidem, ut certo modo existere et agere debeant; omne enim quod est, in Deo est, Deus autem contingens esse non potest, quia necessario existit. Debent itaque etiam modi naturae divinae inde necessario oriri; hi vero modi sunt substantiae extensae et cogitantes, utpote Dei attributa; hinc Deus non tantum causa earum activitatis est, quae necessario esse debent... Homines sunt in relatione ad Deum id, quod argilla in manu figuli, qui eadem ex materia tum vasa pretiosa tum vilia format ». En quomodo hic impius Dei nomine abutatur, et loquendi ratione delectetur scripturali!

ibere non verentur, coronidis gratia nonnulla addere
t, ad postremum hoc effugium ipsis praecludendum.
4. Porro, qui Deum exhibet aeternum atque in
ore hoc universum e nihilo educentem, rebus his
lanis atque homini praesertim providentem ac pro-
entem, bonorum ac malorum justum retributorem,
um inspectorem, mirabilium effectorem atque futu-
n liberorum eventuum praemonitorem; qui Deum
et legislatorem sapientissimum et auctorem religio-
anctissimae, precumque ac sacrificiorum ad se pla-
um aut ad beneficia obtinenda, etc. non sólum fatalem
eismum vel autotheismum non docet, sed illos plane
it atque evertit; atqui ejusmodi est Deus, quem Moy-
suo Pentateucho perpetuo exhibet. Enimvero satis est
icos aperire codices, ut illico quivis Deum inveniat,
principio creavit coelum et terram; vocem vero
(bara) eductionem ex nihilo significare, tum ex
sius vocis eruitur, ut suo loco ostendemus (1), tum

tractatu de Deo creatore.
vero ut plurimum panthei-
entiores abusi sunt notionibus
e et *possibilitatis*, perinde
ae non solum modo *eminen-*
t superius a nobis dictum est,
eretur de perfectionibus di-
Dei simplicitate), sed *reali*
t in Deo, adeo ut cum es-
reales, quae Deo inesse sup-
r, transeunt ad existentiam,
t nisi Deus ipse foras se pro-
el Dei ipsius modificationes,
ndatur systema emanationis,
profluit pantheismus; juvabit
subjicere claras et distinctas
e et *possibilitatis*. Atque ut
us a possibilitate, 1. illud
possibile, quod esse potest,
d non repugnat. Haec possi-
quae consistit in non repu-
notarum, interna vocatur et
ate fundatur in principio con-
onis: illud est possibile quod
contradictionem non involvit. 2. Quod possibile est, simul est cognoscibile; sed omnino distinguenda est *cognoscibilitas* a *cognitione*, vel *cognoscibile* a *cognito*; *cognitum* supponit intellectum, *cognoscibilitas* vero non item. Nam *cognoscibile* illud est, quod cognosci potest, si existat intellectus praeditus sufficienti perfectionis gradu ad rem hujusmodi intelligendam; an autem talis intellectus existat, sola cognoscibilitas non dicit. Si vero adsit intellectus sufficienti perfectione praeditus, res quidem cognoscetur, sed tamen non efficietur, nec producetur ab intellectu, et cognoscibilitas semper ratione prior erit ipsa cognitione; objectum cognitionis praesupponendum erit logice ante actualem cognitionem: *Sicut bonum*, inquit s. Thomas 1. p. q. XVI. a. 1. *nominat id in quod tendit appetitus, ita verum nominat id in quod tendit intelle-*

ex sensu traditionali totius judaïcae gentis (II Macch. VII, 28). Justis praemia, malis poenas decernit (Gen. III, IV, etc.), legem sancit (Exodi XX, et seqq.) Tota

ctus. Secus si cognoscibilitas et possibilitas producerentur ab intellectu, si intellectus est infinite perfectus, objecta producta quoque infinite perfecta esse deberent, ut patet in *Verbo*, quod procedit per intellectum. Nec est quod quis regerat: intellectus cognoscit omnia juxta exigentiam suae naturae, cognitione infinita quidem ex parte subjecti cognoscentis, sed finita ex parte objecti cogniti. Hoc sane optime dicitur, inde enim sequitur objectum non pendere ab intellectu, qui illud praesupponit. Deus intellectu ad intra nihil producit (seu gignit) nisi Verbum, ad extra non producit nisi voluntate libera, *Deus autem noster in caelo, omnia quaecumque voluit fecit*, Psal. CXIII, non omnia, quae *intellexit.* 3. Principium contradictionis, quod est fundamentum rerum possibilium, debet saltem in ordine cognitionis et disputationis, seu logice et *ratione prius* supponi ante existentiam Dei; nam secus quid prodesset adversus atheum evincere existentiam Dei, cum Deus, non supposito principio contradictionis, *idem non potest simul esse et non esse*, posset adhuc non existere, tametsi demonstretur ejus existentia? Deus esset etiam in ordine ad nos *prima veritas* quae certo cognoscitur, quod est falsum, etsi nonnulli hoc dixerint, ut vidimus superius (n. 61. p. 32.). 4. Pejus adhuc esset, si possibilitas illa rerum *formaliter* acceptarum, seu prout sunt in se, confunderetur cum intellectu divino vel cum essentia divina; tunc enim, ut ex dicendis inferius clare patebit, delabimur in pantheismum. 5. Possibilitas, de qua hactenus diximus, est possibilitas interna; sed praeter eam consideranda est etiam possibilitas externa. Haec nihil aliud est nisi virtus causae producendi id quod est interne seu intrinsece possibile; et haec causa nihil aliud est, nisi omnipotentia Dei. 6. Externa possibilitas supponit internam; nam Deus producere non potest id quod repugnat, ex. gr. circulum quadratum. Atque hinc s. Thomas, I. p. q. XXV, art. 3, Θ, ait: « Relinquitur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute... possibile quidem, quia praedicatum non repugnat subjecto... impossibile vero absolute, quia praedicatum repugnat subjecto ». 7. Sed jam de essentiis rerum. Possibilitas latius porrigitur quam rerum essentiae, seu quod idem est, essentiae rerum debent esse possibiles, sed non omnia possibilia pertinent ad rerum essentias; possibilis est homo procerae staturae, sed proceritas non pertinet ad essentiam hominis: *Numquid homines non sunt parvuli?* inquit s. Augustinus. 8. Essentiae rerum duplici modo considerari possunt, nempe, ut scholae loquuntur, *formaliter* et *eminenter*, hoc posteriori modo sunt ipsae infinitae perfectiones divinae, et sunt identificatae cum Deo; *formaliter* sunt quales in ipsis inveniuntur, seu sunt id per quod unaquaeque res in suo esse constituitur; si essentias rerum hoc modo consideratas confundamus cum essentia Dei, en iterum nos in pantheismo! Reipsa essentia hominis existentis una est eademque; homo in utroque statu est animal rationale, nam per existentiam non destruitur essentia, sed essentia per existentiam ex mera possibilitate transit in actum, ac propterea existentia dicitur ultimum possibilitatis complementum. Haec autem quae hic dicta sunt de eadem essentia in duplici statu considerata, possibilitatis nempe et existentiae, confundi non debent cum quaestione a philosophis agitata, num *essentia actualis* distingua-

Josephi historia, ut de reliquis taceam, non est nisi historia, ut ita dicam, divinae providentiae, quae mirifice elucet in variis sanctissimi hujus patriarchae eventibus. Ne singula vaticinia persequar, quid significant vaticinia Abrahamo ejusque posteritati facta, quae plenum exitum sortita sunt? Licet profecto asserere, tot esse in pentateucho mosaïco argumenta adversus monstrosum et impium Salvador systema, quot capita, imo pene dixerim quot verba. Mirum est, in tanta tot saeculorum serie, neminem ex tot tantisque veteris synagogae viris, et sanctitate et doctrina praestantibus, deprehendisse, quod demum Salvador, ut suis gratificaretur sansimonianis reperit; imo nec Philonem nec Flavium Josephum quidquam tale unquam suspicatos esse.

245. Concludamus igitur pantheismi, cujuscunque demum formae, atque autotheismi systemata absurda omnino esse atque a mosaïcorum librorum documentis prorsus aliena.

tur realiter ab existentia, quod recentiores negant; haec enim inter se toto caelo distant. 9. Sicut possibilia et essentiae rerum duplici modo considerari possunt, ita et duplici modo cognosci possunt. Sicut Deus eminenter essentias rerum omnesque possibiles perfectiones continet, ita omnes cognoscit in se ipso, sive in sua essentia. Sed eas cognoscit etiam in seipsis, quia in seipsis sunt cognoscibiles; posito enim objecto cognoscibili et intelligentia infinite perfecta, certe nihil aliud requiritur ad aliquid cognoscendum; species enim intelligibiles, quae olim a scholasticis requirebantur ad aliquid videndum seu cognoscendum, a recentiori philosophia expunguntur. Ex harum notionum confusione plures hac nostra aetate, in Germania praesertim, errores, nec leves, prodierunt. Cfr. Storchenau S. J. *Instit. metaphys.* lib. 1, sect. 1, cap. 1, et sect. 3, cap. 4, n. 165, scholion 2. Cum vero s. Thomas loc. cit. 1. p. q. XVI. a. 1. affirmat veritatem esse in intellectu non autem in rebus, id affirmat in ordine ad causam exemplarem, cujusmodi sunt ideae, ut vocant, archetypae in Deo, et artefacta in mente artificis, ut ibidem explicat; quo sensu etiam alibi docet scientiam esse causam rerum, quod et nos tuebimur. Seu ut aliis placet loquitur s. Doctor de veritate *logica* quae profecto non est in rebus sed in intellectu, non autem de veritate *metaphysica*. Hinc Vasquez in 3. p. s. Thomae Tom. II. q. LXII. ar. 4. Disp. CXXXII. cap. 6. pag. 208. edit. Lugdun. 1620. col. 2. circa initium haec habet: « Essentiae rerum ordine rationis sunt ante omnem Dei scientiam, et voluntatem: quare licet possit cuilibet rei tribuere, aut non tribuere existentiam, non potest illius naturam intrinsecus immutare ».

DIFFICULTATES

246. I. Obj. Si una substantia non potest produci ab alia, si non potest dari nisi una substantia infinita, si denique ad naturam substantiae pertinet existere, planum est non posse dari nisi unam substantiam, eamque infinitam, ac necessario existentem, quae non potest esse nisi Deus. Atqui rem ita se habere patet ex eo quod si una substantia posset ab alia produci, ejus cognitio a cognitione causae suae deberet pendere, et eamdem involvere, adeoque non esset substantia, quae non aliud est nisi quod in se est, et per se concipitur, seu cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. Ita si haec substantia non esset infinita, ideo esset, quia ab alia ejusdem naturae terminaretur; cum autem non possint dari duae substantiae ejusdem generis, patet non posse aliquam substantiam ab alia ejusdem generis substantia terminari, ac propterea esse unicam substantiam eamque infinitam. Quod demum ad naturam substantiae pertineat existere ex dictis sequitur: si enim substantia non potest produci ab alia, erit itaque substantia causa sui, id est, ipsius essentia involvet necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere; ergo.

247. Resp. *Neg. min.* Ad probationem... *Quae non aliud est nisi quod in se est*, etc. *D.* Id est, quod *per se* est, seu quod non indiget subjecto, cui inhaereat, *C.* id est, quod *a se* est, seu a seipso existentiam habet *N.* Cum vero tota vis subsequentium probationum ab hac aequivocatione pendeat, hac sublata, sponte sua ruit totum argumentum. Ideo vero hic contexuimus seriem demonstrationis Spinozae, ut clariori in lumine poneremus sophisticam ipsius argumentandi rationem.

248. Eadem latet ambiguitas in definitione *infiniti.*

tenim cum per infinitum intelligi possit illud, quod ab alia substantia ejusdem naturae limitari non potest, cuusmodi a pluribus concipitur spatium, Spinoza huic notioni callide substituit aliam, nempe infinitum illud esse, quod ab alia natura ejusdem generis, terminari non potest, quo sensu aeque infinita esset atomus Epicuri, quae sola existeret, etsi exiguissima, eo ipso quod sola in hypothesi existeret: nam si sola atomus esset, vel solus existeret pulvisculus, ab alia substantia ejusdem generis non limitaretur seu terminaretur, esset tamen limitatus a se, et in se (1).

249. Inst. Si praeter Deum alia admitteretur substantia, ideo esset, 1. quia divina substantia non omnes existendi modos praeseferret, quod est absurdum, cum divina substantia perfectissima sit, seu omnes perfectiones in se contineat; 2. finita insuper esset divina substantia, quia ab alia diversa circumscriberetur, ac 3. deberet ab alia differre; in divina autem substantia, quae simplicissima est, nulla ejusmodi differentia concipi potest, per quam ab alia realiter distinguatur. Quibus omnibus 4. robur accedit, tum ex eo quod si praeter Deum alia existerent, jam Deus perfectior esset una cum iisdem substantiis, quam si esset solus seu sine illis, tum ex eo quod tunc Deus, utpote aliarum substantiarum causa, deberet in se continere has substantias formaliter, prout causa continet in se effectum cujus causa est; quae omnia sunt absurda.

250. Resp. ad 1. *D.* Vel formaliter vel eminenter, ut suo loco expositum est, *C.* formaliter *N.* Et sic ceterae difficultates sponte sua evanescunt.

251. Ad 2. *N.* Tunc enim circumscriberetur, si cum substantia divina alia ejusdem naturae coexisteret, non autem si diversae naturae sit et a Deo omnino pendeat,

(1) Cfr. Gerdil. diss. cit. loc. cit.

tum in existentia, tum in omnibus suis attributis e fectionibus, ac in Deo ipso subsistat.

252. Ad 3. *Conc. antec. neg. cons.* Etenim dif profecto a Deo creaturae omnes, eo quod limitatae, cumscriptae ac ab alio sint, Deus autem simplici infinita essentia est atque a se existens.

253. Ad 4. *Neg.* Cum enim omnia, quae a Deo quod habent habeant ex eo, qui perfectiones om quae in creaturis sunt, ipsis communicat per part tionem, ut loquitur s. Thomas, ideoque in se Deu ge nobiliore modo et has perfectiones aliasque omne sibiles continet (1).

254. Quod postremo loco additur de causa conti in se effectum, jam disjectum est ex iis, quae di de ratione formali ac virtuali seu eminenti, qua in se omnia continet.

255. II. Obj. cum Salvador 1. Ex consideratione universi gignitur in humana mente idea cujusdam stentiae infinitae; et 2. quidem infiniti positivi, omnes includit characteres, quos theologi in De censent, cujusmodi sunt *unitas*, *aeternitas*, *inv litas*. 3. Hoc autem *Esse* universale ac aeternum, vum simul et passivum, Abraham et Moses voc Jehovah (2) 4. Idea *Entis absoluti*, quod dici infinitheismus, fundatur in facto, analogia, histo convictione (3). Sane 5. Moses id expressit per v Jehovah, quae a radice *haia* (הָיָה), seu *hava* (deducitur, quaeque significat esse, seu *illum qui est* existentiam essentialem. Praeter hoc 6. plura alia n na secundaria habentur ad Deum designandum,

(1) 1. p. q. IV, art. 2. « Cum Deus, *inquit*, sit prima causa effectiva rerum, oportet omnium rerum perfectiones praexistere in Deo secundum eminentiorem modum ».

(2) *Hist. des Institutions a se*, tom. III, 2. part. liv. 1 1, pag. 177.

(3) Ibid. pag, 184.

quae *schaddai* (שַׁדַּי) *sufficiens* sibi ipsi, *et El* (אֵל) *fortis*, *Adonai* (אֲדוֹנָי) *principium*, *Elion* (עֶלְיוֹן) *excelsus*. Nomen 7. *Elohim* (אֱלֹהִים), quod est ab *Eloah* (אֱלוֹהַּ) *vis*, licet in plurali adhibeatur, semper inservit singulari, ita ut indicet omnes vires in unam collectas, et exacte referat ideam Dei, intelligentiae generalis, opificis, magni aedificatoris, quum distinguantur in hac rerum universitate natura ac Deus, *vires seu potius virium unio fecit terram*, inquit Genesis (1); quemadmodum vero Elohim politicum reducitur ad *esse* generale, quod est populus, sic Elohim theologicum desinit in unitatem Jehovah. Deus igitur ex Moyse non est nisi *esse* absolutum, cujus creaturae non sunt nisi tempora et modi; ergo.

256. Resp. ad 1. *D.* Gignitur idea existentiae infinitae distinctae ab ipsa rerum universitate, *C.* identificatae cum ipsa *N.* Nemo enim, qui sanae mentis sit, nec velit cum pantheistis ac spinozistis insanire, sibi hanc ideam cudit, quae rectae rationi adversatur, cum ejusmodi existentia universalis in sensu auctoris sit fecunda parens omnium deliriorum, quae recensuimus in Spinozae confutatione; sed ratio spectando hanc rerum universitatem velut effectum, assurgit ad causam necessariam, a se existentem, etc., quae cum suis effectibus contingentibus, limitatis, mutabilibus confundi non debet.

257. Ad 2. *D.* Quod est ipse Deus, et in quem propterea solum recensiti characteres unitatis, aeternitatis, indivisibilitatis conveniunt, *C.* quod constituatur a rerum omnium congerie, ut auctor noster autumat *N.* Alioquin oriretur unitas absoluta ex tot unitatibus, seu partibus et elementis, quibus hoc universum coalescit, aeternitas in entibus successivis, cujusmodi sunt homines, bru-

(1) Ibid. pag. 185.

ta, plantae, etc., indivisibilitas tandem ex ipsa divisibilitate; quae omnia absurda sunt et repugnant.

258. Ad 3. *N.* Hoc enim non est nisi deliramentum adversarii. Abraham non cognovit nomen Jehovah, quod prima vice Deus Moysi manifestavit, etsi divinus hic scriptor hac voce utatur in conscribenda Genesi; Moyses autem Deo isti fictitio tribuisset omnia mirabilia ac mundi ipsius creationem in hypothesi Salvador, etsi nemo alius hoc deprehenderit praeter incredulum istum.

259. Ad 4. *N.* Hoc enim monstrum potius excluditur tum facto ipso, tum analogia, tum historia ac convictione. Haec enim omnia nos ducunt ad Deum distinctum ab omnibus objectis, quae nos circumstant, admittendum et cognoscendum; et pauci dumtaxat athei larvati hac idea entis absoluti in sensu auctoris convinci potuerunt, omnibus gentibus reclamantibus (1).

260. Ad 5. *Neg.* prorsus. Licet enim vox Jehovah denotet *eum qui est*, seu *qui erit*, ut patet ex sensu, quo Moses, seu potius Deus ipse eam usurpavit, non aliud tamen exprimit nisi eum qui necessitate naturae existit, quique distinctus est ab iis omnibus, quae non habent nisi existentiam communicatam, accidentalem, atque ut ita dicam, precariam; quae, quidquid sunt, illud ab eo habent, qui essentialiter est, nempe Deo, qui haec omnia ex nihilo condidit, ipso referente Moyse, ut mox dicemus.

261. Ad 6. *D.* Ad designanda diversa ejusdem supremi Numinis attributa, *C.* ad designandum portentum ab auctore excogitatum *N.* Cum videat Salvador causae suae officere nomen *Adonai*, quod dominum significat et hominibus etiam passim tribuitur, ipse vertit *principium*: at hac significatione ex centum tringinta quatuor

(1) *Qu'on ouvre l'histoire de l'Inde*, inquit Salvador (loc. cit. pag. 177), *on retrouvera par tout cette conception mais accompagnee des plus fausses consequences.* Haec quidem ipse asserit, attamen nullo documento probat assertionem suam. Ex historia religiosa omnium populorum contrarium potius evincitur.

locis, in quibus juxta Masorethas Deo tribuitur, nunquam invenitur (1).

262. Ad 7. *Neg.* Elohim indicare, ut adversarius contendit, virium collectionem; sed Deum ipsum designat, cui promiscue tribuitur tum singulari numero tum plurali juxta indolem hebraicae linguae. Sane in plurali adhibetur passim ad designandam rem prorsus singularem; ita scilicet affirmatur de unico Angelo, Jud. XIII, 22; de uno vitulo, quem ut Deum hebraei venerati sunt, Exod. XXXII, 31; de uno idolo, ut Dagone, Jud. XVI, 17; de uno Moyse, quando Deus eum constituit *Deum Pharaonis*, Exod. IV, 16; VII, 1; de Arca, 1 Reg. IV, 7, et alibi; quae cum res singulares sint, plurali tamen numero per hanc vocem efferuntur. Quod si demus adversario *Elohim* reipsa indicare collectionem virium, tunc reponimus non indicare collectionem abstractam, sed ens quod unum est, et est collectio virium omnium in summo gradu, nempe intelligendi, volendi, creandi, movendi, destruendi etc. Ridiculam pariter se prodit ejus versio seu potius commentatio primi Geneseos versiculi: *Vires seu potius virium unio fecit caelum* et *terram*; quaenam vires fecissent caelum et terram? An hujus universi attractio universalis aut affinitas chimica? Ast nondum erat juxta Salvador. Adde verbum *Bara* בָּרָא ut suo loco ostendemus, vere et proprie significare eductionem ex nihilo. Restat igitur ut Moyses descripserit mundi creationem factam a Deo, qui ab hoc universo distinctus sit. Hoc vero sublato fundamento ex se concidunt, quae Salvador nugatur circa Elohim politicum et theologicum, ac ejus *esse* substantivum cum suis modis et temporibus. Non est igitur cur diutius in his refellendis immoremur. (2).

(1) Cf. Buxtorfius ad vocem אֲדוֹנָי

(2) Haec mutuatus est, ut diximus, Salvador partim ex Schelling, qui, in *Epist. philosoph. de dogmatismo et criticismo*, aperte docet pan-

263. Inst. Talem fuisse Moysis mentem facile ex ipsius scopo colligitur, qui alius non fuit nisi per unius entis ideam ostendere naturam politicae constitutionis populi israëlitici, et cum hac idea omnia componuntur, quae tum Moyses ipse tum ceteri prophetae Deo tribuunt. Cum enim homo sit symbolum maxime idoneum magni istius

theismum, affirmans: « Τὸ *Ego* includit omnem existentiam et realitatem; quia si extra ipsum aliquid daretur, hoc esset absolutum; quod est absurdum. Hoc igitur Ego est infinitum, indivisibile et immutabile. Si substantia est aliquid absolutum, τὸ *Ego* est unica substantia, vel si darentur plures substantiae, daretur *Ego* extra *Ego*, quod esset contradictorium; quod est, in τῷ *Ego* est, extra τὸ *Ego* nihil est; si τὸ *Ego* est sola substantia, quidquid est, non est nisi accidens τοῦ *Ego* ». Unde concludebat Deum esse Ego non ego, *in praxi Deum esse* Ego *absolutum*, *quod destruit* non Ego. Partim mutuatus est a sansimonianis, qui pariter docent Deum esse quidquid est. Sic in libello qui inscribitur *Religion Saint-Simonienne*, Paris 1831, *Communion générale*, pag. 10, in allocutione sequitur: *Le père Enfantin*: « *Chers enfans*, Dieu est tout ce qui est. Tout est en lui, tout est par lui, nul de nous est hors de lui, mais aucun de nous est lui. Chacun de nous vit de sa vie, et tous nous communions en lui; car il est tout ce qui est ». Hic singuli dicuntur non esse Deus, quia singuli non sunt tota rerum universitas, sed sunt ejus partes tantum, atque ex eo quod Deus sit omne quod est, infertur nos omnes communicare in ipso. His paria habet Salvador, qui, ut respondeat sibi propositae difficultati: » Mais alors chaque chose n'est-elle pas Dieu? *respondet*, *pag.* 181: On ne peut conclure de ce que chaque chose, chaque être doué ou non doué d'intelligence, tient à l'être absolu et dépend de lui, que cette chose ou cet être doive s'appeler Dieu. Chaque citoyen en particulier est-il le peuple? chaque membre de l'être humain est-il l'homme, etc. »? Et hinc infert easdem consecutiones, quas ex eodem principio deducunt sansimoniani. Hi enim inferunt religionem esse politicam, dogma effici scientiam. Etenim in libro: *Religion Saint-Simonienne*, *Enseignement central*, (*extrait de l'Organisateur*), Paris 1831, pag. 31 et 32, ita legitur: « J'aurai réconcilié l'humanité avec Dieu, c'est-à-dire avec elle-même et avec le monde; comme rien ne se trouve en dehors de Dieu, la politique devient la religion, la science devient le dogme. *Et haec ipsa docet Salvador, qui pag.* 183 *dicit*: Tout signale donc l'existence d'un point central de l'immensité, d'un *moi* de l'être infini, d'un foyer incalculable de la législation universelle, d'où s'échappe éternellement ce qui donne la vie à toute chose, et vers lequel tout est ramené, etc ». Possem pluribus hanc assertionem prosequi, sed, ne nota nimis prolixa sit, ista sufficiant ad evincendum, non a Moyse, sed tum a criticismo germanico, tum a sansimonianis suas ideas hunc incredulum Judaeum philosophum hausisse. Dixi a sansimonianis, quorum doctrinae, ut ex dictis patet, mysteriis erat initiatus, licet ejus opus prodierit in lucem anno 1829, productiones vero Sansimonianorum e suis tenebris non coeperint erumpere nisi anno 1830 et seqq. Hoc ideo animadverti, ne quispiam me anachronismi accuset, dum a sansimonianis affirmavi Salvador doctrinam suam mutuatum esse, cum notum sit, longe ante annum 1829 coepisse San-Simonem virus suum effundere, et sectam instituere.

entis, plerique veterum, licet persuasi essent Deum incomprhensibilem esse et absque forma, eum tamen repraesentarunt ut membrum humanitatis. Legislator hebraeus monet talem non esse verum existendi modum magni entis; vulgus tamen non percipit nisi quod sensus percellit, hinc est quod prophetae exhibeant Deum ut loquentem, audientem, etc. et sic facile est ceteras omnes metaphoras exponere. Ac 1. quidem veritas est expressio *ejus qui est*, seu expressio legum entis generalis, quibus homo semper subjectus est. Hinc dicitur veritas *revelare* se homini, et homo recipere *verbum* metaphoricum Jehovah, ex quo promanant locutiones: *Aeternus vult*, *quaerit*, *jubet*; et quo magis homo ad veritatem accedit, dicitur *amicus Jehovae*, quo magis recedit, fit *inimicus*; hinc rursum *voluntates* Jehovah, etc. (1). 2. Sic per epitheta humanitatis propria praecipuae leges, quibus humanitas indiget, in totidem attributa Jehovah commutata sunt. Atque inde Deus *bonus*, *fidelis*, *potens*, *vindex*, *timor Jehovah*, etc. dictus est, sive ex bonis, quae in mundo sunt, sive ex caelorum extensione, sive ex malis, quae premunt scelestum, vel bonis quae amicum veritatis consequuntur. 3. Species locutionum afficit relationes inter Jehovah et populum. Vocatur Deus Abraham, quia ab hoc patriarcha agnitus; Deus Israël, quia Moyses constituit populum, assumendo hoc principium unitatis ut basim, et idem istud proponendo tanquam objectum publici cultus. Cum vero homo juxta doctrinam hebraeorum activus et passivus sit in suis relationibus cum Jehovah, hinc factum est, ut Deus exhibeatur modo electus a populo, modo populum eligens. Nemo proinde rem adeo magnam et sublimem satis mirari potuerit, quod scilicet dogma integrum Mosis duobus verbis concludatur *Jehovah Echad*

(1) Ibid. pag. 190.

(יְהוָה אֶחָד) *esse* unum est, non existit nisi *unum esse* (1); ergo.

264. Resp. *Neg.* talem fuisse scopum Moysis, et neg cetera, quae obtrudit nuperus hic judaeo-philosophus tum contra apertam Moysis narrationem, tum contra se sum universae gentis suae cujusque aetatis, ex quib ne unus quidem suspicatus unquam est pantheismum i sinuari seu, ut ipse vocat, infini-theismum, sive in libr Moysis sive in libris prophetarum. Deus certe, quem Sa vador fingit, nec erat colendus nec timendus, multo m nus dignus pro quo tot ac tanta paterentur judaei sive an sive post Christum, ut reipsa perpessi sunt, ne ab eo d ficerent sive ante sive post Christi adventum. Mitto arg menta, quae sive ex divina providentia, quae perpet elucet in hujus populi conditionibus, sive quae ex mirac lis et vaticiniis deducuntur; ea enim, etsi rejiciantur hoc incredulo, testatissima tamen sunt, nec eludi po sunt, ut suo loco ostendimus. Demum semel admissa a surda hac ab adversario primum excogitata hypothes sequeretur Moysen et seriem prophetarum, doctores omn et sacerdotes hebraicae gentis fuisse deceptores et sed ctores, et integrum populum per ingentem saeculoru seriem non fuisse nisi ludibrium hujus deceptionis, e nemo unquam eam detexerit vel suspicatus de ea fuer Falsum praeterea est quod de infortuniis vel felici so asserit auctor, quae vitam vel male vel recte actam mitantur; imo haec fuit continua prophetarum querel quod saepe infausta bonis, fausta malis acciderent, patet ex Psal. LXXII, 5-16; Jerem. XII, 1 et seqq Habac. I, 4, et alibi passim. Ergo nullus timor conc potuisset ex ipsorum pravitate. Quare, ne in hoc sys mate refellendo prolixior sim, cum Moyses praedica Dei unitatem, non praedicavit nisi unitatem summi I

(1) Ibid. pag. 188.

reatoris caeli et terrae, omniumque provisoris et conservatoris; objectum unicum adorationis et cultus proposuit, totque hunc cultum munivit praesidiis, ne populus aliarum gentium scandalo deciperetur, atque ad polytheismum et idololatriam prolaberetur, et sic vera conservaretur religio usque ad adventum Christi, a quo ad omnes gentes dimanare debebat.

265. Dices: Nonne pantheismi vestigia occurrunt in illis Ecclesiastici verbis, XLIII, 29: (Deus) *est in omnibus*, seu, ut fert graecus textus: *Ipse* (Deus) *est omne* (1); nec non in verbis s. Pauli, Rom. XI, ult: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia*; et clarius adhuc Act. XVII, 28: *In ipso vivimus, movemur et sumus; sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus*? Nihil igitur in medium protulit Salvador, quod ipsi scriptores sacri non dixerint.

266. Resp. *Neg.* Iis enim testimoniis aliisque similibus non aliud docemur nisi Dei immensitatem, qua fit ut omnia in ipso sint et ipse sit in omnibus rebus, ut res a se conditas conservet et regat, ipsis vitam tribuat et actionem, quod infra ostendemus (2). Hoc sensu exponi pariter debent nonnulla patrum dicta, quae prima fronte difficultatem facessere videntur; ut cum Origenes, *De Principiis*, lib. II, cap. I, n. 3: *Sicut corpus nostrum*, inquit, *unum ex multis membris aptatum est, et ab una anima continetur, ita et universum mundum velut animal quoddam immensum atque immane opinandum puto, quod quasi ab una anima, virtute Dei ac*

(1) Αὐτός ἐστι τὸ πᾶν.

(2) Verba autem Ecclesiastici, juxta expositionem Calmet, non aliud continent nisi sermonis hactenus instituti conclusionem, qua adstruitur Deum esse principium et finem rerum omnium. Vel ut clarius exponit Cornelius a Lapide: *Deus est omne* quia ipse est τὸ ὄν, id est ens primum, essentiale, immensum, a quo omnia alia entia necessario et essentialiter pendent, adeo ut, si per impossibile non esset Deus, impossibile foret alterius cujuscumque entis existentia.

ratione teneatur. Quod etiam a Sacra Scriptura indicari arbitror per illud, quod dictum est per prophetam (Jeremiam, cap. XXIII) : *Nonne caelum et terram ego repleo, dicit Dominus...? Sed et illud, quod ait Paulus, cum apud Athenienses concionaretur, dicens: Quoniam in ipso vivimus, movemur et sumus.* Germana enim Origenis mens ex verbis immediate sequentibus eruitur, cum subdat: *Quomodo enim in Deo vivimus et movemur et sumus, nisi quod virtute sua universum constringit et continet mundum?* Eadem ratione exponitur auctor Dionysius Areopagita nuncupatus, de quo consuli potest s. Thomas (1).

PROPOSITIO IV.

Admitti nequit ulla realis distinctio inter Deum ejusque attributa sive absoluta sive relativa, neque inter attributa absoluta ipsa

267. Si enim ejusmodi daretur distinctio, admitti in Deo deberet realis compositio; atqui haec compositio in Deum cadere non potest, qui ex Propos. 1. est omnino simplex; excludi igitur a Deo debet omnis realis distinctio sive inter divinitatem ejusque attributa absoluta ac relativa, sive inter attributa absoluta ipsa.

268. Haec autem doctrina tum in Scriptura tum in patribus fundatur. In Scriptura quidem, quae Deum perpetuo exhibet simplicissimum; id inter cetera evincunt testimonia illa, in quibus de Deo praedicantur nomina abstracta, cujusmodi sunt *sapientia*, *vita*, *veritas*, aliaque id genus multa, quibus plena sunt sacra eloquia. Ex patribus, quorum loca ingenti numero affert Petavius (2), nos unum vel alterum tantum in medium pro-

(1) *Cont. gentes*, lib. 1, cap. 26. (2) Toto lib. II, ac praecipue cap. 7.

. Sit ex graecis s. Gregorius Nazianzenus, qui: , inquit, *tria*, *et tria unum*, *in quibus Deitas*, *exactius dicam*, *quae tria sunt Deitas* (1). Sic . Joannes Damascenus: *Deus*, inquit, *est sim- et non compositus. Quod autem e multis et dif- s constat, est compositum. Quare si increatum, ii expers, incorporeum, immortale, sempiter- bonum, procreandi vim habens, et ejusmodi substantivas esse dicamus differentias Dei, tot us ille conflatus, non erit simplex, sed com- , quod extremae impietatis est* (2). Ex latinis stinus, epist. CXX, alias CXXII, cap. III, num. ribit: *Nunc vero tene inconcussa fide Patrem um et Spiritum Sanctum esse Trinitatem, et unum Deum; non quod sit eorum communis quarta Divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis parabilis Trinitas.* Demum s. Bernardus sic per- bat Gilbertum: Si divinitas non est reipsa Deus, *iquid quod non est Deus, aut nihil .... Quod uid est quod non est Deus, aut minor erit Deo, jor, aut par. At quomodo minor, qua Deus Restat ut aut majorem fatearis aut parem. Sed or, ipsa est summum bonum, non Deus. Si par, nt summa bona, non unum. Quod utrumque ca- refugit sensus* (Serm. 80 in *Cant.*, num. 6) (3).

γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, ία ἓν, τὰ ἐν οἷς ἡ θεότης· ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ Orat. XXXIX, (apud eun- iv. loc. cit.).

ὁ θεῖον ἁπλοῦν ἐστι, καὶ ν· τὸ δὲ ἐκ πολλῶν καὶ δια- γκείμενον, σύνθετόν ἐστιν· ἄκτιστον, καὶ ἄναρχον, ατον, καὶ ἀθάνατον, καὶ καὶ ἀγαθὸν, καὶ δημιουρ- καὶ τὰ τοιαῦτα οὐσιώδες εἴποιμεν ἐπὶ Θεοῦ, ἐκ το- συγκείμενον, οὐχ ἁπλοῦν ἔσται, ἀλλὰ σύνθετον· ὅπερ ἐσχάτης ἀσεβείας ἐστίν. *De fide orth.* lib. 1, cap. 9.

(3) Ex quibus verbis inferunt critici passim Gilbertum reipsa admisisse distinctionem realem inter divinitatem et attributa. Prius enim dixerat s. Bernardus: « Recedant a nobis, carissimi, recedant novelli, non dialectici, sed haeretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam, qua sapiens, et justitiam, qua justus, postremo divinitatem, qua

269. Cui quidem rationi a s. Bernardo allatae praeter alia argumenta et hoc addi potest : Si proprietates divinae ab ipsa substantia realiter distinguantur , aut substantiae sunt , aut accidentia ; si substantiae , ergo plures erunt substantiae in Deo , quod repugnat ; accidens aut qualitas in Deo esse non potest ; ergo.

270. Et sic confutati manent tum graeci palamitae , qui ἐνεργείαν sive virtutem in Deo distinguebant ab ipsa divina substantia et cum ipsis sociniani , nec non Gilbertus Porretanus , qui divinas proprietates , et abbas Joachim , qui divinas Personas a Dei substantia realiter distinguebat. Consulatur s. Thomas p. I, q. 3, art. 3.

DIFFICULTATES

271. Obj. 1. Non magis officit simplicissimae naturae divinae realis distinctio inter Dei essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa , sive inter attributa absoluta ipsa , quam distinctio realis personarum , quae profecto nullam infert compositionem in Deo ; ergo falsum est per realem distinctionem inter divinam substantiam et attributa destrui simplicitatem Dei. Sane 2. si res ad trutinam revocetur , certo patebit ex difficultatibus vel incommodis , quae solent urgeri adversus ejusmodi distinctionem , nullum forsan existere , quod pari jure intorqueri non possit adversus ipsam realem proprietatum relativarum distinctionem. Quod 3. cum probe intellexerint patres graeci , Basilius , uterque Gregorius , Nazianzenus atque Nyssenus , disputantes adversus Eunomium , nec non Cyrillus Alex. (1) , ex professo docent in Deo distingui , imo et differre substantiam ab ejus operatione ac vi , ἐνεργείᾳ , quo nomine , non solum actionem , sed attributa etiam comprehendunt ; ergo.

Deus est , Deum non esse impiissime disputant. Divinitate , inquiunt , Deus est , sed divinitas non est Deus ».

(1) *Thesauri* lib. II, cap. II.

272. Resp. Ad 1. *Neg.* assumptum, ac nego praea paritatem; prior enim distinctio nequit concipi nisi in bstantia ipsa divina, ac propterea admitti non potest, i in divina substantia admittatur compositio; posterior tem distinctio, nempe personarum, non cadit in subntiam, quae una eademque ac tota est, tum in tribus monis simul sumptis, tum in earum qualibet, sed ca: solum in proprietates personales, quae non dicunt ninationem peculiarem, qua una se habet ad alteram, r mutuam relationem, ex quibus proinde nunquam pot: ulla oriri compositio.

273. Ad 2. *Neg.* iterum, ut ex modo dictis patet.

274. Ad 3. *D.* Docent distingui et differre substantiam ejus operatione et vi, cogitatione, vel ut ipsi loquun:, κατ' ἐπινοίαν, *C.* re *N.* ut manifestum fit ex ipson scopo; refellebant enim Eunomium, qui hanc ranis seu cogitationis distinctionem inficiabatur (1).

275. I. Inst. Patres non solum ratione ac cogitatione, l re distinctam divinam substantiam asserebant ab ipsiattributis, ut 1. eruitur ex Dionysio vulgo Areopagi, cujus celebre est effatum *De unita et distincta theoia*; hoc est, ut scribitur, cap. II, *De eo quod sedum unitatem et secundum differentiam de Deo di*r, ita ut ex ipsius mente ad unitatem referatur subtia, ad ea autem quae sunt *secundum differentiam*, rantur Dei operationes et attributa, quatenus extra m se se porrigunt ad creaturas, quod de substantia, e incommunicabilis est juxta ipsum, dici non potest. Dionysio consonat s. Joannes Chrysostomus, qui in ea isti verba, *Philippe, qui videt me, videt et patrem um*, haec habet: *Videamus praeterea, quidnam ilippus intueri velit. An sapientiam Patris? An vebonitatem? Minime; sed hoc ipsum quid tandem*

(1) Cfr. Petav. lib. 1, cap. 13.

sit Pater, ipsam, inquam, essentiam (1). Quibus verbis aperte secernit divinam essentiam ab ejus attributis. Nec latini patres a graecis hac in parte dissentiunt; etenim s. Augustinus, *De Trinitate*, lib. VII, cap. IV, num. 9, docet, quod *aliud Deo est esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium, et Dominus ad servientem creaturarum dicitur;* et ib. cap. II: *Non eo Verbum*, inquit, *quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum relative ad eum, cujus Verbum est, sicuti Filius ad Patrem, sapientia vero eo quo essentia.* Sic patres ceteri. Ergo.

276. Resp. *Neg. A.* Ad 1. probationem, *D.* ita ut Dionysius ad *unitam* theologiam referat totam divinam substantiam, una cum attributis tum absolutis tum relativis, et ad *distinctam* referat personas realiter inter se distinctas, *C.* ita ut ad *unitam* solam referat substantiam divinam, prout secernitur ab attributis in sensu adversariorum, ad *distinctam* autem referat operationes et attributa *N.* Hanc vero esse mentem hujus auctoris, quo potissimum graeci abutuntur, aperte patet ex eo, quod in eodem cap. II, in quo verba citata habentur, illud unum seu unitum, ἡνωμένον, definiat esse quodcumque absolute ac tribus personis convenit; illud vero *distinctum differensque*, διακεκριμένον, esse quod proprium est, ut esse Patrem, esse Filium.

277. Sic etiam ad unitam theologiam revocat, quaecumque a tribus personis in creaturas proficiscuntur. *Ut est*, inquit, *substantiae communicatio, vitae ac sapientiae largitio, aliaque bonitatis dona, quae causa est omnium rerum, ac principium.* Ad distinctam au-

(1) Ἄλλως δὲ ἴδωμεν τί ὁ Φίλιππος ζητεῖ ἰδεῖν· ἄρα τὴν σοφίαν τοῦ Πατρός; ἄρα τὴν ἀγαθότητα; οὐχί· ἀλλὰ αὐτὸ τὸ τί ποτε ἐστιν ὁ θεός, αὐτὴν τὴν οὐσίαν. Hom. LXXIV, in Joan. alias LXXIII, num. 1. tom. VIII, pag. 435, edit. Montfauc.

tem theologiam refert Christi Incarnationem, et administrationem omnem, quae ab illo solo, proprieque suscepta persona excludit reliquas duas (1).

278. Ad 2. *N.* vel *D.* Prout haec distincte a mente nostra concipiuntur, *C.* prout reipsa in se sunt *N.* Et sic explananda sunt cetera ejusmodi patrum dicta, ut ex dicendis in insequenti propositione patefiet. Ac, ne longius rem protrahamus, eodem modo est exponendus s. Augustinus, in iis, quae objiciuntur, locis, ut verba ipsa recitata ostendunt, in quibus vult evincere alia ratione divinam substantiam dici Deum, alia Patrem; cum primo sensu accipiatur vox Dei absolute, altero relative; quod et de Dei sapientia ac Verbo ejus filio valet. Maximinus enim arianus pluralitate personarum earumque distinctione derogari contendebat divinae simplicitati, hoc autem negat s. Augustinus ex eo quod, licet plures distinguantur, seu potius a mente nostra apprehendantur divinae proprietates, quia divina essentia pluribus aequivalet, non propterea ejus simplicitati detrahatur; sic enim disputat; *Numquid bonitas et sapientia et clementia et potentia partes sunt unius virtutis, quam simplicem esse dixisti? Non dico, inquis. Non sunt ergo partes, et tamen quatuor sunt, et una virtus est, eademque simplex est. Si ergo in una Patris persona et plura invenis et partes non invenis, quanto magis Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et propter individuam deitatem unus est Deus, et propter uniuscujusque proprietatem tres sunt personae, et propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt?*

279. II. Inst. Si proprietates personales saltem non distinguantur realiter a divina substantia, intelligi nequit qua ratione Pater, communicando hanc ipsam substan-

(1) Cfr. Petav. ib. § 5 et seqq.

tiam reliquis duabus personis, non communicet ipsis has easdem propietates; quod si eas communicet, non amplius divinae personae distinguuntur realiter inter se, quod est contra Trinitatis dogma; ergo.

280. Resp. *N.* Optime enim intelligitur, si teneatur doctrina ecclesiae catholicae, qua instruimur dari inter divinam essentiam et attributa distinctionem virtualem sive rationis, quae sufficit ad reddendam rationem de eo, quod una eademque res possit sub uno respectu communicari, non autem possit sub alio. Quare eo ipso quod Pater communicet Filio substantiam suam, debet necessario distingui realiter a Filio; alioquin nec Pater esset, nec Filius. Id ipsum dicatur de Spiritu Sancto. Etsi vero directe non communicet Filio paternitatem, communicat tamen, ex eo quod ipsi totam substantiam suam communicet, a qua proprietates relativae reipsa non distinguuntur. Sed de his in tractatu de Trinitate.

PROPOSITIO V.

Admitti debet rationis seu cogitationis distinctio inter divinam essentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, et inter attributa absoluta ipsa

281. Quid intelligatur per distinctionem, quae virtualis seu rationis dicitur, seu secundum cogitationem, κατ' ἐπινοίαν, ut eam graeci vocant, satis enucleavimus initio hujus capitis. Adstruitur autem haec propositio adversus Eunomium, qui, sublata hac distinctione, sic nitebatur Verbi divinitatem impugnare: Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, secundum substantiam est; hinc *ingenitum esse* Patri secundum substantiam est, sicut et *genitum esse* Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse et genitum esse; diversa est ergo substantia Patris et substantia Filii; alia-

c similia conficiebant eunomiani argumenta, seu
xavillationes, quas recenset s. Epiphanius (1).
Sic vero propositionis enunciatae veritatem osten-
Ea ratione de Dei essentia ejusque attributis co-
ic loqui debemus, qua sese nobis Deus ipse exhi-
c de se locutus est; atqui Deus, imbecillitati no-
nsulens, sese nobis exhibuit tanquam quid mul-
ac de se suisque attributis ita locutus est, ut ea
rima intelligamus; ergo eadem ratione de Deo
: nos et loqui oportet. Porro cogitare et loqui de
in Deo secundum rem distinctis, omnino pro-
r; de multis itaque id facimus distinctis secun-
lum mentis conceptum (2). Sane in Scripturis
odo perhibetur ut omnipotens, modo ut sapiens,
t justus, misericors, etc.; et Christus de se ipso
, Joan. XVI, 15, ait: *Omnia quaecumque ha-
ter, mea sunt.* Ad quae Christi verba alludens
orius Nazianzenus, *Oratione XLIV*, inquit:
*quaecumque habet Pater sunt Filii, praeter-
uod ingenitus est* (3). Atque eodem modo ceteri
oquuntur, qui virtualem hanc distinctionem in
versus Aëtium et Eunomium propugnant, Gregozianzenus et Gregorius Nyssenus, Basilius, Cyrill. aliique apud Petavium, lib. I, cap. IX, et seqq.
Ex quibus discimus 1. hanc rationis distinctionem
re ex fecunditate tum mentis, tum rei contem-
; nempe Dei, qui etsi unus ac simplicissimus

. s. Epiphan. qui, *Adver-
es*, lib. III, haeres. LXXVI,
Anomaeorum, triginta sex
a profert argumenta Aëtii,
la voce *ingeniti* conficta,
Pater suas singillatim adji-
ationes. Aëtii impietatem,
di argutiis instituendis ad-
rinitatem, imitatus postea
s socinianus, cujus opera
*Bibliotheca fratrum Polo-
norum.*

(2) Quod receptum esse ab ipsis profanis auctoribus, qui de Deo rebusque divinis scripserunt, ostendit Petavius, lib. I, cap. 9. Hinc merito s. Hilarius hoc statuit principium, *De Trinitate* lib. V: *Non loquendum aliter de Deo est, quam ut ipse de se locutus est.*

(3) Πάντα ὅσα ὁ πατὴρ τοῦ υἱοῦ, πλὴν τῆς ἀγεννησίας. n. 14.

natura sua sit, pluribus aequivalet objectis, inter se distinctis, atque ex multiplici ejus efficientia, quae ad plura, eaque distincta objecta se porrigit, unde in mente nostra plures ac distinctae notiones oriuntur; seu, ut accuratius loquar, inde mens nostra fundamentum sumit multiplices ac diversas sibi cudendi ejusdem rei notiones. Discimus 2. hanc notionum differentiam, quas in Deo mens nostra apprehendit, diversos gradus habere ac plusculum distare proprietates relativas ab essentia absolutisque proprietatibus, quam hae ipsae ab essentia distent et inter se; ex. gr. majus esse discrimen inter essentiam et paternitatem, quam inter bonitatem et eamdem essentiam; quamvis neutrubi secundum rem, sed secundum ἐπινοίαν ac rationem, differentia sit (1). Discimus 3. hanc necessario admittendam esse cogitationis distinctionem, ne, de Deo loquentes, inducamus notionum ac verborum confusionem, quae necessario oriretur, si unam pro alia promiscue usurparemus, ex. gr. dum paternitatem nominamus, intelligeremus sapientiam et alia ejusmodi, in quo magna perversitas haberetur.

DIFFICULTATES

284. I. Obj. 1. Falsa est distinctio illa, quae conformis et consentanea non est rei veritati, sive suo objecto; jam vero talis est distinctio rationis; quippe quae tota residet in mente nostra, non autem in Deo. Quin

(1) Cfr. Petavius, ibid. cap. 10, § 10. Adi etiam s. Thom. in lib. 1, *Sentent.* distinct. 11, q. 1, art. 2, ubi constituto principio: « Quod quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a creatore, et quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniuntur in Deo, nobilissimo modo et sine aliqua imperfectione, *concludit*: Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, et hujusmodi, quorum quodlibet est divina essentia, et ita omnia sunt unum re, et quia unumquodque eorum sit in Deo secundum sui verissimam rationem, et ratio sapientiae non est ratio bonitatis; in quantum hujusmodi, relinquitur quod sunt diversa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei ». Expendendus totus articulus.

imo, 2. ut observat Eunomius, si in comprehensione unius notionis altera non includitur, includitur opposita, ex. gr. si in notione ingeniti non includitur notio incorruptibilis, jam includeretur notio corruptibilis, et sic Deus, qua ingenitus est, esset corruptibilis, adeoque simul corruptibilis esset et incorruptibilis, incorruptibilis nempe in se, et corruptibilis in apprehensione mentis nostrae, quod est absurdum. Demum, 3. qui communi cuivis aliquid, quod sit proprium, adjungunt, ut inde complexum nescio quid coalescere praedicent, vel mentiuntur vel non; datur optio; si mentiantur, quid tandem attinet voces sine subjecto usurpare? si vera dicunt, composita igitur erit unaquaeque Trinitatis persona, cui illam personae vocem accommodamus; ergo.

285. Resp. Ad 1. *Dist. maj.* Si affirmando aut negando id fieret, *C.* si per meram abstractionem aut mentis apprehensionem *N.* Etenim cum mens nostra contemplatur aliquod objectum sub uno potius respectu quam sub alio, nihil affirmat vel negat de objecto ipso, sed haeret tota in obtutu illius, quod per se sine altero spectat. Eodem modo mathematicus, cum, abstrahendo a materia physica alicujus objecti, considerat tantum dimensiones vel longitudinis vel latitudinis vel profunditatis, nihil detrahit objecto, nec negat nec affirmat esse aurum vel argentum, etc.; physicus, dum spectat materiam tantum, nullo habito respectu ad ejusdem dimensiones; chymicus, cum ab utrisque praescindit nec rimatur nisi molecularum affinitatem, nihil derogant rei veritati, neque propterea singulae istorum considerationes falsae et non consentaneae objecto dicuntur; idem autem dic de modo seu ratione, qua mens nostra Deum contemplatur, et evanescit difficultas.

286. Ad 2. *Neg.* ut patet ex modo dictis. Dum enim mens aliquam proprietatem in Deo considerat, alias non excludit, sed ab iis tantum praescindit.

287. Ad 3. Idem esto responsum. Nec enim in his argutiis convellendis diutius immorari praestat. Mens enim, quae apprehendere non potest uno appulsu, quod singulare et simplex in divina hypostasi est, distinguit inter divinam essentiam, quae tribus personis communis est, et proprietatem, qua unaquaeque persona est, eam apprehendit ut complexam seu compositam, ut sibi ejusdem aliquam ideam efformet, nec ideo infert compositionem proprie dictam in ipsa divina hypostasi esse. Cum itaque juxta captum mentis nostrae sic rem concipimus, nec affirmari potest nos verum dicere ex parte rei, nec mentiri dici possumus, dum proprium communi adjungimus.

288. II. Obj. Patres passim tradunt, 1. cum diversas de Deo notiones vocabulis exprimimus, eamdem divinam substantiam nos designare; ita s. Basilius, Epist. LXXX, et s. Athanasius in *Decretis Nicaenae Synodi*, decr. IV, cap. 8, et alibi 2. Congruenter ad hanc patrum doctrinam concilium Remense sub Eugenio III celebratum, adversus Gilbertum Porretanum decrevit: *In theologia inter essentiam et personam ratio non distinguat*; ergo.

289. Resp. Ad 1. *D. A.* Eamdem exprimimus substantiam velut subjectam materiam, fundamentum et objectum reale harum notionum, *C.* eamdem exprimimus substantiam in diverso ac formali conceptu mentis nostrae *N.* Citati proinde patres non aliud sibi volunt, cum dicunt diversas notiones, quas nobis de Deo ejusque proprietatibus efformamus, eamdem divinam substantiam designare, quam notiones istas demum desinere in unum idemque simplex objectum, quod Deus est, qui pro fecunditate sua nobis praebet fundamentum earumdem notionum, non autem contendunt has easdem diversas notiones in suo conceptu formali non esse nisi unam eamdemque notionem, etiam cum ad Dei substantiam referun-

it patet ex ipsorum scopo, defendendi nempe di-
tem Verbi adversus arianos et eunomianos (1).
). Ad 2. *D.* Ratio non distinguat inter essentiam
sonam realiter, seu in sensu Gilberti, *C.* mente
ilbertus enim tria docebat: 1. duplicem esse ratio-
listinguendi, unam mathematicam, alteram theo-
m; 2. rationem mathematicam eam esse, quae
distinguit ea, quae non sunt in se distincta, rem
et eamdem et simplicem diversis et inadaequatis
tibus repraesentando: rationem vero theologicam
sse, quae non distinguit nisi ea, quae sunt in se
ta; 3. essentiam et personam in divinis distingui
lum rationem theologicam, non secundum mathe-
m tantum, hoc est, distingui realiter, non vero
a logice. Hanc autem realem distinctionem damna-
nodus, in eaque damnanda ipsis Gilberti verbis
(2).

CAPUT II.

DE DEI IMMUTABILITATE AC LIBERTATE

. Duas has divinas proprietates simul complexi su-
quia nulla est difficultas in illis seorsim constitu-
, ast non exigua est in iisdem simul conciliandis,
gis quod, quae opponuntur divinae immutabilita-
agna saltem ex parte peti soleant ab ipsius liber-
et contra, quae opponi solent divinae libertati, ex
immutabilitatis ipsius ut plurimum eruantur.

fr. Petav. lib. 1, cap. 11, qui id ostendit, adductis ve-estimoniis. Cum s. Thomas p. III, ar. 4. sibi objecisset: est unum quod est unum re ne, quam quod est unum re iplex ratione, *respondet ad* d hoc ipsum ad perfectam Dei a pertinet; quod ea, quae sunt multipliciter et divisim in aliis in ipso sunt simpliciter et unite. Et ex hoc contingit, quod est unus re et plures secundum rationem; quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repraesentant ».

(2) Cfr. Simonnet, tract. *De Deo*, disp. III, art. 4.

292. Ut enim in omni alia fere quaestione, sic circa Dei immutabilitatem oppositi inter se errores exorti sunt. Stoici siquidem Deum mutationi obnoxium sentiebant, teste Origene *Contra Celsum*, lib. III; Hermogenes e contra adeo Deum immutabilem statuit, ut ipsi, referente Tertulliano in libro adversus eumdem, ademerit libertatem. Sociniani, media quadam via incedentes, Deum immutabilem esse affirmant quoad substantiam, mutabilem vero in suis decretis, seu in voluntatis actibus, ut sic ipsi sartam tectamque asserant libertatem. Nos vero juxta catholicae doctrinae regulam Dei immutabilitatem, tum ratione substantiae, tum ratione actuum, vindicare debemus, nec non ejusdem libertatem.

293. Ad praecavendas difficultates, observandum est immutabilitatem nihil aliud esse nisi negationem transitus cujuscumque de statu in statum, seu ab uno modo se habendi ad alium, tum respectu sui, tum respectu temporis, tum denique respectu cujuscumque rei ab extrinseco positae, ac proinde immutabilitatem eo plures gradus habere posse, quo magis ejusmodi transitus excludit, et cum de Dei immutabilitate disseritur, quod de ea affirmatur intelligendum esse de omnimoda immutabilitate.

294. Item considerandum est libertatem, prout hic accipitur, esse immunitatem a quacumque tum intrinseca tum extrinseca necessitate, seu ut vulgo dicitur, libertatem arbitrii et indifferentiae, qua Deus possit agere vel non agere, velle hoc vel oppositum. Removeri autem duo a Dei libertate defectus debent, qui in libertate nostra reperiuntur, suspensio nempe judicii, quae in Deo omnia sciente adesse nequit, et possibilitas eligendi inter bonum et malum, quae pariter Deo inesse non potest, qui, ut loquitur Augustinus: *Peccare non potest, sicut negare se ipsum non potest.* Quae postrema species libertatis a theologis vocatur *contrarietatis*, prout duae primae species dicun-

tur *contradictionis* et *specificationis*. Porro libertas, qua quis immunis fuerit a necessitate intrinseca, dicitur libertas *indifferentiae seu a necessitate*, qua ab extrinseca tantum vi, libertas nuncupatur *a coatione*. Deo igitur adstruere debemus libertatem indifferentiae, specificationis et contradictionis. His positis, sit

PROPOSITIO

Deus est immutabilis et liber

295. Haec propositio est de fide, ut ex definitione ipsius expresse patet, quae data primum est a concilio Nicaeno I, in decreto *de Fide : Eos qui dicunt erat aliquando, quando non erat.... aut mutabilem, et convertibilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia* (1). Qua definitione relata, haec subjicit s. Ambrosius : *Arius dicit mutabilem et convertibilem Dei Filium. Quomodo ergo Deus, si mutabilis, cum ipse dixerit : Ego sum, et non sum mutatus* (2)? Ac rursum in conc. Lateranensi IV, cap. *Firmiter*, ubi Deus definitur *incommutabilis*. Circa libertatem vero Dei ecclesiae fides patet ex ipsius ad Deum orationibus, quae inutiles prorsus essent, non supposita in Deo libertate.

296. Luculenter porro Dei immutabilitatem apertissima Scripturarum testimonia evincunt ; Num. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur ;* tum Psalmo CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient;* sed praecipue

(1) S. Ambrosius, *De fide* lib. 1, cap. 18, n. 120, edit. Maur. alias cap. 9.

(2) Ibid. cap. 19, num. 131. Eadem fidei definitio refertur in fragmento II. s. Hilarii, n. 27, edit. D. Constantii, Ord. Benedict. Verum de his fragmentis editis primo a Nic. Fabro ac postea a D. Constantio, non unum est criticorum judicium. Plura sunt argumenta intrinseca et extrinseca, quae ea, generatim saltem, Hilarii non esse, cui adscribuntur, evincunt. De his opportuniori loco dicemus.

Malach. III, 6: *Ego Dominus et non mutor.* In Novo autem Testamento: *Apud quem*, ait Jacobus Apostolus, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (cap. I, 17); quae quidem Apostoli verba enarrans s. Gregorius M. *Ipsa*, inquit, *mutabilitas umbra est, quae quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercedit* (1).

297. Quae cum adeo aperta sint, inutile prorsus est patrum testimonia congerere ad hanc veritatem adstruendam, quam ratio ipsa suadet. Ex triplici enim capite s. Thomas Dei immutabilitatem deducit; 1. ex eo quod Deus sit purus actus nihilque habeat in potentia, quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia ad illud ad quod mutatur; 2. ex eo quod sit omnino simplex omnisque compositionis expers, quae necessario inest in eo quod mutatur, dum successive res est sub diversis terminis, uno recedente et altero succedente; 3. ex eo quod sit infinitus, comprehendens in se omnem perfectionis plenitudinem (2); imo Deo soli ostendit competere absolutam immutabilitatem (3). Ad has autem rationes referri commode possunt cetera argumenta, quibus patres utuntur apud Petavium (4) ad hanc evincendam Dei proprietatem, quae sic breviter s. Fulgentius complexus est, dicens Deum *nec melioribus rebus nec deterioribus commutari. Neque enim habet ubi proficiat ipse in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille quod est, semper est, et sicut est, ita est, non in se*

(1) *Moralium* lib. XII, cap 33, edit. Maurin. n. 38, al. c. 17.

(2) 1. p, q. IX, art. 1.

(3) Ibid. art. 2; Cfr. etiam Lessius, *De divinis perfectionibus*, lib. III, cap. 1, 3.

(4) Lib. III, cap. 1. Patres enim inferunt Deum prorsus immutabilem esse, 1. quia nihil Deo contrarium; 2. quia Deus est id, quod est: 3. quia est a se, vel a nullo, sive aeternus; 4. id ipsum conficiunt ex ipsius infinitate; 5. ex ejusdem perfectione; 6. denique quia est ipsissimum bonum.

habet non esse posse quod est, quia nec in se habet esse posse quod non est. Et hoc, quod sic est, non initio praevenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non locis continetur, non aetatibus variatur. Nihil sibi deest, quia totum in illo est, nihil ei superest, quia nihil praeter illum est (1).

298. Nec minus solide in Deo inesse libertatem ostenditur. Libertate enim, cum sit maxima intellectualis naturae perfectio, et quidem absolute simplex, profecto carere non potest Deus, utpote perfectissimus. Hinc, ceteris omissis, David (ps. CXXXIV, 6) de Deo pronunciat, quod *omnia quaecumque voluit fecit in caelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Cum autem Deus sit actus purissimus, ut in deliberando nihil Deo perfectius esse potest et absque haesitatione, cum ipsi perspecta sint omnia, eligit quidquid vult, ita nec in agendo eam indifferentiam habere potest, quae passiva dicitur et suspensionis, sed ab omni aeternitate de rebus in tempore faciendis sempiternum habuit consilium et actionem, eamque plene liberam, ita ut aliter potuerit velle, quam quod voluit. Hinc Apostolus: *Omnia*, inquit, *operatur* (Deus) *secundum consilium voluntatis suae* (Ephes. I, 11), id est, *pro liberae voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio*, ut explicat s. Ambrosius, *De fide*, lib. II, cap. VI, n. 48; idem tradunt ceteri patres adversus quosdam philosophos, qui Deum agere ex necessitate naturae opinati sunt, ut hinc etiam inferrent mundum necessario et consequenter ab aeterno productum (2).

299. Ad ea porro dispellenda, quae ad hujusmodi sententiam tuendam veteres illi afferebant, animadvertendum est cum s. Thoma, p. I, q. 19, art. 3, quod

(1) Epist. ad Theodorum Senatorem, cap. 4, n. 4.

(2) Cfr. Petav. lib. v, cap. 4.

licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, eum tamen non ex necessitate velle ea, quae vult propter bonitatem suam, quia bonitas ejus potest esse sine aliis; pro nutu ergo voluntatis suae eas creaturas produxit, quae essent bonitatis suae participes, et quidem eo gradu et numero, quo illi magis placuit; postquam vero eas voluit, ex necessitate easdem amat, ex necessitate, inquam, hypothetica, quae cum libertate amice consistit.

300. At qua ratione omnimoda Dei immutabilitas cum summa ejus libertate amice consistere potest? Hoc sacrum plane aenigma recte vocaveris, cui solvendo praestantissimi theologi impares se se professi sunt. Quod tamen verosimilius conferre nobis videatur ad ejus solutionem, in explanatione difficultatum afferetur.

DIFFICULTATES

301. I. Obj. Deus de non operante fit operans, ut patet in creatione; novas acquirit denominationes, Domini, ex. gr., Salvatoris, etc. quod magis elucet in Incarnatione, qua factus est homo (1); ergo Deus mutari potest.

302. Resp. *D. A.* Aliquid dando seu extrinsece, *C.* aliquid accipiendo vel acquirendo *N.* Itaque tota mutatio est ex parte creaturarum, quae a non esse ad esse transeunt, non autem in Deo, qui in producendis creaturis elicit actum illum, quem ab aeterno habuit, per exercitium suae omnipotentiae in tempore. Sic novas acquirit denominationes extrinsecas et relate ad creaturas, quae incipiunt dominum habere in sua ipsarum productione; ipse tamen natura sua Dominus est, suppositis creaturis. Idem dic de Incarnatione, per quam humana

(1) Notandum hic obiter est has easdem difficultates promovisse Celsum adversus doctrinam de Incarnatione apud Origenem, lib. IV. contra eumdem, n. 24, edit. de la Rue Monachi Maurini.

natura assumpta est ad unionem hypostaticam a divini Verbi persona, quatenus coepit sustentare ac terminare humanitatem; quae quidem terminatio ac sustentatio neque nova perfectio est, neque motus ad novam perfectionem, qua Deus in se immutetur ae perficiatur, sed merum exercitium virtutis illius infinitae, quam habet in ratione suppositi, vi cujus eodem prorsus modo in se permanens potest rationales creaturas facere suas, eas sibi assumendo et evehendo ad hypostaticam unionem. Verum de hoc argumento in tractatu de Incarnatione.

303. II. Obj. Deus habet cognitiones et volitiones contingentes et liberas; atqui ejusmodi cognitiones et volitiones sunt intrinsecae Deo, et ab ipso, realiter saltem, minime distinctae; Deus igitur mutari intrinsece potest.

304. Resp. *Dist. Maj.* Objective seu relate ad creaturas, *C.* subjective, seu relate ad se, ac in se ipsis spectatas *N.* Cognitiones et volitiones istae sub duplici respectu considerari possunt, et in se ipsis, seu ut ajunt, in sua entitate, et prout ad terminum suum referuntur seu in suo objecto. Si in se ipsis ac in sua entitate spectentur, utpote intrinsecae seu intimae Deo, cum quó identificantur, necessariae sunt et immutabiles; si vero spectentur prout referuntur ad ea, quae extra Deum sunt, seu in suo objecto, liberae sunt, contingentes ac mutabiles, sicut contingentia et mutabilia sunt ejusmodi objecta, ad quae referuntur. Notandum autem est Deum habere ejusmodi cognitiones et volitiones per unicam et simplicissimam tendentiam, seu actum intellectus et voluntatis in objecta contingentia, indistinctum ab intellectu et voluntate in objecta illa tendentibus, modo plane divino, utpote aeterno, invariabili atque incapaci cujuscumque successionis, ignorantiae, levitatis alteriusve imperfectionis.

305. Quod ut melius intelligatur, prae oculis habenda est doctrina s. Thomae, quo in obscurissimo hoc ar-

gumento nemo hucusque verosimilius aliquid protulit. *Porro voluntas Dei*, inquit ipse (*Contra Gentes*, lib. I, cap. 82, num. 4), *uno et eodem actu vult se et alia; sed habitudo ejus ad se est necessaria et naturalis; habitudo autem ad alia est secundum convenientiam quamdam, non quidem necessaria et naturalis, neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria* (1). *Quod autem est voluntarium, neque naturale, neque violentum, neque necesse est esse.* Hinc juxta s. Thomam non diversa, sed una eademque est actio, qua Deus seipsum vult, et vult creaturas. Attamen hac eadem actione Deus seipsum necessario vult, creaturas vero libere, cujus rei rationem tradit in quaest. 19. superius laudata: *Cum enim*, inquit, *bonitas ejus, quae est proprium suae voluntatis objectum, sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur, quod alia a se velle non sit necessarium, sed liberum et voluntarium.* Eadem itaque divinae voluntatis actio est necessaria et libera; necessaria et immutabilis est, si in seipsa spectetur, et consideretur intrinsecum et primarium ejus objectum, nempe divina bonitas; libera vero et mutabilis est, si referatur ad id, quod extra Deum respicit tanquam secundarium objectum, hoc est, si considerentur creaturae, ad quas porrigitur, et vult tantum secundum quamdam convenientiam (2).

(1) Ex hoc autem s. Doctoris textu deprehendimus, juxta ipsius mentem, ei, quod voluntarium est non solum opponi id, quod est violentum, sed etiam necessarium et naturale, secus ac adstruant janseniani; tum liberam divinae voluntatis actionem, qua creatas res respicit, non differre a necessaria, qua se ipsum vult et amat, nisi habitudine quadam et convenientia, qua causa cum re a se effecta congruit, tanquam termino quodam, in quem libera Dei actio dirigitur.

(2) Juxta ejusdem s. Doctoris principia cum bonum voluntatis sit finis, hinc illa omnia, quae appetit et vult, vel appetit et vult ut finem vel appetit et vult propter finem. Appetit et vult finem necessario; appetit et vult ea, quae sunt propter finem libere, si absque ipsis finis aeque haberi possit. Divina voluntas est conjuncta immediate fini, possidet nempe bonitatem suam qua fruitur; hinc necesse non habet appetere alia propter finem, si ipse est finis suus, nec vult nisi secundum quamdam convenientiam liberam Cfr. *Contra Gentes*, lib. 1, cap. 80.

306. Inst. 1. Deus potuit habere alias cognitiones et volitiones ab iis quas habet; imo 2. diversa ratione fertur semper in objecta, prout ista diversa ratione se habent; ex. gr. modo cognovit Incarnationem futuram, modo praesentem aut praeteritam; Petrum vel diligit ut justum, vel postea odit ut peccatorem, et ita porro; ergo perpetuae, non solum extrinsecae, sed sibi intrinsecae mutationi obnoxius est.

307. Resp. ad 1. *D.* Absque mutatione ac transitu de una cognitione aut volitione in aliam sive diversam sive contrariam, *C.* cum ejusmodi transitu *N.* ac *neg. cons.* Quia omnis mutatio dicit essentialiter mutationem a termino a quo ad terminum ad quem transitur, ac proinde transitus de uno ad aliud mutatio definitur.

308. Ad 2. *N.* Quia Deus unico actu aeterno, simplici, invariabili ac realiter indivisibili fertur in omnia objecta voluntatis ac intellectus sui secundum omnes modos ipsorum, seu diversam rationem qua se habere possunt. Aeternitas enim licet in se indivisibilis sit ac simplicissima, virtualiter tamen complectitur omnia tempora, et omnia objecta, quae in tempore sunt juxta ipsorum varietates ac diversos status, quibus obnoxia sunt. Deus autem est sua aeternitas. Hinc uno eodemque actu cognoscit Incarnationem ut futuram pro eo tempore, quo futura est, praesentem pro eo tempore, quo est praesens, praeteritam denique pro eo tempore, quo praeterita est; sic uno eodemque actu odit Petrum pro eo tempore, quo injustus est, et quia injustus est, et amore prosequitur pro eo tempore, quo sanctus est, et quia est sanctus; hinc sequitur totam mutationem extrinsecam et objectivam esse, nulla vero ratione intrinsecam et essentialem.

309. Non est cur diutius easdem difficultates diversa ratione prosequamur; satis erit ad omnia, quae objici

possint, posita atque statuta principia applicare, rum solutio habeatur (1).

CAPUT III.

DE INFINITATE, IMMENSITATE ATQUE AETERNITATE

310. Tria haec attributa pariter sub uno capit plexi sumus non solum ab communem fontem, necessario dimanant, nempe ex eo quod Deus s se, verum etiam ob eorum inter se connexione

311. Praeter alios multos circa has perfectione sociniani, qui 1. inficiantur Dei essentiam infini se in omni genere perfectionis (2); 2. asserunt De mensum dici posse ratione virtutis et operationi autem ratione essentiae suae (3); 3. Deum eo tant su aeternum statuunt, quod principio et fine care autem omni successione ac temporum differentiis (versus quos errores has statuimus propositiones.

(1) Ejusmodi difficultates longe protrahit et evolvit Tournely, *Tractatu de Deo*, quaest. VIII, art. unico, concl. Cfr. etiam Petav. lib. IV, cap. 4; nec non *Suarez*, *Metaph.* Disp. XXX, sect. VIII et IX, ubi fuse mentem s. Thomae exponit.

(2) Sic in *Fragmento Catechismi Cracoviens.* qui extat in tom. I *Biblioth. Fratr. Polon.* Irenopoli 1656, cap. 2, p. 685, ubi Faustus Socinus negat, ex eo quod infinita sit Dei potentia, inferri posse infinitam esse ejusdem essentiam, qui deinde statuit nihil se prorsus habere quod de hac re statuat.

(3) Ibid.

(4) Ita Socinus in *Praelect. Theolog.* tom. I. *Biblioth Frat. Polon.* cap. 8, p. 545, ubi, ut respondeat ad tertiam rationem calvinistarum affirmat: « Nihil esse in hominis potestate, sed omnia ex Dei decreto pendere, vel certe necessario ex Dei praenotione seu praes negat Deo praescientiam futurorum, negat praeteri nia praesentia in aeternita nulla sit successio, et addit pus enim aeternum est, theologi nostri contra dispu perque et fuit et futurum praeteritum aliquid et pre futurum sit. Nec vero in m tione, ut ipsi arbitrantur primum extitit, sed tantum poris mensura quaedam .. obrem ipsius quoque Dei re quid praeteritum, aliquid sens, aliquid etiam futur Merito proinde Leibnitziu nianis in *Epistola ad L de Hesse-Rhinfels*, 1691 ciat: « Ils ont une idée tr Dieu: il semble qu'ils l'a un certain lieu, qu'ils l la préscience comme cont liberté humaine ». Cfr. *I*

PROPOSITIO I.

eus est infinitus absolute et in omni genere perfectionis

. Infinitas definiri potest summa et absoluta perfe-
umma, quatenus omnem perfectionem continet; *ab-*
, quatenus nec modum agnoscit nec mensuram (1).
igitur hoc sensu infinitum esse in ratione entis,
efertur, et quidem infinitate intensiva, sic brevi-
endimus.

. Deus ex dictis est ens a se; ergo est infinitus.
a si Deus est ens a se, ac proinde necessarium,
a causa potuit limitari aut circumscribi: non a se,
ibi non dedit *esse*; non ab alio, quia a nulla cau-
e accepit (2). Debet ergo Deus esse plenitudo entis,
ne infinitus, et quidem in omni perfectionum ge-
3). Accedit, quod si Deus esset finitus, jam non
d quo nihil melius excogitari possit, quod prorsus

:, Paris 1819, p. 247 et
edit. Bruxell. 1838, tom 2,

fr. Suarez, *De Deo*, lib. II,
ubi rejectis diversis theolo-
placitis circa notionem infi-
num. 5, concludit Deum di-
tum in ratione entis et qui-
siva, ita ut infinitas, quae
medicatur, sit negatio limi-
n ipsius essentia. Hinc Deus
finitus simpliciter, proprie
a priori, quia tantae per-
est, ut non possit in ea ha-
riorem, nec aequalem, qui
tae naturae; unde, prose-
ne, in hac negatione limi-
continetur illa infinitas,
ligitur in continentia omnis
is possibilis, vel cogitabi-
tinentia, inquam, formali
entiali, cum summa perfectione possibili in quacumque perfectione, et modo habendi illam; tum in hac negatione etiam includitur, continere sub se sine ullo termino omnia, quae quocumque modo perfecta cogitari possunt, etiamsi in infinitum in eis procedatur in gradu majoris et majoris perfectionis sine termino. Et haec ad mentem s. Thomae p. 1, q. 7, a. 1.

(2) Cons. s. Th. loc. cit.

(3) Cfr. Less. lib. 1. Ex his quae dicta sunt de infinitate Dei facile colligi potest eam Deo convenire ex notione entis necessarii; tum non esse infinitum, quod non est necessarium; demum infinito seu Deo nihil propterea addi vel detrahi posse, Deumque non posse vel deficere vel proficere eo ipso quod incrementi vel decrementi incapax sit, quia quod ipse est, necessario est.

abhorret ab ipsa notione Dei. Hinc de eo in Psalmo CXLIV, v. 3, dicitur: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis.*

DIFFICULTATES

314. Obj. 1. In Scripturis interdum minus proprie aliquid infinitum dicitur, ex. gr. Num. XXXII, 1, de filiis Ruben et Gad dicitur: *Erat illis in jumentis infinita substantia*, et alibi. Nihil igitur vetat hanc vocem eodem sensu accipi, cum Deum *infinitum* esse dicunt, 2. ad exponendam scilicet summam divinae virtutis efficaciam atque praestantiam. Sane 3. si Deus esset absolute infinitus vel excluderet ceterorum entium existentiam, quae cum ente absolute infinito consistere nequeunt, vel 4. complecteretur etiam istorum entium perfectiones in se. Sic 5. creaturae omnes essent aequaliter perfectae, quia omnes aequaliter a Deo distarent, quae quidem omnia, hisque similia, absurda sunt; ergo.

315. Resp. Ad. 1. *Conc. antec. neg. cons.* Ex subjecta enim materia, ut dicitur, quando vox aliqua proprie vel improprie usurpetur, dignosci potissimum debet. Improprie autem adhiberi vocem *infinitum* in exemplo adducto aliisque similibus patet, quia ea, de quibus dicitur, *infinitatem* proprie dictam non patiuntur, imo excludunt; dum vero Deo applicatur, eam proprie sumendam esse ratio ipsa evidenter ostendit. Addo, falso supponi nos ex Scripturis Deum infinitum ostendere, eo quod *infinitus* dicatur, nam nuspiam in Scripturis Deus *infinitus* dicitur, sed hanc proprietatem Scriptura Deo tribuit per negationem, negando scilicet terminum ullum inveniri in ejus perfectione, ut patet ex adducto loco Ps. CXLIV.

316. Ad 2. *D.* Et hoc ipso evincitur Deum absolute infinitum esse, *C.* detrahitur huic perfectioni *N.* Dei enim

virtus et efficacia est ipsa divina substantia. Addatur absurdum esse tribuere infinitam efficaciam ei, qui non sit absolute infinitus.

317. Ad 3. *D.* Excluderetur ceterorum entium existentia, si Deus diceretur infinitus *extensive*, seu per modum quantitatis, *C.* si intensive, prout expositum est *N.* (1).

318. Ad 4. *D.* Sive formaliter sive eminenter, *C.* formaliter *N.*

319. Ad 5. *D.* Si creaturarum perfectio desumenda esset a distantia perfectionis divinae, *C.* si a pluribus aut paucioribus perfectionis gradibus, quos a Deo creaturae acceperunt *N.*

PROPOSITIO II.

Deus est immensus rebusque omnibus et locis intime praesens essentia sua

320. Deum immensum esse de fide est; expresse enim definitum id fuit in conc. Later. IV. cap. *Firmiter*, ubi concilium profitetur se credere Deum *immensum* esse; addi debet symbolum Athanasianum, in quo dicitur: *Immensus Pater*, etc.

321. Ut facilius propositio intelligatur observandum est 1. immensitatem confundendam non esse cum *infinitate*; ista enim dicit negationem termini in perfectione essentiali, ut superius declaravimus; illa dicit negationem termini in substantiali praesentialitate, ut scholae loquuntur. Seu infinitas afficit universe excellentiam perfectionis essentialis Dei, immensitas afficit praecise modum existentiae divinae essentiae, quatenus ex se et eodem modo permanens, possit esse intime praesens omni-

(1) Cfr. Suarez loc. cit.

bus rebus et locis non solum praesentibus, sed etiam possibilibus in infinitum.

322. 2. Non esse confundendam immensitatem cum *ubiquitate*, ut ajunt; nam immensitas est attributum absolutum, Deoque necessarium; at esse ubique non convenit illi absolute, sed solum, ut dicitur, hypothetice, seu ex suppositione creaturarum existentium, quarum productio Deo libera fuit; quare, ut cetera discrimina praetereamus, liberum Deo fuit, habere vel non habere ejusmodi denominationem existentis ubique (1).

323. 3. S. Thomam, p. I, q. 8, art. 3, divinam immensitatem sic exponere: *Deus est in omnibus per potentiam, in quantum omnia ejus potestati subduntur; est per praesentiam in omnibus, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, in quantum adest omnibus, ut causa essendi.* Primum et secundum omnes fatentur; at postremum, in quo peculiari ratione Dei immensitas consistit, post nonnullos veteres judaeos, valentinianos, gnosticos, manichaeos et anthropomorphitas, in dubium passim, ut diximus, revocant sociniani, nec fidei caput esse contendit Beausobre (2). Catholica itaque veritas vindicanda est,

(1) Petavius, lib. III, cap. 7, § 5, opportune observat: « Ne temere statim haeresis inscribatur iis, qui Deum ubique esse negent, videndum prius quo id sensu faciant. Potest enim subesse duplex. Nam si eo illud affirmant quod rem nullam spiritualem substantia sua esse in loco putant, sed actione sola, quod de angelis ac spiritibus etiam creatis theologi veteres, ac post eos s. Thomas ejusque discipuli sentiunt, reprehendendi non sunt; certe fidei ad causam trahenda res non erit. Sin ideo defendunt, quod vel totam, quam late patet universitatem rerum occupari ab illius substantia non credunt, vel a quibusdam ob foeditatem ac turpitudinem eximunt, atque, ut verbo dicam, si alicubi esse substantiam Dei, velut in caelo, statuunt, alibi non esse docent, quae Vorstii aliorumque sententia fuit, manifestae haeresis tenentur ».

(2) Cfr. Petav. ibid. § 2 et seqq. ubi recenset adversarios hujus divinae proprietatis, eos qui male de ea senserunt, inter quos memorat etiam Augustinum Steuchum Eugubinum.

Beausobre vero in sua *Histoire critique de Manichée*, liv. III, chap. 4, n. 4, cum fassus esset errorem, quo asseritur limitibus circumscribi essentiam Dei relate ad spatium, admissum a manichaeis juxta ipsorum principia, tamen subdit, prout jam praestitit circa naturam Dei corpoream: « C'était sans doute une er-

docet Deum omnibus adesse per essentiam, ita ut ia substantia sua intus repleat, exteriusque circumat ac teneat.

24. Sic igitur rem ex Sacris Litteris in primis con- nus : Baruch III, 25, Deus expresse dicitur *Excelsus mensus* ; Job XI, 8, Deus asseritur *Excelsior cae- profundior inferno, longior terra, et latior mari* ; aiebat David Psalm. CXXXVIII, 7 et seqq : *Quo a Spiritu tuo ? Et quo a facie tua fugiam ? Si ndero in caelum, Tu illic es, si descendero in rnum, ades*, etc. Sed omnium apertissime hoc s. Pau- locuit Act. XVII, 28, ubi, cum asseruisset Deum longe esse ab unoquoque nostrum, rationem adjecit, ns : *In Ipso enim vivimus, movemur et sumus* ; us verbis profecto Dei immensitas, ejusque ubique entia substantialis, ut aiunt, adeo diserte significa- ut plane supervacaneum sit alia congerere.

25. Secundo ex patribus id ipsum concluditur, quo- summa in eo concordia est, inquit Petavius (1), ac logorum omnium, nullo certo loco definiri Dei sub- tiam ; qui praeterea adnotat duos apud veteres usu ritos esse divinae immensitatis declarandae modos. 1 aut asserunt sic intra omnia Deum esse et implere ia, ut etiam extra omnia sit ; aut non contineri lo- omnibus ac substantiis, sed ea continere complecti- omnia (2). Nobis satis sit verba Theophili antiocheni

considérable, que de nier l'im- té substantielle de la Divinité ; il faut pourtant convenir que, qu'on lui conserve celle de con- nce et de pouvoir, la religion ure dans son entier » ; quod de- fuse prosequitur.

) Loc. cit. § 7.

) Ita apud eumdem s. Athana- qui *Epist. ad Serap.* Filium d universe de Personis omnibus ligit) et *ubique esse*, ait, *et extra omnia*, πανταχοῦ ἔστι, καὶ ἔξω πάντων ὤν. S. Hieronymus in Isai- am, cap. 66, Deum *et forinsecus et intrinsecus esse* dicit. Ambrosia- ster in *Commentario in Epist. ad Ephes.* : « Deus, *inquit*, non solum implet omnia, sed et excedit. Nec enim clauditur, sed omnia intra se habet ». s. Augustinus, *serm.* 1. De verbis Apost. « Quid est, *inquit*, om- nipotens Deus ? quid ? nisi inaestima- bilis, ineffabilis, incomprehensibilis,

*

adducere, quibus eleganti similitudine ejusmodi rerum omnium complexum ac comprehensionem explicat: *Quemadmodum*, inquit, *punicum malum corticem habens, quo comprehenditur, intus habet mansiunculas loculosque plures, membranis interceptos, ac multa grana in seipso locata continet; sic universa creatura a Dei spiritu comprehenditur, et spiritus, qui comprehendit, cum creatura comprehenditur a manu Dei* (1).

326. Sed tertio huic veritati ratio ipsa suffragatur, quam urget s. Thomas, loc. cit. art. 1. Deus enim ubique semper agit virtute et operatione, ut omnibus continue seu jugiter det esse, sive res existentia perseverantes faciat, atqui Deus agit virtute et operatione a substantia sua minime distincta; ergo sicut virtute et operatione ubique Deus est, ita etiam substantia et essentia sua Deus rebus omnibus adest intime omnino praesens (2).

DIFFICULTATES

327. I. Obj. 1. Scripturae passim Deum in caelo esse inculcant; ferri de loco in locum ambulando, descendendo, etc.; in terris autem commorari in templo, in arca, etc. 2. Quae quidem sententia inhaesit veteribus

ultra omnia, extra omnia, praeter omnia? *Et eleganter Prudentius*: Extraque et intus implet ac superfluit ».

(1) Ὃν τρόπον γὰρ ῥοὰ ἔχουσα φλοιὸν τὸν περιέχοντα αὐτὴν, ἔνδον ἔχει μονὰς, καὶ θήκας πολλὰς διαχωριζομένας διὰ ὑμένων, καὶ πολλοὺς κόκκους ἔχει τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας· οὕτως ἡ πᾶσα κτίσις περιέχεται ὑπὸ πνεύματος θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον σὺν τῇ κτίσει περιέχεται ὑπὸ χειρὸς θεοῦ.

(2) Cfr. Less. *De perfect. divin.* lib. II, cap. 1 et seqq. Sic s. Th. p. 1, q. 8, art. 4, ostendit: « Quod proprium sit solius Dei ubique esse, quia quaecumque loca ponantur, oportet, quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum seipsum ». Si igitur secundum seipsum Deus ubique est, id est ubique totus, prout enti seu substantiae omnium simplicissimae competit, patet testimonia sive Scripturarum, sive patrum, quae videntur prima fronte ubiquitatem solum de Deo praedicare, reipsa ejusdem evincere immensitatem, vi cujus Deus ubique est et omnia continet. Recte propterea antiquus quidam philosophus Deum dixit sphaeram incomprehensibilem, cujus centrum ubique, ambitus et circumferentia nusquam.

hebraeis et patriarchis ipsis ac prophetis ; Rebecca enim (Gen. XXV, 22) *perrexit ad consulendum Dominum* ; sic Jacob (ibid. XXVIII, 16) *cum evigilasset de somno ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam* ; et (Jon. I, 3) *Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini* ; ergo.

328. Resp. ad 1. *D.* Figurate et improprie, vel ratione peculiarium effectuum, quibus se Deus speciali ratione manifestat, *C.* proprie et ad exclusionem aliorum locorum *N.* Multiplici sensu Deus in caelo esse dicitur, vel alibi ; nempe in caelo speciali manifestatione gloriae suae beatis ; sicut et in justis per gratiam, quam cordibus eorum infundit ; in Christo per unionem hypostaticam, qua humana natura divinae unitur, ab eaque regitur ac sustentatur ; in ecclesia per auxilium, quo illam protegit ; in arca, in templo ad cultum excipiendum ; in omnibus denique rebus, ut *causa essendi*, quemadmodum loquitur s. Thomas. Item descendere dicitur Deus, ambulare, accedere, quatenus aliquid praestat in terra, quod praeter usitatum naturae cursum mirabiliter factum praesentiam suam quodammodo ostendit, ut inquit s. Augustinus (1).

329. Ad 2. *D.* Rudioribus et imperitis quibusdam, *Tr.* omnibus ac patriarchis praesertim atque prophetis *N.* Hoc enim nulla probabili ratione asseritur. Nec obstat quod Rebecca legatur *perrexisse* ad consulendum Dominum ; non enim alio sensu haec dicta sunt nisi ad exprimendum Rebeccam animo vel affectu se contulisse seu determinasse ad consulendum Deum (2). Sic etiam Jacob locutus est de speciali manifestatione Dei, ut patet ex somnio seu visione illic habita (3). Jonas denique ideo fu-

(1) *Contra Adimantum*, cap. 13, n. 2, et alibi passim.

(2) Ita exponit Origenes, *Homil.* XII, *in Genes.* n. 2, ubi post satis prolixam disputationem concludit : « Sic igitur sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora ». Edit. Maurin. tom. II, pag. 92.

(3) Cfr. Calmet in hunc locum.

gisse dicitur a facie Domini in Tharsis, quatenus ei morem non gessit, atque a mandato Dei se subtraxit, phrasi seu dicendi modo in Scripturis usitato (1).

330. III. Obj. 1. Patres non pauci negant Deum ubique esse, ut Clemens Alex. *Stromatum*, lib II et V; Tatianus, *Orat. contra graecos*, qui Dei essentiam *materiam permeare* inficiati sunt; s. Joan. Chrysost. homil. V *in epist. ad Coloss.* et Lactantius, lib. *De opificio Dei*, cap. 16. 2. Vel Deum nullibi esse pronunciant, vel in caelo sedem habere, quibus consonat s. Augustinus, qui et ipse in libro *LXXXIII Quaestionum*, quaest. X, Deum nuspiam esse dicit (2); ergo.

331. Resp. ad 1 *D.* Negant Deum ubique esse extensione aut diffusione sensu stoïcorum, quos oppugnabant, *C.* immensitate, locum ei definitum circumscribendo *N.* Stoïci enim, adversus quos patres illi disputabant, arbitrabantur Deum esse animam mundi, quae pervadit materiam, agitatqne molem, quaeque mundum ipsum informat; alii autem existimabant Deum veluti spatiosa quadam magnitudine per multa diffundi; hinc citati patres Deum hac ratione consistere negabant, cum Deus ita sit per cuncta diffusus, ut non sit quantitas, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens et continens mundum,

(1) Cfr. Petrus Four. Ackermann: *Prophetae minores perpetua annotatione illustrati*, Vien. 1830, qui in Jonam 1 - 3 haec habet: « E conspectu Jehova, id est, ad detrectandum munus propheticum sibi a Deo impositum; sperabat enim ex tam remotis regionibus (Tartesso colonia Phoenicum in Hispania Boetica) se a Deo non revocatum, nec remissum iri in Ninivem. Sanctius.... Ex his, et ex vv. 9 ad 12 patet, quam contorta sit eorum interpretatio, qui statuunt, Jonam putasse, se fuga in regionem peregrinam mandatum hoc eludere posse, quum Jehova tantum in Israelitarum terra, tanquam ejus numen tutelare praesens sit. Hoc errore si imbutus fuisset, existimasset quoque eum non adesse in Assyria; ita quamprimum ex Joppe portu solvisset, ejus suffugisset territorium. Quare in Hispaniam cogitavit? Fugere a facie Domini Jonam nihil aliud esse putant Chaldaeus, Theodoretus, Theophilactus, etc. quam impositum prophetandi munus effugere (Christianus Castrus); et recte, nam ut observat Drusius: *Stare coram Domino*, ministerium significat dominicum, quod qui obire detrectat, is fugere dicitur a conspectu Domini ».

(2) Apud Petav. lib. III, cap. 8. et seqq.

non tamen per spatia locorum, ut in dimidia mundi parte dimidiatus, ut ita dicam, sit, sed in caelo totus, et in terra totus, et nullo arctatus loco, sed in se ipso ubique totus. Quod exprimunt scholastici, dum aiunt Deum esse inextensum *formaliter*, extensum autem *virtualiter*, quatenus Deus, qui in se ipso indivisibilis est, et nullo modo extensus, suae tamen immensitate virtutis, a sua substantia indistinctae, attingit omnia, quae sunt in loco, et est in omnibus rebus *causans omnium esse*, ut loquitur s. Thomas. Ceterum idem Clemens Alex. *Stromatum* lib. VII (1), ait: *Persuasum est ubique Deum adesse, non autem certis et definitis locis esse conclusum*; et Chrysostomus homil. XXXVIII. *in Acta Apost.* n. 3, affirmat Deum *propinquum esse his, qui sunt ubique terrarum* (2); ac demum Lactantius, *Institutionum Divinarum*, lib. VII cap. III, affirmat *Divinum Spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri* (3).

332. Ad 2. *D. Circumscriptive*, ut ajunt, quasi in loco contineretur aut dimetiretur a loco, *C.* ad exclusionem immensitatis *N.* Cum igitur patres dicunt Deum nusquam esse, nil aliud intelligunt, quam Deum a nullo loco comprehendi, sed esse supra res omnes, easque continere, et sibi ipsi locum esse (4).

333. III. Obj. Si Deus ubique esset, omniaque substantia sua permearet, in faedioribus locis inveniretur, atque in daemonibus ipsis, nec non in spatiis, ut vocant, imaginariis, quod dicere nefas est; ergo.

334 Resp. *D. maj.* Si quae loca faeda essent respectu

(1) Τοιοῦτος ὁ πάντη παρεῖναι τὸν θεὸν πεπεισμένος, οὐχὶ δὲ ἐν τόποις τισὶν ὡρισμένοις. κ. τ. λ. Mirum sane est potuisse Clementi Alex. absurdam ejusmodi sententiam affingi, qui loc. cit. *Strom.* a num. 4 ad 8 perpetuo hoc utitur principio petito ab immensitate Dei ad oppugnandam ethnicorum stultitiam, qui formam humanam Deo tribuebant.

(2) Πᾶσιν ἐγγὺς εἶναι τοῖς παντα-χοῦ τῆς οἰκουμένης οὖσι. tom. IX op. p. 290.

(3) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 7.

(4) Cfr. ibid. cap. 9. n. 12 et seqq.

Dei, *C.* si haec faeda non sint nisi in apprehensione nostra *N.* Omnia enim quae sunt, in se bona sunt; sic in daemonibus, prout res sunt, Deus invenitur, eo ipso quod existant, adest praeterea ut puniat, prout loquitur s. Augustinus. Quod vero additur de spatiis imaginariis vulgo dictis, si quem sensum habet, nihil aliud significat nisi Deum totum esse in seipso, cujusmodi pariter erat, antequam mundus esset, et si mille mundi conderentur, omnes in Dei immensitate essent, qui ut veteres nonnulli loquuntur est omnium locorum locus (1), locusque sibi ipsi, nostra cogitandi ratione, qui his adjumentis indigemus.

PROPOSITIO III.

Deus est aeternus

335. Haec propositio de fide est; sic enim definitum fuit a conc. Lateran. IV in toties laudato cap. *Firmiter*, in quo *Deus aeternus* dicitur, quod pariter habetur in symbolo dicto Athanasiano, *Aeternus Pater*, etc.

336. Praemittendum est 1. aeternitatem multiplici sensu sumi: 1. latissime, pro longa duratione, utrimque tamen terminata; quo sensu saepe in sacris litteris usurpatur, ut cum possessio aeterna terrae Palaestinae promittitur hebraeis, etc. 2. Minus ampla significatione aeternum dicitur, quod licet initium habuerit, fine tamen caret; cujusmodi duratio est angelorum, animae rationalis, etc, *aevum* a scholasticis nuncupatur. 3. Minus late, quod principio et fine caret, etsi non habeat absolutam necessitatem; quo sensu aeterni sunt omnes ac soli actus contingentes et liberi intellectus ac voluntatis divinae. 4. Denique accipitur pro duratione absolute ne-

(1) Cfr. Petav. ibid. cap. 8.

ria, quae principio et fine caret, quae quidem ri-
o sensu ac proprio aeterna dicitur, et ea est de qua
gitur.

7. 2. Aeternitatem proprie dictam passim definiri
tionem sine principio, sine fine, sine mutabilitate.
autem in suo conceptu aeternitas atque immutabi-
inter se distinguantur, sic tamen inter se connexae
ut una ex altera necessario sequatur. Quare meri-
. Thoma, p. I, quaest. 10, art. 1, aeternitas cum
definitur: *Interminabilis vitae tota simul et per-
possessio* (1), quam definitionem per partes sin-
enucleatam quisque in citato articulo videre poterit.

3. 3. Quod, licet aeternitas formali, ut ajunt, ca-
amplitudine, posita in fluxu partium sibi succeden-
, habeat tamen amplitudinem, ut vocant, virtua-
infinitam, quatenus nempe ob carentiam principii
is aequivalet tempori infinito habenti partes ab ae-
et in aeternum sibi succedentes; aequivalet proin-
ordine ad coëxistendum tempusculis et rebus creatis
us sibi succedentibus in infinitum. Quare res crea-
ex eo quod eidem aeternitati coëxistant, non pos-
dici simul existere in aeternitate, ac simul, prout
nt, esse Deo *realiter* praesentes ab aeterno, etsi
r eidem *objective*, ut dicitur, praesentes sint; quia
oëxistunt aeternitati secundum totam ejus virtualem
tudinem, sed solum secundum aliquam hujus am-

eternitas autem dupliciter pot-
iderari, prout nempe est ab-
ac prout est relativa. *Abso-*
, cum spectatur citra respe-
d tempus et res creatas; *re-*
ero est, dum spectatur cum
ad tempus. Ab absoluta ab-
non solum sunt praeteritum
um sed et praesens quatenus
em dicit ad praeteritum ac fu-
nec potest in illa concipi pars
que Dei ipsius vita unica et in
statu manens, seu simplicitas
infinita, aut infinitudo simplicissima
unius Dei viventi. Relativa autem ae-
quat ac superat tempora omnia, et ju-
xta hanc dicitur: *In principio* erat
Verbum, etc. prout dicit relationem
non ad Deum, sed ad homines, atque
hoc sensu *tota simul* dicitur, cum non
possit in parte temporis pars aeternita-
tis effluere ac pars in altera, et huc re-
spicit definitio Boetii: *Interminabilis
vitae tota simul et perfecta possessio.*
Hinc totum in aeternitate objective sal-
tem praesens est, cum sit tota simul.

plitudinis partem, quae respondeat tali differentiae temporis, quam aeternitas secundum alias ejusdem amplitudinis partes virtualiter elapsas infinite praecessit, et infinite excedit secundum alias virtualiter elapsuras. Si eorum, quae hic adnotavimus adumbrationem quaeras, circuli centrum concipe, quod, etsi indivisibile, partibus tamen divisibilibus, seu potius punctis circuli, seu peripheriae respondet, et manet immotum, quamvis circulus circumagatur. Exemplum est s. Thomae (1).

339. His positis operosum non est enunciatae propositionis veritatem ostendere, sive ex Scriptura et patribus, sive ex ratione. Nam Psal. LXXXIX, 2, dicitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus;* et Apostolus I Timoth. VI, 16, de Deo expresse dicit: *Qui solus habet immortalitatem.* Quae verba expendens s. Augustinus, tract. XXIII, n. 9. in Joan. *Quid est*, interrogat, *quod ait Apostolus de Deo, qui solus habet immortalitatem, nisi quia hoc aperte dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram aeternitatem* (2)? Tertullianus, libro *Contra Hermogenem*, cap. IV, aeternitatem vocat *censum Dei*, dicens: *Quis enim alius Dei census quam aeternitas?* et *Contra Marcionem*, lib. I, cap. VIII: *Non habet tempus aeternitas*; et ibidem: *Deus tam alienus est ab initio et fine, quam a tempore. Deus*, inquit s. Gregor. Nazianz. Oratione XXXVIII, num. 11, *Deus semper erat et est et erit, vel potius semper est: nam erat et erit*

(1) *Contra gentes*, lib. 1, cap. 66, n. 6.

(2) Ibid. s. Doctor fuse ostendit quomodo Deo soli competat aeternitas eo ipso, quod fluxu temporis careat et successionis: « Quidquid, *inquit*, et a meliore in deterius, et a deteriore in melius movetur, non est hoc Deus: quia neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera aeternitas. Vera enim aeternitas est, ubi temporis nihil est. Erat autem modo hoc, et modo illud? Jam tempus admissum est, aeternum non est, etc ».

huius temporis fluxae caducaeque naturae segmenta sunt (1); sic ceteri patres apud Petavium, lib. III, cap. IV.

340. Quod confirmatur ex ratione, quam adducit s. Thomas loc. cit. art. 2, inquiens: *Ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum, unde cum Deus sit maxime immutabilis, ei maxime competit esse aeternum.* Ex quo principio infert, art. 3, solius Dei propriam esse aeternitatem, quia aeternitas immutabilitatem consequitur; et solus Deus est omnino immutabilis. Id ipsum evincitur ex necessitate essendi, quae Deo inest.

341. Sive igitur Scripturam consulamus et patres, sive rationem ipsam, patet Deum et quidem solum, vera proprieque dicta aeternitate praeditum esse, quae nempe sit sine principio, sine fine, sine mutabilitate. Quin imo s. Thomas loc. cit. pergit ostendere Deum esse suam ipsam aeternitatem. De quo argumento consuli praeterea potest Petavius, loc. cit. (2).

DIFFICULTATES

342. Obj. 1. Deo interdum Scripturae tribuunt temporis successionem; sic Daniel. VII, 9, Deus dicitur *Antiquus dierum*; Apocalyps. I, 8: *Qui est, qui erat, qui venturus est.* Sic pariter 2. Deo tribuunt actiones vel praeteritas vel futuras; ergo non ita Deus aeternus est, ut omni successione temporis careat, quod concipi nulla ratione potest.

343. Resp. ad 1. *D.* Improprie ac juxta intelligentiam nostram, *C.* proprie ac prout Deus in se est, *N.* Ejus-

(1) Θεὸς ἦν μὲν ἀεὶ, καὶ ἔστι, καὶ ἔσται· μᾶλλον δὲ ἔστιν ἀεί· τὸ γὰρ ἦν, καὶ ἔσται, τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου τμήματα καὶ τῆς ῥευστῆς φύσεως· Quod ibidem pluribus verbis prosequitur.

(2) Plura hic invenientur notatu dignissima, atque ad enodandas difficultates maxime idonea juxta veterum sententias. Cfr. etiam Lessius, *De Perfectionibus Divinis*, lib. IV.

modi enim locutiones in Scriptura semper improprie et captui nostro accommodatae adhibentur, qui in aeternitate virtualem quamdam successionis amplitudinem apprehendimus, ut de ceteris attributis diximus.

344. Ad 2. *D.* Respectu termini, ad quem referuntur, et relate ad nos, *C.* respectu Dei, et relate ad ipsum *N.* Itaque et haec improprie de Deo dicuntur habita ratione nostrae tenuitatis et infirmitatis, qua fit, ut observat s. Augustinus, ut non possimus de aeternitate cogitare et loqui nisi per ordinem ad tempus. Ceterum in Deo una semper est, eaque aeterna actio, quae cum dicit effectum in tempore vel producendum vel productum, temporis vicissitudines subit non respectu sui, sed respectu termini seu effectus in tempore producti vel producendi. Ut enim superius dictum est, dum ageretur de Dei immutabilitate, Deus voluntate sua ab aeterno et pro aeterno, ut cum schola loquamur, tendit actu unico, simplici, invariabili ac realiter indivisibili in omnia objecta secundum omnes suos modos seu respectus, secundum quos fertur in illos (1).

(1) Cfr. Suarez, Met. disp. 1, sect. 3 et 4.

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PARS TERTIA

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI

. Expletis quae ad divinam substantiam ac praecimmi Numinis attributa spectant, nativo ipso ordiimur ad investigandam divinae hujus substantiae ionem, quae intelligere et velle complectitur (1). igitur de divina intelligentia seu scientia, deinceps e Dei voluntate disseremus.

CAPUT I.

DE SCIENTIA DEI

. Agentes de divina scientia duo potissime ob ocubere debemus, ac 1. quidem ut certa ab incertis te secernamus, seu ea quae penes omnes catholiplorata sunt, ab iis, quae in disputationem ve- 2. vero ut omnem declinemus domesticam coniam, ut sic facilius conjunctis viribus unanimi coni dimicare possimus adversus veros religionis hoqui subruere nituntur fidei ipsius fundamenta. Abprofecto esset inter nos vires consumere, ac interea ere, ut illi impune possint omnia moliri adversus

. s. Thom. 1. p, q. 14. Sic antur perfectiones positivae, algo numerantur, scientia, , potentia. Cum tamen poa respiciat opera, quae *ad* untur, de hac propterea sermo erit in tract. *De Deo creatore*. Intelligere et velle facultates duae illae sunt, quae entibus omnibus intelligentibus insunt, ac facultates *immanentes* nuncupantur, quibus internae vitae actus proprii eliciuntur.

catholicam fidem, et eo magis quod pleraeque ejusmodi concertationes obsoletae sint, nec praestet eas denuo excitare non absque aliquo unionis et charitatis detrimento. Ut propositum finem obtineamus, nitentur quae certa sunt suis argumentis confirmare, quae vero olim inter theologos agitabantur, in nonnulla scholia rejicere, quae postea subjiciemus duobus distinctis articulis.

347. Quae de Dei scientia dici certo possunt, revocantur ad haec praecipua capita, existentiam nempe et proprietates seu dotes, atque ad ejusdem objectum. Quae autem in controversiam vocantur, respiciunt magna ex parte ejusdem scientiae medium atque divisionem. Ut igitur perspicuitati consulamus, distinctis articulis enunciata prima illa catholicae doctrinae capita prius complectemur, de reliquis postea dicturi.

ARTICULUS I.

De divinae scientiae existentia atque proprietatibus

348. Circa divinae scientiae existentiam non est quod valde laboremus ad eam adstruendam, cum vix sit qui eam in dubium revocaverit, omnibus ea siquidem insita est Dei notio, ut Deus summe intelligens, imo intelligentia ipsa, ac totus mens per excellentiam concipiatur. Quod attinet autem ad ejusmodi scientiae dotes ac proprietates, Scriptura ac patribus ducibus hae esse intelliguntur, ut nimirum sit simplex, immutabilis, infinita et efficax. Sic porro breviter sequentibus propositionibus eas adstruimus.

PROPOSITIO I.

Est in Deo veri nominis scientia eaque perfectissima

Haec propositio ad fidem pertinet. Nam apertissime sque foederis libris Dei scientia commendatur. [Reg. II, 3, dicitur. *Deus scientiarum Dominus* her XIV, 14: *Domine, qui habes omnium scien-* ld Rom. XI, 33, Apostolus exclamat: *O altitu-* tiarum sapientiae et scientiae Dei! Non vacat ngerere.

Nec minus clare id ipsum ratio evincit. Deus t id, quo nihil melius excogitari et concipi pot- a vero scientia eximia perfectio est, quam melius re quam non habere; ergo in Deo est scientia, quae Deum deceat, id est omni imperfectione se- t in summo gradu (1).

PROPOSITIO II.

tia Dei est simplex, immutabilis et infinita

Haec propositio pariter ad fidem pertinet. Eo au- su simplex dicitur Dei scientia, quatenus non est per modum habitus aut qualitatis ei supervenien- est actus et quidem purissimus, ipsaque divina

ndum porro est scientiam ione sumi, *late* pro omni intellectus seu mentis cer- ti, 2. *improprie* pro co- rta et evidenti rerum per opositio autem est de pri- scendi ratione, quam Deo o est qui dubitet, aut jure itare possit, atque hanc in Deo agnoscere ad fidem pertinere diximus. Ast non adeo res explorata est, si de altera sermo sit; non desunt enim qui eam Deo inesse negent, atque inter ceteros Vasquez in 1. p, disp. LXXXVI, n. 48, quia ejusmodi cognoscendi ratio quamdam in se includere videtur imperfectionem.

substantia (1) simplicissima, quae statim omnia pervadit absque ulla mentis compositione per plures conceptus aut ratiocinatione.

352. Ejusmodi porro esse divinam scientiam Scriptura in primis testatur. Sap. VII, 22 dicitur: *Est in illa* (sapientia) *spiritus intelligentiae sanctus*, *unicus*, *multiplex*. *Unicus* nempe in se, *multiplex* respectu termini seu objectorum. Idipsum patet tum ex eo, quod in Deo scientia nec accidens sit nec qualitas aliqua superveniens Deo, quod abhorret a summa Dei simplicitate, sed ipsa divina substantia; tritumque est illud s. Augustini dictum, lib. XV *De Trinitate*: *Nosse et esse illi unum est*; tum ex eo, quod Deus unica cognitione ac simplici intuitu omnia et quidem infinita percipiat, quare ibid. s. Augustinus: *Simul omnia videt*, inquit, *quorum nullum est, quod non semper videt* (2).

353. Quod autem divina scientia sit immutabilis, in primis ex Scripturis evincitur; nam Jac. I, 17 universim de Deo dicitur: *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; quod verum non esset, si Dei scientia non esset actus simplicissimus, sed novas posset acquirere cognitiones aut aliquas amittere. Hinc optime s. Augustinus, *Confession.* lib. XIII, cap. 16, inquit: *Sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, et scis incommutabiliter, et vis incommutabiliter.* Quod confirmatur ex ipsa ratione, quia, si actus intelligendi ab ipsa divina essentia minime di-

(1) Simonnet observat, quod dum ipsa scientia Dei dicitur esse substantia divina, id non esse intelligendum absolute, ac prout dicitur, simpliciter, sed cum addito, ut sit nempe divina substantia se ipsa vitaliter tendens sic.

(2) Cap. XIV, his verbis, cujusmodi sit haec scientia, aperit s. Doctor: « Sciunt ergo invicem Pater et Filius; sed ille gignendo, iste nascendo. Et omnia, quae sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt; non particulatim, aut singillatim, velut alternante conspectu hinc illuc, et inde huc, et rursus inde vel inde in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit nisi non videns aliud; sed, ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt ».

uitur, cum ista immutabilis sit, immutabilis intel-
ıdi actus pariter sit necesse est, qui id omne ab acter-
ɔmplectitur, quod cognosci potest, et omni quo pot-
ıodo cognosci, amota quacumque imperfectione.
54. Divinam denique scientiam infinitam esse testa-
Psalmista, Ps. CXLVI, 5, dicens: *Sapientiae ejus est numerus*, et Apostolus ad Hebr. IV, 13: *Omnia et aperta sunt oculis ejus*. Sane omni finita scien-
liquid melius excogitari potest in ratione scientiae,
ɔe infinita; Deus est autem ens quo nihil melius
gitari potest: ei igitur competit scientia, quae sit
ute seu intensive, ut aiunt, atque extensive infinita.
55. Scientia igitur Dei tum simplex est tum immu-
is atque infinita (1).

PROPOSITIO III.

Scientia Dei est efficax et causa rerum

56. Prout jacet propositio, ad fidem spectat, nec ulla
n ea difficultas; si qua est controversia, haec non
git nisi rationem, qua Dei scientia causa rerum di-
r et sit.
57. Quod ut intelligatur, praenotandum est scientiam
posse dici causam rerum sive adaequatam sive inad-
ıatam; *adaequatam* quatenus esset principium im-
iatum, proximum ac totale productionis rerum om-
ı, tum nempe earum, quae necessariae sunt, tum
ni, quae liberae, seu a libera creaturarum intelli-
ium determinatione pendent, adeo ut intellectus di-
ıs a voluntate applicatus omnia immediate operetur;
laequatam, quatenus praeluceat voluntati divinae,

(1) Divinae scientiae excellentiam
uit Suarez, *De Deo*, lib. III,
1, n. 3; Lessius, *De perfe-*
ctionibus divinis lib. VI, a cap. I
ad 3.

applicanti potentiam executivam, ipsamque dirigat. Hoc vero sensu ideo efficax et causa rerum Dei scientia diceretur, quia concurrit ad rerum effectionem per modum prudentiae et per modum artis; per modum quidem prudentiae respectu ipsiusmet voluntatis divinae quoad actus ejusdem liberos, seu quoad determinationes eorum; per modum artis quoad modum, quo res fieri debent. Theologi thomistae nuncupati primo sensu affirmant Dei scientiam esse causam rerum et efficacem, nempe principium immediatum, adaequatum, vel etiam, ut dicunt, *formale*; ceteri autem, qui profitentur se assequi non posse, quomodo scientia res aliquas producat, tuentur nonnisi posteriori sensu scientiam dici efficacem et causam rerum, nempe ut principium inadaequatum, partiale, mediatum, prout nempe directrix est voluntatis atque omnipotentiae (1).

358. Rursum quaestio fit in scholis catholicis, utrum scientia ista, quae est efficax et causa rerum, quaeque etiam practica dicitur, spectet ad illam scientiae divinae speciem (nostro concipiendi modo), quae *simplicis intelligentiae* vocatur, quaeque anterior concipitur omni decreto seu actu voluntatis, an vero ad illam, quae *visionis* nuncupatur, quaeque ejusmodi decretum seu voluntatis actum subsequitur aut approbat. Thomistae hanc secundam sententiam amplectuntur, quia existimant scientiam Dei, ut diximus, esse rerum causam, non directricem, sed effectricem immediate; ex quorum sententia, non ideo cognoscuntur res futurae, quia futurae sunt, sed ideo futurae sunt, quia cognoscuntur, scilicet in divinis decretis. Alii autem theologi contendunt scientiam efficacem esse scientiam simplicis intelligentiae, quatenus, ut dictum est, dirigit decretum voluntatis ad res efficiendas, quia, ut aiunt, scientia visionis jam suppo-

(1) Cons. Suarez, loc. cit. cap. 9, n. 7, 8 et 9; Card. Gotti, cap. 3, q. 1 et seqq.

, seu objectum quod videt, non autem producit; uxta hos ideo res cognoscuntur a Deo, quia futunt, non autem futurae sunt, quia cognoscuntur; ogice prius est aliquid esse quam cognosci, et noractica in aliqua semper veritate speculativa funvel secundum rem, ut in nobis, vel secundum ra-, ut in Deo, nec concipi potest aliter scientiam m posse esse rerum effectricem nisi per modum dis et artis, cum proprium sit scientiae *cognosce*on *efficere*. Ars enim divina est actus, quo Deus, , prius quam velit operari aliquid ad extra, sibi sentat exemplaria omnia, ad quorum imitationem ad extra aliquid moliri; jam vero talis actus est cis intelligentiae, seu pertinet ad simplicem intelam necessariam, et independentem ab omni decrenali (1).

. In his porro salebris haerere nolumus; satius dupropositionem nostram generaliter sumptam evinatque ostendere scientiam Dei efficacem esse, et aliquo sensu effectricem, sive mediate per mo-

ens. Suarez, loc. cit. num. inquit: « Addo igitur scienplicis intelligentiae creaturaet sub una ratione speculasub alia optime dici practi.. Nam, ut scientia sit praecesse non est ut a sciente ar ad opus, sed satis est, se directiva sit operis, quat de re operabili, ut talis est, perabili, seu ostendendo moquo res facienda est, si artierit; *et n.* 15, *prosequitur*: ro scientia visionis per se non tica, sed est quaedam intuiquasi experimentalis visio. Unsiderctur in Deo, quatenus tur ad res actu existentes, t effectionem earum, unde, non facit eas. Si vero conr, ut de futuris est, etiam supponit futuritionem earum, et ex parte Dei supponit voluntatem aliquam, sine qua illae res non possunt esse absolute futurae ». *Sic etiam Petavius*, De Deo, *lib.* IV, *cap.* 7, *num.* 10: « Quarum duarum cognitionum, *scribit*, priorem nominant in scholis *scientiam simplicis intelligentiae*, posteriorem *visionis*. Illius est ordinare res ac disponere, ac voluntatem divinam et efficientiam quodammodo gubernare, quemadmodum architectandi usum et operis institutionem ars illa, quae est in artificis mente, moderatur ac dirigit. Posterior autem res easdem voluntate jam divina designatas et constitutas, et in aliqua temporis parte producendas, quasi existentes ac praesentes intuetur ».

*

dum artis et directionis, sive immediate per modum causae formalis.

360. Etenim Psalm. CIII, 24 legitur: *Omnia in sapientia fecisti*; ac Sap. VII, 21 *Sapientia omnium artifex* dicitur; et Jeremias X, 12 de Deo dicit: *Praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit caelos*, denique Prov. VIII, 27 de se ipsa ait: *Quando praeparabat caelos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos .... cum eo eram cuncta componens.* Haec edoctus s. Augustinus, *De Trinitate*, lib. XV, cap. XIII, scribebat: *Universas creaturas suas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit, sed ideo sunt, quia novit; non enim nescivit, quae fuerat creaturus, nec aliter scivit creata, quam creanda. Non enim ejus sapientiae aliquid accessit ex eis, sed illis existentibus sicut oportebat et quando oportebat, illa mansit ut erat;* et alibi passim: cui consonant patres alii apud Petavium, lib IV, cap 11, num. 10. et seqq.

361. Demum rationem theologicam suppeditat s. Thomas p. 1, q. 14, art 8, dicens, ita se habere Dei scientiam ad omnes res creatas, sicut scientia artificis ad ea, quae arte facta sunt vel fiunt; scientia artificis est causa rerum, quae arte fiunt, ergo scientia Dei est causa rerum creatarum. Quae quidem congruunt cum iis, quae scribit s. Augustinus (tract. I *In Joannem*): *Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia.*

DIFFICULTATES

362. Obj. 1. Deus per suam omnipotentiam cuncta creavit; ergo scientia non est causa rerum. 2. Nemo sane unquam dicet scientiam, cujus officium est cognoscere atque intueri res faciendas vel factas, res ipsas efficere. Ad-

latur 3. Dei scientiam esse aeternam, ideo si ipsa esset rerum causa, res productae ab aeterno essent, quod falsum est; ergo.

363. Resp. ad 1. *D. A.* Quoad executionem, *C.* quoad artem et directionem N. Tria enim ad rerum productionem concurrunt: *scientia* nempe, quae praelucet *voluntati*, eamque per modum artis et prudentiae determinat ac dirigit, et *omnipotentia*, quae exequitur; quae tria sic distincte ac eleganter complexus est Tertullianus in *Apologetico*, cap. XVII dicens: *Deus totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spiritum*, verbo, *quo jussit*, ratione, *qua disposuit*, virtute, *qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae.*

364. Ad 2. *D.* Sensu exposito, *N.* alio sensu *Tr.* Ad veritatem propositionis satis est, si aliquo vero sensu contet Dei scientiam esse efficacem et rerum causam, seu *omnium artificem*, ut Scriptura loquitur. Quod spectat ad peculiarem rationem determinandam, illud diversarum opinionum patronis dimittimus (1).

365. Ad 3. *Dist. maj.* Si scientia Dei, prout effectrix causa rerum est, esset causa necessaria, *C.* si libera *N.* Talis porro est scientia Dei, quatenus efficax et causa rerum dicitur; quare sic respondet s. Thomas, loc. cit. ad 1: *Scientia Dei est causa rerum, secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei, quod res essent ab aeterno; unde, quamvis scientia Dei sit aeterna, non sequitur tamen, quod creaturae sint ab aeterno.*

(1) Ceterum Suarez, loc. cit. n. 10, concludit: « In divina scientia nullus actus cogitari potest, nisi per modum cognitionis, et quidquid aliud fingitur, sine fundamento est et explicari non potest ».

ARTICULUS II.

De objecto scientiae divinae

366. Id omne est objectum scientiae divinae, circa quod ipsa versatur, seu quod Deus cognoscit. Cognoscit autem se et alia extra se. Quae vero extra Deum sunt vel sunt possibilia vel existentia, vel praeterita vel futura, sive absolute ac necessario, sive libere et contingenter, sive saltem conditionate. De his ex ordine agemus; tum nempe de primario scientiae divinae objecto, quod est Deus ipse, tum de secundario, cujusmodi sunt cetera a Deo distincta.

PROPOSITIO I.

Deus se ipsum perfecte cognoscit et comprehendit

367. Ac primo quidem Deum seipsum perfecte cognoscere Apostolus expresse declarat, dum (I. Cor. II, 10) scribit: *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei;* tum: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Sed et ratio idipsum suadet, ut enim pulchre ipse ethnicus Alcinöus argumentabatur: *Quoniam prima mens praestantissima est, necesse est praestantissimum ei intelligibile propositum esse; nihil autem se ipso praestantius habet; quare semetipsum notionesque suas semper intelliget* (1). Sane nihil obstat, quominus Deus semetipsum perfecte cognoscat; non objectum, cum intrinseca cognoscibilitas sit affectio entis in actu, et Deus sit maxime ens in actu; non potentia sive facultas, quum

(1) Ἐπεὶ δὲ ὁ πρῶτος νοῦς κάλλιστος, δεῖ καὶ κάλλιστον αὐτῷ νοητὸν ὑποκεῖσθαι· οὐδὲν δὲ ἑαυτοῦ κάλλιον. ἑαυτὸν ἂν οὖν καὶ τὰ ἑαυτοῦ νοήματα ἀεὶ νοοίη. Apud Petav. de Deo, lib. IV, cap. 3, § 1.

vim habeat intelligendi infinitam, divinusque intellectus identificetur cum ipsa divina essentia; ergo.

368. Quod autem seipsum comprehendat, ut secundo loco propositum est, sic ostendit s. Thomas, p. 1, q. 14, art. 3; Deus se ipsum comprehendit, si seipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est; atqui sic Deus cognoscit se ipsum, quia tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo, utraque enim infinita est; ergo.

369. Dices: Ex s. Augustino (lib. *LXXXIII. Quaestionum*, q. XIV) Quod comprehendit se, finitum est sibi; atqui Deus nec sibi finitus dici potest, cum sit modis omnibus infinitus; ergo.

370. Resp. cum s. Thoma, loc. cit. *Dist. min.* Deus non potest dici finitus sibi hoc sensu, quod intelligat se aliquid finitum esse, *C.* eo sensu quod facultas intelligendi non adaequet objectum intelligentiae *N.* Finitus itaque Deus est sibi, quatenus ita cognoscit se ipsum, ut perveniat ad plenam cognitionem sui et nihil supersit ipsi cognoscendum.

PROPOSITIO II.

Deus cognoscit omnia possibilia

371. Etenim Deus, ut loquitur Apostolus, Rom. IV, 17, *vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt.* Quod si Deus tam vocat ea, quae non sunt, quam ea quae sunt, tam novit ea, quae non sunt, quam ea quae sunt; ea enim, quae non cognoscuntur, vocari non possunt. Sed si Deus, quae aliquando futura sunt, cognoscit ut possibilia, cognoscit cetera omnia, quae nunquam futura erunt, sed esse possent, si ipse vellet.

372. Quod confirmatur ratione cum s. Thoma, q. 14, art. 3. Deus semetipsum perfectissime comprehendit, ideo-

que et omnipotentiam suam ; ergo distincte attingit omnia , ad quae illa se extendit; non enim potest virtus aliqua perfecte cognosci , nisi distincte attingantur ea omnia , ad quae virtus illa extenditur; ergo Deus distincte per intellectionem suam attingit omnia possibilia. Nam divina omnipotentia se extendit ad omnia , quibus esse non repugnat. Ergo Deus cognoscit omnia possibilia , et quidem secundum esse proprium , quod haberent , si producerentur; alioquin ea distincte minime cognosceret (1). Praeterea ad scientiam infinite perfectam pertinet cognoscere quidquid cognoscibile est ; atqui possibilia sunt cognoscibilia; ergo.

PROPOSITIO III.

Deus distincte cognoscit omnia praeterita , praesentia et futura sive necessaria , sive contingentia et libera

373. Haec pariter propositio ad fidem spectat. Sic autem eam per partes ostendimus : Primo quidem quod attinet ad praeterita , nota sunt Dei verba , quibus exprobrat hebraeis praevaricationes , de quibus olim vindictam se sumpturum profitetur Deut. XXXII , 34 : *Nonne haec condita sunt apud me , et signata in thesauris meis* ? Si tamen respectu Dei aliquid dici potest sive praeteritum sive futurum et non potius praesens. Praeterea ge-

(1) Tum *Contra Gentes*, lib. I , cap. 50 , tum p. I. q. 19, art. 6, ad 2 , ubi docet omnia possibilia esse in Deo virtualiter , scribens : *Quidquid potest habere rationem entis et veri , totum est virtualiter in Deo.* S.Thomae praecesserat s. Augustinus, *De Civitate Dei* , lib. XI , cap. 10 , num. 5 , ubi de sapientia Dei haec habet : « In qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium , in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium , quae per ipsam factae sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit , quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest ; porro si sciens fecit omnia , ea utique fecit , quae noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum , sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset , nisi esset; Deo autem nisi notus esset , esse non posset » . Cons. etiam Petav. *De Deo* , lib. IV , cap. 2 , num. 4.

neratim de omnibus sub quacumque temporis differentia, atque utut abscondita sint, sic pronunciat Apostolus Hebr. IV, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus*; sic Psalm. CXXXVIII, 3: *Intellexisti cogitationes meas de longe... omnes vias meas praevidisti... cognovisti omnia, novissima et antiqua*; et Psalm. XXXII, 15: *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum*; nec non Sap. VIII, 8, de sapientia dicitur: *Scit praeterita, et de futuris aestimat... signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et saeculorum*; et alibi passim.

374. Haec vero omnia Deum distincte cognoscere ita evincit ratione ipsa s. Thomas, loc. cit. art. 5: Deus perfecte se suamque virtutem cognoscit; virtus autem non potest perfecte cognosci nisi cognoscantur omnia, ad quae se extendit; jam vero virtus divina se extendit ad omnia alia a Deo distincta, non solum quoad rationem communem entis, sed et quoad esse eorum formale, ut aiunt, et singulare usque ad ultimas differentias, cum sit plenitudo *essendi* et causa effectiva et exemplaris omnium et singulorum entium, et omnis differentiae et perfectionis eorum; ergo (1).

375. Quod demum speciatim attinet ad futura contingentia, seu actiones libere futuras, de quibus potissimum est controversia cum socinianis, praeter allata Scripturarum testimonia, quae per se rem plane conficiunt, addi

(1) Cons. etiam art. 6. Cfr. Petav. lib. IV, cap. 3, § 3, ubi affert plura patrum in hanc sententiam testimonia, inter quos Clemens Alex. lib. VI. *Stromatum* sub finem, ejusmodi Dei scientiam pulchra theatri similitudine illustrat, dicens: Καὶ ὅπερ ἐπὶ τῶν θεάτρων γίνεται, καὶ ἐπὶ τῶν ἑκάστου μερῶν κατὰ τὴν ἐνόρασίν τε, καὶ περιόρασιν, καὶ συνόρασιν, τοῦτο ἐπὶ τοῦ θεοῦ γίνεται· ἀθρόως τε γὰρ πάντα, καὶ ἕκαστον ἐν μέρει, μίᾳ προσβολῇ προσβλέπει. id est, « Et quod in theatris usuvenit et in partibus cujusque, inspiciendo, circumspiciendo et simul aspiciendo, hoc ipsum et in Deo evenit. Nam simul confertimque omnia, et particulatim singula applicatione una contemplatur ». Eadem similitudine utitur s. Petrus Damianus in Opusc. XXXVII, cap. 7, eamque perficit.

possunt verba quibus Susanna (Dan. XIII, 42) Deum deprecabatur : *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant*; nec non Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Innumerae insuper praedictiones, quae in utroque foedere leguntur, totidem sunt invictissima argumenta istius divinae praescientiae, adeo ut vere dixerit Tertullianus, *Contra Marcionem*, lib. II, cap. V : *Praescientiam Dei tantos habere testes, quantos fecit Prophetas*, et s. Augustinus *De Civitate Dei*, lib. V, cap. IX : *Confiteri esse Deum, et negare praescium futurorum apertissima insania est.* Hinc supervacaneum ducimus cetera patrum testimonia proferre, quae videri possunt apud Petavium, lib, IV, cap. VI.

376. His ratio pariter apertissime suffragatur ; si enim aliquid vel minimum futurorum Deus a tota aeternitate ignorasset, aliqua ejus scientiae fieret in tempore perfectionis accessio, cognosceret siquidem aliquid de novo, quod antea ignorabat ; atqui Deo nulla fieri potest accessio perfectionis, cum ipsius natura sit infinite perfecta ; ergo.

DIFFICULTATES

377. I. Obj. Adversus 1. et 2. Conclusionis partem. Nonnulli patres Deo denegare videntur ejusmodi distinctam rerum vilissimarum scientiam ; etenim 1. s. Hieronymus, in cap. 1. Habacuc, ait : *Absurdum esse ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur.* 2. S. Joannes Chrysost. *Homil.* XXXIV alias XXXV in Matth. n. 2, asserit Deum capillos humano more non numerare ; ergo.

378. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* et 3. Doctor loquitur de divina providentia et quidem comparative, *C.* loquitur de scientia Dei et absolute *N.* Contendit nempe Hieronymus, ut ex contextu colligitur, non eamdem specialem Deo subesse curam et providentiam de minutissimis, quas recenset, rebus, ac de hominibus, quos absque dubio speciali benevolentia ac cura prosequitur; subdit enim: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.*

379. Ad 2. Eadem esto distinctio. Eamdem esse sancti Joan. Chrysostomi mentem, ejus pariter ostendit contextus; siquidem post relata verba ait: *Quid vilius illis* (passeribus)? *Attamen nunquam ignorante Deo capiuntur* (1).

380. Inst. Saltem internos animi motus ac secretas cordium cogitationes videtur Deus ignorare; alioquin 1. nec tentasset Abraham, ut dicitur Gen. XXII, 1; et post experimentum de eo captum non subdidisset Deus, ibid. v. 12: *Nunc cognovi, quod times Deum.* Sic neque Gen. XVIII, 21 diceretur de Deo: *Descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.* 2. Quod a fortiori dicendum est de peccatis, deque iis, quae entia rationis vocantur, quorum Deus esse non potest neque causa effectrix neque exemplaris; ergo.

381. Resp. ad 1. *N. A.* Ad allatas autem probationes ex Scriptura *D.* Nostro cogitandi ac loquendi modo, cui Deus passim se accommodat, *C.* in se *N.* Voluit scilicet Deus in primo textu omnibus patefacere fidem et obedientiam Abrahae; in altero autem horrorem peccatorum, quibus se sodomitae inquinabant, justamque de

(1) Τί γὰρ εὐτελέστερον ἐκείνων; φησίν· ἀλλ' ὅμως οὐδὲ ἐκεῖνα ἀλώσεται ἀγνόουντος τοῦ Θεοῦ.

ipsis vindictam. Si enim cortici litterae insistere vellemus, non solum cogitationes hominum Deum laterent, sed opera ipsa, quod nec adversarii contendunt.

382. Ad 2. *D.* Si Deus peccata et entia rationis cognosceret in se ipsis, *Tr.* si in bono opposito, cujus privationes sunt peccata, vel in eorum causis, ut entia rationis *N.* Peccata enim, prout peccata sunt, non dicunt nisi privationem seu negationem debitae rectitudinis, qua receditur a regula, ut suo loco exponunt theologi; hinc Deus eorum malitiam videt in bono opposito; entia autem rationis videt in eorum causa immediata, nempe in ratione nostra, cujus ipse auctor est, quaeque ejusmodi sibi cudit cogitationes aut fictiones.

383. II. Obj. Adversus tertiam propositionis partem: Scriptura passim exhibet Deum futura libera nonnisi conjecturaliter ac dubie praenunciantem prout evincunt particulae illae dubitativae *forte*, *forsitan*, etc. Sic Jerem. XXVI, 2 et 3: *Noli subtrahere verbum, si forte audiant et convertantur*; et, aliis omissis, Christus (Joan. IV, 10) sic Samaritanam mulierem alloquitur: *Si scires donum Dei... tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam*; et (cap. V, 46): *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi*; ergo.

384. Resp. *D. A.* Humana loquendi ratione utens atque ad contingentem ac liberam rei enunciatae naturam exprimendam, *C.* ad significandam incertam rei enunciatae cognitionem *N.* Sic patres eas locutiones exponunt, ut Hieronymus in caput XXVI Jeremiae, et Augustinus *Enarr. in Ps.* II. Alioquin Deus nihil omnino ejusmodi ut certum praenunciasset, quod est contra factum.

385. III. Obj. Non pauca ut futura praenunciata sunt in sacris litteris, quae tamen non evenerunt; exemplo sint mors Ezechiae denunciata illis verbis: *Dispone domui tuae, quia morieris* (Is. XXXVIII. 1.); subversio

Ninives post quadraginta dies (Jon. III, 4), aliaque hujus generis; ergo.

386. Resp. *D. A.* Praenunciata sunt ut futura sub aliqua conditione sive expressa sive tacita, *C.* ut futura absolute *N.* Quod patet ex ipsis adductis exemplis. Certo enim Ezechias vi morbi extinctus esset, et Ninive subversa, nisi ille lacrymis suis impetrasset sanitatem, et ista egisset poenitentiam.

387. IV. Obj. 1. Nonnulli patres apud Petavium, lib. VI, *de Deo* cap. VI, negarunt in Deo praescientiam futurorum, ut Augustinus, Gregorius M., aliique, quibus Boëtius assentitur; quin 2. et ipse s. Thomas p. 1, q. 14, art. 13, docet: *Contingens consideratum ut futurum, et nondum determinatum ad unum a propria causa, non subdi per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem*; ergo.

388. Resp. ad 1. *D.* Negarunt in Deo praescientiam quoad nomen et respectu modi cognitionis divinae, *C.* quoad rem et respectu objecti cogniti *N.* Ex eo enim quod Deo omnia praesentia sint, ejusque cognitio uno ac simplicissimo intuitu in omnia objecta feratur, prout in se sunt cum suis differentiis, intulerunt proprie in Deo ejusmodi cognitionem *scientiam*, non autem *praescientiam*, esse vocandam. Sic enim inter ceteros loquitur s. Augustinus, lib. II. *Ad Simplic.* q. 2: *Quid est praescientia, nisi scientia futurorum? Quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? Si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futurae, sed praesentes; ac per hoc non jam praescientia, sed tantum scientia dici potest.*

389. Ad 2. *D.* Non subdi per certitudinem alicui cognitioni *creatae*, *C. divinae*, cui omnia contingentia in aeternitate praesentia sunt, *non solum* prout sunt *in cau-*

sis suis, ut ipse loquitur, *et successive*, sed etiam prout sunt *actu in seipsis simul N.* Talem esse mentem s. Doctoris contextus ostendit.

390. V. Obj. Futura contingentia possunt non evenire, ideoque nulla eorum est determinata veritas ; sed quod non habet determinatam veritatem, non potest cognosci ; ergo.

391. Resp. *Dist. maj.* Possunt non evenire absolute et antecedenter ad eorum praevisionem, *C.* hypothetice et consequenter ad eorum praevisionem *N.* Fuissent enim et non fuissent praevisa, quod implicat. Sic *Dist. min.* Quod non habet determinatam veritatem, non potest cognosci pro eo tempore, quo nondum determinatum est, *Tr.* pro eo tempore, quo determinatum est, *N.* Nulla autem determinata veritas pro eo tempore, quo determinata est, divinum intellectum fugere potest, qui totam complectitur aeternitatem, proindeque et omne tempus (1).

392. VI. Obj. Posita praescientia Dei, actum est de humana libertate ; nam quod Deus praescivit, id omnino eventurum est, cum falli non possit ipsius prescientia ; ergo.

393. Resp. *N. A.* Ad prob. *D.* Quod Deus praescivit, id omnino eventurum est vel necessario vel libere pro natura rei praevisae, *C.* secus *N.* Praescientia enim Dei attingit res, ut sunt in sua natura. Res autem, quae a libera voluntate pendent, natura sua sunt contingentes ; eas igitur ut contingentes attingit divina scientia. Apposite s. Augustinus *De libero arbitrio*, lib, III, cap, IV :

(1) Cons. Bellarm. *De gratia et libero arbitrio*, lib. IV, cap. 15, § 19 et seqq. ubi fatetur difficile esse determinare rationem, qua Deus futura praenoscat, imo et in hac vita fortasse incomprehensibile ; et adducta auctoritate ex s. Augustino, *Confession.* lib. XI, cap. 18, probabile censet Deum futuras actiones liberas non videre nisi in humana voluntate : « Id enim significat, *inquit*, in primis Scriptura, cum dicit Deum scrutari renes et corda, Deum investigare omnes semitas nostras. Nam si videret eas in sua voluntate determinante omnia, non diceretur scrutari corda nostra, et investigare semitas, sed intueri voluntatem suam ».

Sicut tu, inquit, *memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt, sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt*; animadvertit praeterea idem s. Doctor *praeteriti, praesentis et futuri* differentias penes creaturas esse, non penes Deum, cui totum praesens est in actu: *Apud quem* (Deum) inquit *De Trinitate* lib. V, cap. 16, *nec praeterita transierunt, et futura jam facta sunt*; igitur concludit, *In Genes. ad lit.* lib. V, cap. 18: *Antequam res fierent, et erant et non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sua natura* (1). At erant in Dei scientia, ut futura erant in sua natura; humana autem nostra futura erant in sua natura libera; ea igitur ut libera praenovit, nec praescientia sua Deus necessitatem iis intulit, perinde ac si nunquam ab eo praevisa fuissent.

394. Atque huc refertur vulgata apud patres doctrina, quod non ideo res futuræ sunt, quia Deus eas praescivit, quasi ipsius praescientia sit ratio et causa liberorum futurorum, sed ideo Deus praescivit, quia futurae sunt; ergo Dei praescientia ex doctrina patrum res libere futuras supponit, non facit. Ita Auctor *Quaestion. ad orthodoxos* inter opera Justini, Origenes, Eusebius, Theodoretus, Joan. Chrysostomus, Joan. Damascenus, Hieronymus, Augustinus apud Tournely, *De Deo*, q. 18, art. 4, concl. unica, quibus addi potest s. Anselmus, qui in lib. *Concordiae praescientiae Dei cum libertate: Non enim*, inquit, *nisi quod futurum est praescitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico: quia si praescivit aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam: si erit, ex necessitate erit;* atque postea, exponens cujusmodi sit ista necessitas, subdit: *Non enim aliud significat hic necessitas, nisi quia quod*

(1) Ex quibus verbis patet non aliam s. Doctorem rerum praesentiam in aeternitate agnovisse praeter eam, quam scholastici vocant *objectivam*, non autem eam, quam dicunt *realem et formalem*, et apertissime id docet s. Augustinus toto hoc capite, et alibi passim.

erit, *non poterit simul non esse*, nempe intelligit necessitatem *consequentem*. Quamobrem juxta hanc doctrinam sic pariter ad propositum argumentum responderi potest: Quod praevisum est non potest non esse: *D. Necessitate consequenti*, nempe ad praevisionem, seu praescientiam, *C. necessitate antecedenti*, scilicet ad praescientiam aut praevisionem *N.*

395. Dices primo: Interdum patres docent res ideo futuras esse, quia praesciuntur a Deo, non autem ideo praesciri, quia futurae sunt, ut s. Augustinus et s. Gregorius M. locis in propositione II allatis: ergo.

396. Resp. *D. A.* In iis, quae a Deo tanquam causa immediata pendent, quatenus Deus, ut iidem patres loquuntur, nihil ignorans fecit, *C.* in iis, quae a voluntate libera tanquam causa proxima et immediata efficiuntur *N.* Itaque citati patres in adductis locis loquuntur de iis, quae a Deo produci debent, cui res producenti scientia necessario praelucere debet, cum ipsius sit ordinare res ac disponere, et divinam voluntatem et efficientiam quodammodo gubernare, ut inquit Petavius (1), quemadmodum architectandi usum et operis institutionem ars illa, quae est in artificis mente, moderatur ac dirigit, quae a scholasticis vocatur scientia *simplicis intelligentiae*, quatenus res absolute, ac prout in se sunt, neque ut certo exstantes tempore cognoscit, ut discernatur ab illa scientia, quae nostro concipiendi modo posterior est, ac res easdem jam voluntate divina designatas et constitutas, et in aliqua temporis parte producendas, quasi existentes ac praesentes intuetur, quaeque *scientia visionis* ab iisdem scholasticis appellari consuevit. Quare cum patres affirmant res ideo futuras esse, quia Deus eas praescivit, intelligendi sunt de scientia *simplicis intelligentiae*; cum vero docent ideo Deum res futuras praescire,

(1) Lib. IV, cap. 7, num. 10 et seq., ubi Boëtii dictum explanat.

ia futurae sunt, intelligi debent de *scientia visionis*; o postremo sensu s. Augustinus, tum alibi passim, n praesertim tractatu LIII. in Joan. sic loquitur: *Si* n *malum*, *sed bonum facere voluissent* (judaei), n *prohiberentur*, *et hoc facturi praeviderentur ab*, *qui novit quid sit quisque facturus*; sic alibi, ut limus, utitur s. Doctor comparatione memoriae et praeentiae humanae ad exponendam praescientiam divim, quae nullam inferat necessitatem rebus praecoitis, prout nec memoria nec praescientia nostra sunt sa eorum, quae reminiscimur vel praevidemus, ac lto minus iis inferunt necessitatem (1).

397. II. Dices 1. Ergo libera nostra futura sunt causa entiae divinae 2. ac datur in Deo scientia contingens a scilicet carere posset.

398. Resp. ad 1. *D.* Improprie, quatenus futurae res n sua cognoscibilitate tanquam objecto definiunt ac deminant notitiam Dei, *C.* proprie quasi reipsa essent sa scientiae divinae, atque, ut ajunt, subjective *N.* temus igitur futura libera dici possunt causa scientiae vinae, nempe *visionis*, quatenus Deus aliter praevire non potest, nisi prout sunt futura, cognitio enim vera sit, debet esse consentanea ipsis rebus cognitis; oniam, ut ait s. Augustinus, *si non contigisset* id od contingit, *nullo modo id* Deus *praescisset futurum*, ia *non erat futurum*. Unde necesse est logice seu ratio, ut ajunt, prius rem cogitari futuram, quam futura evideatur (2).

(1) Concinunt s. Augustino reliqui res, apud Petavium, lib. IV, cap. quorum sententia est, nullam idco vim rebus inferre Dei praescienm, quod futura tanquam praesen contempletur; idem hominis exem declarant, qui alterum ex alprospicit in lubrico labentem, cu quidem lapsus causa in eo non est, od gradientem illum intuetur, *Non enim*, inter ceteros scribit s. Hieronymus in cap. XXVI. Jerem., *ex eo*, *quod Deus scit futurum aliquid*, *idcirco futurum est*; *sed quia futurum est*, *Deus novit*, *quasi praescius futurorum*. Hinc pariter receptum est ut passim, non praescientia, sed absolute scientia dicatur, prout superius notavimus.

(2) « Neque enim (verba sunt s. Au-

399. Ad 2. *D.* Contingentia objectiva seu ex parte rei praevisae, *C.* subjectiva seu, ex parte Dei ipsius *N.* Distinctio patet ex dictis; ex eo enim quod objectum aliquod adesse possit vel abesse a lumine, quod illud irradiat, non sequitur lumen ipsum per se non irradiare objecta, quae illud circumstant.

400. VII. Obj. Illud praenosci a Deo non potest, quod nullo modo determinatum est, neque in se, neque in suis causis; atqui talia sunt libera futura, quae neque sunt determinata in se, cum nondum existant, neque in suis causis, quae indifferentes sunt ad quodlibet; ergo.

401. Resp. *Dist. maj.* Quod nullo modo determinatum est, neque antecedenter neque consequenter, a Deo praenosci non potest, *C.* quod saltem consequenter determinatum est *N.* In hypothesi scilicet quod res futurae sint, eo ipso quod futurae sint, Deus eas videre debet, consequenter nempe ad liberam determinationem, quia omnia, quae in tempore fiunt, Deo praesentia sunt in aeternitate, ut dictum est; cum igitur verum sit hominem se determinaturum ad talem vel talem actionem, hoc ipso divinae notitiae subest. Quare licet objecta propositionum seu enunciationum de futuris contingentibus in causis suis non sint determinata, utpote nondum existentia et a causa libera dependentia, ac possint esse vel non esse, prout tamen ad Deum referuntur, necesse est illa esse, seu in Dei scientia vera sunt, siquidem sunt futura. Haec autem placet confirmare auctoritate s. Augustini, qui in lib. XXVI *Contra Faustum Manich.* cap. V, tum de praeteritis tum de futuris eorumque veritate sic scribit: *Non ergo est, quod vere dicimus fuisse;*

gustini) ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praescivit; imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit». *De Civitate Dei*, lib. v, cap. 10; et alibi passim.

sed ideo verum est illud fuisse, quod in nostra sententia verum est, non in ea re, quae jam non est. Sententia quippe, qua dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quod si quaeras, ubi sit haec vera sententia, prius invenitur in animo nostro, cum id verum scimus, et dicitur. Sed si et de animo nostro ablata fuerit, cum id, quod scimus obliti fuerimus, manet in ipsa veritate. Semper enim verum erit jam fuisse, quod, ubi verum erat, antequam fieret, futurum esse, quod non erat (1).

PROPOSITIO IV.

Deus certo et infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata

402. Ad pleniorem propositionis perspicuitatem juvat praemonere 1. ea dici conditionata futura, quae licet reipsa futura non sint, futura tamen essent, si aliqua poneretur conditio, a qua pendent; haec autem medium veluti locum tenent inter mere possibilia et absolute futura. Talis erat conversio tyriorum et sidoniorum, si Chri-

(1) Cfr. s. Th. p. 1, q. 14, art. 13. ad 2, ubi rejectis aliis responsionibus concludit: « Et ideo dicendum est, quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animae, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Ut puta, si dicam, si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in seipso. Et similiter si dicam, si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens est intelligendum prout subest divinae scientiae, scilicet prout est in sua praesentialitate. Et sic necessarium est sicut et antecedens; quia omne quod est, dum est, necesse est esse »; seu necessitate consequenti et hypothetica seu, ut dicitur, suppositionis, quia implicat aliquid fuisse praevisum ut certo futurum et futurum non esse, etsi in se futurum sit contingenter et libere. Quum vero, ut expositum est, logice seu ratione aliquid prius concipiatur esse quam videri, hinc ex unoquoque, hoc sensu, pendet ut actionem suam Deus ab aeterno viderit ut bonam vel ut malam.

stus talia apud eos patravisset portenta, qualia apud corozaïtas patravit ac bethzaïditas. Haec enim conversio non erat mere possibilis, nec absolute futura, cum conditio, ex qua illa conversio pendebat, non esset implenda; ergo futura erat sub conditione.

403. 2. Licet ab aliquibus theologis olim negata fuerit haec praescientia divina futurorum conditionatorum, hodie vix ullam de ea controversiam esse. Catholici enim theologi, inquit doctissimus Card. Gotti, Ordinis Praedicatorum, uno vel altero excepto qui vult praefata conditionata solum conjecturaliter a Deo cognosci, asserunt ea a Deo certo et infallibiliter cognosci (1). Et sane vix salva fide negari id posse videtur. Tota itaque controversia, quae catholicas aliquando scholas divisit, versatur seu, ut verius dicam, versabatur circa modum eam exponendi, et circa medium in quo Deus ista futura conditionata videt.

404. 3. Hanc scientiam in Deo propugnamus ut omnino certam atque infallibilem adversus eos, qui nonnisi conjecturalem ejusmodi futurorum conditionatorum notitiam in Deo esse affirmare ausi sunt.

405. His positis cum laudato Gotti enunciatam propositionem ita probamus. 1. In Scripturis Deus plura revelavit sub conditione futura, quae tamen facta non sunt, quia illa defuit conditio; ergo Deus ea certo cognovit. Nisi enim certo cognovisset talia sub conditione futura, ejus infinita veritas in cognoscendo et veracitas in praenunciando detrimentum passae fuissent.

406. Jam vero antecedens, omissis innumeris aliis Scripturae locis evincitur 1. ex I Reg. XXIII, 11 et seqq., ubi David consuluit Dominum, an, si mansisset Ceilae, Saul ad eam expugnandam descensurus esset? et respondit

(1) Tom. III, in p. 1, q. 6, dub. 1, § 1, n. 5, et rursum ibid. dub. III, § 2, loquens de hac conditionatorum scientia dicit; « De hac non controvertimus, sed omnes (thomistae) concorditer statuimus, eam dari in Deo, et quidem certam, non pure conjecturalem ».

inus : *Descendet.* Interrogavit iterum num descen-
Saule viri ceilitae traditurine eum essent in manus
s, responditque Dominus : *Tradent.* Ibi non agitur
mere possibili, nec de absolute futura ; sed tantum
quod evenisset posita conditione (1). 2. Id ipsum patet
I Reg. XI, 2, ubi repetit Deus praeceptum, quod
dederat Exodi XXXIV, 16 de non jungendis con-
s cum alienigenis, quia *certissime avertent corda*
a, ut sequamini deos earum ; quae quidem prae-
veritatem sortita est in Salomone aliisque, in qui-
dimpleta fuit conditio, non autem respectu eorum,
bere hanc conditionem non posuerunt, seu in qui-
erificata non fuit conditio. 3. Id pariter constat ex
lap. IV, 11, ubi de justo immature ex hac vita
pto dicitur : *Raptus est, ne malitia mutaret in-*
tum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.
igitur noverat Deus justum illum fore in malum mu-
m ac illecebris irretiendum, si diutius vixisset ; alio-
nconsulto praematura morte ipsum e vivis rapuisset.
nique ostenditur ex celebri illo Christi dicto (Matth.

lem defuit, qui observaret in
asi chaldaica sic David in-
re Dominum : « Cogitant me
viri ceilitae ? Respondit au-
minus : cogitant tradere. Co-
scendere Saul ? Et dixit De-
pitat descendere ». Et glos-
linariam dicere : *in voluntat*
ut tradant. Ita quidem ob-
hic auctor ad tollendum hoc
ium de liberorum conditio-
rorum praescientia in Deo.
ed debuisset pariter observa-
aicam veritatem habere futu-
הֲיַסְגִּירוּ בַעֲלֵי קְעִילָה
Numquid tradent domini Cei-
Et dixit Dominus יַסְגִּירוּ
; *sic versionem* LXX : Εἰ
θήσεται ; Numquid conclude-
i νῦν εἰ καταβήσεται Σαουλ ;
et nunc numquid descendet Saul ? et
dixit Dominus : καταβήσεται, de-
scendet ; *tum versionem syriacam* :
ܗܠܐ ܢܦܩܘܢ ܒܝܕܟ ܐܢܫܐ ...
ܐܡܪ ܡܪܝܐ . ܢܦܩܘܢ ܠܟ .
« Proditurine sunt me cives urbis ? ..
Dixit Dominus : prodituri sunt te » ; *et*
arabicam : ويدفعوني واصحابي
اهل القرية الى شاول . قال
الرب . نعم هم يدفعوك .
« Tradentne me et socios meos cives
urbis Sauli ? Dixit Dominus : ita,
ipsi te traditi sunt ».

XI, 21; Luc. X, 13) quo exprobrans corozaïtis et bethzaïditis cordis duritiem: *Vae tibi*, inquit, *Corozaïn, vae tibi Bethzaïda, quia, si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* Quibus verbis Christus tyriorum et sidoniorum poenitentiam praedicit, si quidem apud illos praedicasset, ac signa fecisset, qualia in Galilaea fecit; illam ergo Christus sub tali conditione, quae tamen adimpleta non est, futuram cognovit; alioquin neque tam acriter corozaïtas atque bethzaïditas objurgasset, nec tam certo et asseveranter tyriorum et sidoniorum poenitentiam prae illis futuram affirmasset; ergo.

407. 2. Patres tum graeci tum latini unanimes in hac Dei cognitione adstruenda sunt, indidem enim argumenta deprompserunt sive ad vindicandam divinam providentiam in infortuniis, quibus passim premuntur justi; sive ad parentes solandos de immatura filiorum morte, aliaque id genus multa, ut videre est apud Petavium (1). Nos brevitatis gratia non nisi unum vel alterum testimonium promemus ex s. Augustino ac s. Prospero ad rem conficiendam. Primus igitur, *De Correptione et Gratia* cap. VIII, non solum eam adstruit, sed praeterea nonnisi insanissime negari eam posse affirmat; sic enim loquitur: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de hujus vitae periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit? an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime et insanissime dicitur*; et alibi saepe. Alter vero *Resp.* VIII *ad excerpta Genuensium*, ait: *De Tyriis vero et Sidoniis quid aliud possumus dicere, quam non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa veritas*

(1) Lib. IV, c. 8, n. 19.

dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent. Si itaque sub conditione fuisse credituros veritas dixit, et verissime dixit, sentit igitur s. Prosper Deum certo praescivisse eos sub talibus signis credituros. Atque ut pateat hos patres non obiter tantum ea dixisse, observandum est eos tali Dei praescientia uti tanquam argumento validissimo ad adstruendam adversus pelagianos ac semipelagianos gratuitam gratiae naturam ac distributionem.

408. 3. Demum ejusmodi Deo inesse scientiam infallibilem futurorum sub conditione, ratio ipsa suadet. Haec enim scientia summa perfectio est, quam melius est habere, ut scholae loquuntur; ergo Deo necessario inesse debet, cum nulla simplici perfectione carere possit. Adeo vero insitum est christianorum omnium mentibus Deum ejusmodi conditionata praenoscere, ut in vulgari quotidie sermone sit positum: Deus ita fecit, quia praevidit id in bonum cessurum huic, cui talia permisit, seu de quo ita disposuit, et hinc uberem capiunt consolationem; quare tot dici possunt hujus scientiae divinae testes quot christiani, imo pene dixerim, quot homines sunt, qui Deum esse non negant.

DIFFICULTATES

409. I. Obj. 1. Quae in Scriptura sub conditione praenunciata dicuntur nonnisi improprie seu metaphorice sunt intelligenda, cum conditio praeseferat suspensionem atque haesitationem, quae in Deo admitti non potest. 2. Quod si quis contendat proprie illa esse admittenda, nihil vetat quominus de scientia conjecturali ea accipiamus, prout innuunt particulae *forte*, *forsitan*, etc. quibus ejusmodi futura praenunciantur; ut cum de Adam (Gen. III, 22) Deus ait: *Ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vitae*; et Christus (Matth. XI, 23): *Si in So-*

domis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem; quo pariter referri possunt, quae Exodi IV, 8 et seq. leguntur: *Si non crediderint tibi*, inquit Deus Mosi, *neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis, quod si nec duobus quidem his signis crediderint ... sume aquam fluminis*, etc. Quae quidem apertissime ostendunt Deum certa scientia nescivisse, utrum hebraei crediturí essent nec ne primo aut secundo aut tertio signo; ergo.

410. Resp. ad 1. *Neg.* Ad prob. *D.* Conditio praeferert suspensionem ex parte objecti, *C.* ex parte divinae scientiae, quae unico intuitu omnia attingit *N.* Responsio patet ex dictis in superiori propositione.

411. Ad 2. *N.* Si quid enim evincerent particulae dubitativae *forte*, *forsitan*; etc., deberet pariter negari cum socinianis, qui eadem oppouunt, scientia certa futurorum liberorum, humano proinde loquendi usui in his, aliisque similibus Deus se se accommodasse dicendus est, ut superius vidimus, cum adversus socinianos disputaremus. Humana sane loquendi ratione Deum usum esse elucet ex ipso Exodi cap. IV, nobis objecto, ubi versu 2. Deus Mosen interrogat: *Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: virga.* Quis porro sanus ac prudens dicat Deum nescivisse, quid Moses manu teneret? Sane s. Th. 2. 2, q. 171, art. 6, ad 2. haec aliaque ejusmodi testimonia explicat de revelatione secundum esse, quod res habent in causis suis, non autem secundum scientiam, quam Deus de iis habet (1).

(1) En ejus verba: « Divina praescientia respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in se ipsis, in quantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur, et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad unum, tamen, prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quamvis ista duplex cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica ».

412. II. Obj. Ejusmodi praescientia rerum sub conditione futurarum prorsus rejicitur a ss. Augustino, Fulgentio et Prospero disceptantibus adversus pelagianos ac semipelagianos. Etenim s. Augustinus, *De anima* lib. I, cap. XII: *Ipsa*, inquit, *exinanitur omnino praescientia, si quod praescitur, non erit. Quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum?* Et, lib. *De praedestinatione Sanctorum*, cap. XIV, exponens illud: *Raptus est*, etc.: *Dictum est*, inquit, *secundum pericula hujus vitae; non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Quo sensu s. Fulgentius, *De vera praedestinatione*, lib. I, cap. VII: *Absurde dicitur*, scribit, *Deum praescisse parvuli futura peccata, quae futura non erant. Neque enim Dominus rerum omnium conditor facienda praescisset, quae facienda non essent.* Denique s. Prosper in Epist. *ad August.* n. 5, loquens de semipelagianis, ait: *In tantum quibuscumque commentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia praeterita non extant, futura, quae non sint futura, confingant, novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda praescita sint et praescita non acta sint*; ergo.

413. Resp. *D. A.* Rejicitur ut norma gratiae et praedestinationis aut reprobationis, ut contendebant pelagiani ac semipelagiani, *C.* rejicitur in se *N.* Hi enim ad dandam rationem, cur ex infantibus potissimum alii raperentur ante baptismum, alii ad baptismum pervenirent et eo accepto morerentur, confugiebant ad praevisa futura naturalia illorum merita, si diutius vixissent. Si autem sermo esset de adultis, quorum alii vocati erant, alii vero non, reponebant pariter ita Deum se se gessis-

se erga illos, quos non vocavit, ex praevisa eorum infidelitate ac demeritis; imo adeo progressi sunt, ut affirmarent Deum ex ejusmodi praevisione meritorum aut demeritorum decrevisse vel praemia vel poenas. Quae quidem omnia, utpote falsa et absurda, laudati patres rejiciebant, atque tanquam commentitiam traducebant normam hujus discretionis desumptam ex divina praescientia illorum sive meritorum sive demeritorum, quae nunquam futura essent, quaeque proinde nec a Deo praevideri poterant, cum non implenda esset conditio, ac multo minus ex iis Deus decernere praemia vel poenas potuisset. Praescindendo autem ab ejusmodi abusu, scientiam sub conditione futurorum in se spectatam et agnovisse citatos patres et admisisse evidenter patet ex perpetuo usu, quem ipsi faciunt hujus praescientiae ad constabiliendam gratuitam gratiae et vocationis divinam largitionem adversus eosdem haereticos, ut superius notavimus: atque hac ratione componi facile possunt, quae hi patres, in specie contraria, dicere de hac praescientia visi sunt.

414. Inst. Saltem s. Thomas huic praescientiae contrarius est. Docet enim 1. rem contingentem non posse certo cognosci, nisi prout est actu in seipsa, et *sic consideratur*, inquit, *ut praesens*. Porro 2. futurum sub conditione non est actu in seipso, cum pendeat a conditione, nequit igitur a Deo cognosci. Docet praeterea s. Thomas futurum contingens videri a Deo, quia est divinae aeternitati praesens; atqui futurum sub conditione non est aeternitati praesens; ergo.

415. Resp. *N. A.* Ad 1. *D. M.* Res contingens non potest cognosci nisi prout est actu in se ipsa sive absolute sive conditionate, *C.* absolute tantum *N.* Sic *Dist. min.* Res contingens sub conditione futura non est actu in se ipsa absolute, *C.* sub conditione *N.* Existeret enim, si poneretur conditio ac proinde a Deo cognosci debet, quem nihil veri latet.

416. Ad 2. *D.* Futurum sub conditione non est divinae aeternitati praesens ut absolute futurum, *C.* ut futurum sub conditione *N.* Divinae enim aeternitati aliquid subest prout est, nempe sive absolute sive sub conditione.

417. III. Obj. 1. Scientia futurorum sub conditione nullam habet veritatem objectivam; futura enim istiusmodi pendent a conditione, quae non erit. Imo 2. nec habent ullam determinatam veritatem vel falsitatem; nam veritas futurorum sub conditione consistit in illatione quae a conditione pendet, quaeque nullum habet necessarium ac infallibilem nexum cum eventu; supposita siquidem quacumque conditione potest semper actio libera poni vel non poni; ergo vel non datur in Deo talis scientia, vel si datur conjecturalis est, eo magis quod Deus non possit dignoscere futura, nisi in suis decretis, quae in futuris conditionatis nulla sunt; ergo.

418. Resp. ad 1. *D.* in se, *Tr.* prout subsunt scientiae Dei *N.* Non enim vera sunt, prout sunt futura contingentia libera, quae, ut diximus cum Petavio, eo ipso quod natura sua possint esse et non esse, non possunt dici nec vera nec falsa; at, prout referuntur ad Dei scientiam, vera sunt. Id ipsum dic de conditionatis (1), quae posita conditione certo essent, si Deus ea certo fore praenovit.

419. Ad 2. Eadem esto distinctio, eadem enim est ratio. Hinc *neg. cons.* Ad Confirmat. autem: *eo magis*, etc. *D.* Quae subsunt *scientiae visionis*, *Tr.* quae subsunt scientiae simplicis intelligentiae, cujusmodi ex Petavio sunt futura sub conditione *N.* Dei enim decreta respiciunt ea solum, quae Deus immediate vel per causas necessarias facere statuit ex iis, quae ipsi per scientiam, ut dicitur, simplicis intelligentiae objiciuntur, velut ars, quae mentem artificis dirigit, ut ea amplectatur vel reji-

(1) Cfr. Petav. lib. IV, cap. 7, § 11.

ciat, prout ad opus, quod intendit moliri conferunt vel obsunt, juxta praestitutum sibi finem, ut supra animadversum est (1).

ARTICULUS III.

De medio scientiae divinae

420. Medium scientiae vocant philosophi ac theologi causam cognitionis; seu illud quod prius cognitum ducit in alterius cognitionem; inde prodierunt voces cognitionis *immediatae* vel *mediatae*. Ita speculum est medium, per quod imaginem nostram conspicimus, et in philosophicis prima principia seu axiomata sunt media, quibus devenitur in conclusionis notitiam.

421. Deus autem ex dictis videt se et alia a se distincta. Ea autem quae extra Deum sunt, vel possibilia dicuntur, vel existentia cum suis differentiis praeteriti, praesentis aut futuri; haec rursum vel sunt necessaria vel libera, denique futura talia sunt vel absolute vel sub aliqua conditione tantum.

422. Itaque circa rationem, qua Deus diversa haec intuetur, alia penes omnes aut fere omnes certa sunt atque explorata, alia vero magnam dissensionum segetem ac disputationum praebuerunt, ita ut ingentia hinc inde volumina prodierint. Nos igitur principiis nostris insisten-

(1) Hae sunt praecipuae difficultates quas urget Typhanius, anonymus passim nuncupatus; ad reliquas autem quod attinet minoris momenti desumptas ex imperfectionibus, quas juxta ipsum includit ejusmodi scientia, tum ex eo quod particula *si* nota sit compositionis, conditionis nempe cum conditionato, tum etiam ex eo quod discursum, ut ipse loquitur, involvat, tum etiam quod dicat suspensionem, haesitationem, otiositatem, etc. non vacat eas diutius expendere, quic haec in nobis quidem locum habere possunt, non autem in Deo; nam, ut loquitur s. Thomas, p. I, q. 14. art. 14, ad 3, « esset scientia Dei variabilis, si enunciabilia cognosceret per modum enunciabilium componendo et dividendo, sicut accidit in intellectu nostro »; quod in Deo esse non potest. Cons. Card. Gotti, loc. cit.

tes de nulla miscenda domestica concertatione, qua fieri poterit brevitate incerta ab incertis secernemus; deinde ne theologiae candidati hospites omnino sint in his controversiis quae olim catholicas scholas agitabant, historica ratione diversas opiniones exponemus, liberum unicuique permittentes arbitrium eam sectandi, quae magis arriserit, eamque adhibendi contra incredulos aut heterodoxos, prout nos quoque praestitimus, et praestabimus etiam deinceps, quae ad eorum difficultates disjiciendas expeditior et opportunior visa fuerit, praesertim quum validius quisque iis armis pugnet, quibus assuevit.

423. 1. Igitur illud certum apud omnes est, Deum absque ullo medio seipsum cognoscere seu essentiam suam; cum in Deo, utpote ente a se, nihil prius essentia sua sit vel concipi possit, quod habeatur veluti causa vel medium cognitionis essentiae divinae.

424. 2. Illud pariter pro certo habetur, Deum juxta nostrum cogitandi modum in essentia sua veluti in medio sua attributa cognoscere, quia essentia divina a nobis concipitur tanquam radix, a qua ejus attributa dimanant.

425. 3. Certum est Deum alia a se in seipso tanquam in objecto, ratione prius cognito, cognoscere, tum nempe quae possibilia tantum sunt, tum existentia pro ea temporis ac status differentia pro qua existunt, scilicet ut futura pro eo tempore, quo nondum sunt, ut praeterita, pro eo tempore, quo amplius non sunt; et hoc quidem de illorum existentium classe, quae vel immediate producuntur a Deo vel a causis secundis necessario seu naturaliter agentibus. Haec autem a Deo in se ipso, seu in propria essentia, tanquam in medio ratione prius cognito, sub triplici respectu cognosci possunt, ac 1. quidem ut rerum omnium sive possibilium sive existentium causa productiva; 2. ut illarum causa exemplari, seu idea objectiva omnium quae sunt vel esse possunt; 3. ut in se

continente secundum modum quemdam excellentem omnes et singulas perfectiones omnium creaturarum. Vid. s. Thomas, *Contra gentes*, lib. I, cap. XLIX, nec non p. 1. q. 14, art. 3 et 6.

426. Et haec quidem certa ac rata penes omnes aut fere omnes sunt. Sed illico oritur controversia, num Deus possibilia in se praecise videat tanquam in causa aut tanquam in speculo ea omnia repraesentante, prout expositum est circa diversas rationes, quibus Deus ea, quae sunt a se distincta, videre potest. Thomistae contendunt omnia possibilia Deum cognoscere in se ut in causa; Vasquez cum aliis arbitratur Deum ea videre in Verbo ut in speculo. Quoad existentia vero cum suis respectivis differentiis (1), rursum thomistae censent ea a Deo videri in essentia sua ut eorum causa effectrice et in decretis; alii veluti in causa exemplari et supereminenti; plures vero contendunt Deum ista cognoscere, non solum in se ipso

(1) Cons. Petav. lib. IV, cap. II, num. 10 et seqq. ubi ostendit patres in ea esse sententia, ut omnium rerum efficiendarum rationes et exemplaria in Deo a tota aeternitate fuerint, adeo ut jam illa quodammodo in sua aeternitate condiderit. « Quidquid enim, *inquit Augustinus*, facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat; nec esset in rebus, nisi esset in Verbo; quomodo et in te non esset in fabrica, nisi esset in consilio. Sicut in Evangelio dicitur: quod factum est in ipso vita erat. Erat ergo quod factum est; sed in Verbo erat; et omnia opera Dei ibi erant, et opera nondum erant » (*Enarr.* in Ps. XLV, n. 5). Clarius adhuc alibi idem s. Doctor id ipsum docet: « Faber, *inquit*, facit arcam. Primo in arte habet arcam; si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit, quae videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit... attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proferantur. Sic ergo, fratres carissimi, quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quae fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides, est in arte terra; coelum vides, est in arte coelum; solem et lunam vides, sunt et ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt » (Tract. I. *in Joan.* n. 17). Ex quibus discimus omnium rerum exemplaria in Deo esse, ac Deum in se res omnes velut in exemplari conspicere, non solum quae sunt, sed etiam quae esse possent, quibus si accedat decretum eas condendi, videt, nostro concipiendi modo, et in se tanquam causa exemplari, et insuper in se tanquam in causa formali per subsequens decretum, quod a scientia distingui debet.

tanquam in medio ratione prius cognito, sed *etiam* in se ipsis immediate seu absque medio, non quasi res sic cognitae sint causae cognitionis divinae, sed terminus et objectum ipsius cognitionis. Verum de his hactenus satis.

427. Majoris momenti sunt controversiae, quae versantur circa contingentia, sive absolute sive sub conditione futura, ob connexionem, quam istae habent cum controversiis de efficacia gratiae.

428. Ut ea, qua par est claritate quaestiones istae exponantur, debemus distinguere duplicem ordinem istorum futurorum contingentium, ac duplicem hominis statum. Nempe 1. libere futura alia sunt ordinis naturalis, alia vero ordinis supernaturalis seu gratiae. Rursum alia sunt bona ac meritoria, alia vero mala, ut peccata. 2. Homo vel considerari potest in statu innocentiae ante peccatum vel in statu naturae lapsae post peccatum, per quod a primaevo illo innocentiae ac felicitatis statu decidit.

429. Itaque thomistae, qui gratiam a se efficacem admittunt, contendunt Deum omnia futura contingentia sive ordinis naturalis sive supernaturalis cognoscere in suis decretis physice praedeterminantibus, tum pro statu naturae innocentis, tum pro statu naturae lapsae, cum Deus sit prima causa, causa universalissima, primum movens et agens, et supremus dominus; creatura autem dependeat a Deo sicut causa secunda a causa prima, non solum ut sit, verum etiam ut agat et operetur; quo fit, ut in nullum actum erumpere possit, nisi Deus ejus voluntatem praemoveat et physice praedeterminet ad agendum. Quoad peccata vero, plerique ex ipsis contendunt Deum ea videre in decreto permissivo quoad malitiam, in decreto vero praemovente ac physice praedeterminante quoad entitatem, seu actum materialem et physicum.

430. Jansenii discipuli et augustiniani conveniunt cum thomistis pro statu naturae lapsae, non autem pro statu naturae innocentis quoad actus supernaturalis ordinis; quia

juxta s. Augustinum homo in statu naturae integrae non indigebat ad actus supernaturales nisi *adjutorio sine quo*, in statu naturae infirmae jam indiget *adjutorio quo* seu eo auxilio quo voluntas determinetur ad operandum, per delectationem caelestem relative et *necessario* victricem juxta jansenianos, et per delectationem relative ac *moraliter* victricem juxta augustinianos (1). Hinc est quod utrique perfecte conveniant cum molinistis et congruistis pro statu naturae innocentis, sive quoad naturam gratiae, sive quoad scientiam mediam seu directricem, utramque vero tanquam summopere Deo injuriosam rejiciant pro statu naturae lapsae.

431. Ceteri omnes theologi, qui non admittunt gratiam a se efficacem, et rejiciunt decreta absoluta praemoventia et physice praedeterminantia, utpote quae sibi videantur humanae libertati contraria, contendunt Deum videre actiones libere futuras ordinis naturalis in essentia sua, tanquam specie intelligibili in repraesentando infinita, seu tanquam in speculo, eodem modo ac videt omnia possibilia; quia ea videt in se seu in essentia sua velut perfectissima similitudine omnium intelligibilium secundum esse proprium quod habent, sive possibile tantum, sive etiam actuale et exercitum pro quacumque temporis differentia, nec non ea, quae creaturae sive necessario sive libere acturae essent in quacumque hypothesi possibili. Nisi enim hoc modo, inquiunt, Deus creaturas cognosceret, nec perfecte nec comprehensive eas cognosceret, quia juxta s. Thomam p. 1 q. 12, art. 7: *Illud comprehenditur, quod perfecte cognoscitur; perfecte autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile*, atque, ut addit ibid. q. 14, art. 5: *Si perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus cognoscatur; virtus autem alicujus rei perfe-*

(1) De his ex professo loquemur in tractatu de gratia.

ele cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit. Sed non cognosceret perfecte virtutem creaturae rationalis, nisi cognosceret ea omnia, quae potest haec agere, et quae libere actura est pro quacumque temporis differentia, et in quacumque hypothesi constituta actura esset: hinc concludunt Deum contingentia libere futura in se seu essentia sua modo exposito cognoscere.

432. Sic quoad actus supernaturales illi ipsi theologi censent Deum hos videre in decretis dandi gratiam praevisam efficacem per scientiam futurorum conditionatorum. Quae gratia, ut praevisa efficax sub tali conditione, si eam dare Deus decernat, distinguitur in istorum sententia a gratia pure sufficienti ratione doni et beneficii; cum non obstante hac praevisione posset Deus eam non dare, prout reipsa eam non dedit tyriis atque sidoniis. Peccata vero in istorum opinione Deus videt in forma opposita, id est, in bono, in quantum scilicet, bono cognito ipsius privationem, nempe malum, praenoscit, ut ipse etiam loquitur s. Thomas.

433. Tota ratio dissensionis, quae viget inter thomistas illosque omnes qui gratiam *a se efficacem* admittunt, et alios theologos, qui gratiam hanc *a se efficacem* rejiciunt, sed solum efficacem esse contendunt ex praevisione consensus et decreto subsequenti, consistit in eo, quod thomistae nullum discrimen agnoscant neque agnoscendum esse velint inter *scientiam visionis* et *decretum Dei*, quia juxta ipsos unum idemque sunt *scientia visionis* et *decretum*, nec praeter istam scientiam aliam agnoscant, nisi illam, quae est *mere possibilium*, et quam *simplicis intelligentiae* dicimus. Congruistae e contrario et augustiniani recentiores in his, quae a causis liberis pendent, distinguendos esse actus volunt, qui efficaci Dei gratia indigent ut fiant ab aliis, qui vel a sola humana libertate prodeunt, cujusmodi sunt actus mora-

lis honestatis, vel quos solo gratiae sufficientis auxilio fieri posse propugnant; distinguunt praeterea Dei decretum a scientia visionis (1).

434. Hinc thomistae docent Deum, si sermo sit de actibus moralis honestatis, hos praenoscere in decretis praemotionis, imo et praedeterminationis physicae; si vero sermo sit de actibus ordinis supernaturalis, in decretis dandae vel negandae gratiae a se efficacis, quam pariter comitatur praedeterminatio physica eamque includit. Ceteri, si sermo sit de actibus moralis honestatis, passim contendunt hos a Deo praenosci in altissima voluntatis humanae comprehensione; si vero agatur de actibus supernaturalibus, existimant Deum hos praenoscere in decreto, quod subsequitur praevisionem Dei de iis, quae libere voluntates acturae essent sub tali gratia, quam Deus dare decrevit. Hi praeterea bifariam distinguunt scientiam, nempe eam, quae in simplici rei futurae cognitione posita est, et eam, quae subsequitur decretum. Scientiam quae praecedit decretum illudque dirigit, veteres vocarunt *scientiam futurorum exploratricem*, Molina vocavit *mediam*; de hac in articulo sequente.

435. Thomistae ad suam sententiam adstruendam afferunt ex Scripturis illa omnia testimonia, in quibus quidquid mali vel boni naturalis ac supernaturalis homines libere faciunt, totum *praeparatum a Deo* dicitur in *decretis*, *viis*, *judiciis*, *ac providentia ejus positum*, ut id tantum factum sit, quod ipse *cogitavit*, ac *fieri voluit*, hominum voluntate sive bona sive mala sapientissime usus ad rectissimos fines consequendos. Talia sunt inter cetera Act. VI, 27: *Convenerunt vere... adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israël, facere quae manus tua et consilium tuum decreverunt*

(1) Cfr. Card. Gotti, tom. III, q. 4, dub. 1 et seqq.

fieri; Ephes. II, 10, ubi *creati* dicimur, *in Christo Jesu in operibus bonis*, *quae praeparavit Deus*, *ut in illis ambulemus.* Ex patribus laudant s. Augustinum et s. Greg. M., qui docent, ut superius vidimus, non ideo Deum res futuras praevidere, quia futurae, sed ideo res futuras esse, quia Deus praevidit.

436. Congruistae e contrario, Augustiniani, etc. ex Scriptura ea proferunt loca, in quibus opera nostra *cognita*, *investigata* dicuntur, *in viis* et *in semitis nostris praevisa*, non in decreto Dei praefinita. Sic. Ps. CXXXVIII, 1. et seqq. legitur: *Domine probasti me et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas praevidisti.* His addunt futura conditionata, quorum conditio ponenda non erat; ut immutandum justum, si diutius vixisset (Sap. IV); capiendum David a Saule, si Ceilae constitisset (I Reg. XXIII); poenitentiam acturos tyrios et sidonios, si Christi miracula vidissent (Luc. X). In his et similibus, ajunt solam Dei praescientiam spectare licet de eo, quod in iis circumstantiis futurum erat; nam, si decretum aliquod Deus fecisset, jam impletum esset. Ex patribus laudant auctorem *Quaestionum ad Orthodoxos*, q. LVIII; Origenem, in cap. VIII. epist. *ad Rom.*; Hieronymum in cap. XXVI Jeremiae, qui expresse tradunt res non ideo futuras, quia Deus eas praescivit, sed ideo Deum eas praescivisse, quia futurae erant. Cum his concordat s. Augustinus in locis supra allegatis, tum etiam in libro *De praedestinatione Sanctorum*, cap. X, ubi ait: *Praedestinatio* (seu decretum) *sine praescientia esse non potest, potest autem esse sine praedestinatione praescientia. Praedestinatione quippe Deus ea praescivit quae fuerat ipse facturus; unde dictum est: fecit quae futura sunt. Praescire autem potens est, quae ipse non fecit, sicut quaecumque pec-*

cata. Sic s. Joan. Damasc. *Adversus Manichaeos: Est quidem*, inquit, *praescientia Dei vera et inviolabilis; verum ipsa nequaquam est causa, cur omnino fiat, quod futurum est; quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, ideo praenoscit.* Sic patres reliqui, nec non Richardus, Alensis, Bonaventura, et innumeri ex veteribus scholasticis (1).

437 In tanta sententiarum diversitate nos quid dicemus? Illud ipsum quod dixit s. Augustinus, *Enarr. in Ps. XLIX* n. 18, cujus haec sunt verba: *Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus.*

ARTICULUS IV.

De divisione scientiae Dei

438. Scientia divina reipsa unica est ac simplicissima, utpote quae est ipsa divina substantia hoc modo se habens. Quatenus autem, semotis imperfectionibus, multis scientiis seu cognitionibus realiter inter se distinctis aequivalet, est virtualiter multiplex. Hinc solent theologi eam per inadaequatos conceptus in plures scientias seu cognitiones extrinsece discernere.

439. Dividitur itaque ratione objecti 1. in scientiam *necessariam et liberam. Necessaria* est cognitio objecti independentis a liberis Dei decretis; tale autem objectum est Deus ipse et res omnes possibiles. *Libera* est cognitio objecti dependentis a libero Dei decreto; objectum pro-

(1) Cfr. Tournely, *Tract. de Deo*, q. 16, art. 4.

pterea istius scientiae sunt res omnes vel existentes vel aliquando extiturae.

440. 2. Dividitur in scientiam *speculativam* et *practicam*. *Speculativa* est, quae versatur circa objectum, ut vocant, non operabile, cujusmodi est Deus ipse et sunt res mere possibiles. *Practica* est cognitio objecti operabilis, prout sunt res omnes conditae seu condendae.

441. 3. In scientiam *approbationis* et *improbationis*. Scientia *approbationis* est cognitio objecti, quod Deus approbat et quod ipsi placet; *improbationis* est scientia objecti, quod Deus reprobat quodque ipsi displicet. Objectum prioris scientiae sunt omnia existentia ac bonae creaturarum liberarum actiones; posterioris vero sunt peccata.

442. 4. In scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*. *Simplicis intelligentiae* est cognitio rerum mere possibilium, quae nec extitere nec extiturae sunt, quo fit ut scientia ista antecedat quodcumque Dei decretum; scientia *visionis* est cognitio tum ipsius Dei, tum rerum existentium in aliqua temporis differentia, sive actu existant, sive extiterint, sive extiturae sint; hinc scientia visionis partim necessaria est respectu sui objecti, partim contingens et libera (1).

(1) Atque hic obiter notetur perpetuum Doctorem Henricum Klee, profess. ordin. theolog. Bonnae, in sua *Katholische Dogmatik*, seu *Dogmatica catholica*, Moguntiae 1835, vol. 1, irridere theologos ob distinctionem scientiae Dei in *scientiam simplicis intelligentiae*, *in scientiam visionis* atque in *scientiam mediam*. Etenim pag. 54 et seqq, loquens de *modo* divinae cognitionis, ostendere pluribus nisus est, Dei cognitionem utpote perfectissimam esse simplicissimam ac *prorsus immediatam*, seu Deum cognoscere omnia *immediate*; quibus absolutis, pag. 57. ita concludit: « Ex hactenus dictis patet ἀφιλοσοφια distinctionis inter scientiam visionis, scientiam mediam et simplicis intelligentiae, quae restitui debet suis auctoribus ad ipsorum proprium ornatum, nomine ac sensu aliquantum mutato, scilicet *visionariae* (visionäre), *dimidiae scientiae* (halbe Wissenschaft) et *intelligentiae cujusdam simplicioris* (Wissenschaft der einfältigen Einsicht) ». At doctus professor debuisset animadvertere, hanc divisionem a theologis peti non a *modo* cognitionis, sed ab *objecto* cognitionis divinae, quae confundi a viro theologo inter se minime possunt. Neque illud praetereundum sine animadversione est passim in Germania theologiam lingua vernacula tradi non absque ingenti linguae latinae jactura in clero catholico instituendo, quae tamen ecclesia-

443. Circa has divisiones vix est inter theologos controversia ; at gravis est circa postremam, utrum scilicet ea sit adaequata, an vero inadaequata. Thomistae contendunt eam esse adaequatam, quia praeter scientiam simplicis intelligentiae et visionis juxta ipsos nulla alia datur ; augustiniani autem recentiores, ut Card. Norisius, Berti, Juenin aliique magno numero, cum congruistis aliisque omnibus, qui negant omnia Deum praescire in decreto suo physice praedeterminante, affirmant esse inadaequatam, quia praeter eam scientiam, qua Deus videt res mere possibiles, et illam, qua videt res absolute futuras, datur media quaedam scientia, qua Deus videt res sub conditione futuras, et quidem independenter ab omni suo decreto, atque eas in se videt, prout videt in se res omnes possibiles. Hinc scientia media definitur cognitio divina rerum sub conditione futurarum independens ab omni Dei decreto (1) ; revocatur autem haec scientia ad scientiam simplicis intelligentiae velut species ejusdem.

444. Quum nunc, ut superius vidimus, omnes fere theologi catholici conveniant in admittenda in Deo scientia futurorum conditionatorum, tota quaestio arctatur ad medium, quo Deus haec futura conditionata cognoscit; si enim videt in se seu essentia sua, ut cognoscit res possibiles in omni ipsarum hypothesi antecedenter ad omne ipsius decretum, jam necessario fluit dari ejusmodi scientiam mediam ; quod si Deus ea non videat nisi in positivo suo decreto ac dependenter ab ipso, non datur scientia media.

sticis viris cordi summopere esse deberet. Georgius Hermes ad hanc scribendi rationem suos inducere conatus est apposita dissertatione. Sed hujus viri conatus potius inducere recte sentientes debuisset ad contrariam viam ineundam.

(1) Sic loc. cit. q. 6, dub. III, § 2, n. 8, Card. Gotti definit scientiam mediam : « Scientiam, qua Deus ante omne suae voluntatis decretum certo novit, quid voluntas factura esset, si decerneret eam ponere in talibus circumstantiis, vel tali rerum ordine et sub tali auxilio ».

445. Thomistae contendunt Deum videre futura conditionata in decreto suo subjective absoluto, et conditionato ex parte objecti (1). Quod ut intelligatur, notandum est duplici ratione aliquod decretum posse dici conditionatum: uno modo ex parte subjecti, ut si quis diceret: Vellem dare Petro centum nummos, si venderem domum meam; ast cum decreverim eam non vendere, ideo nolo dare Petro centum nummos. Alio modo potest aliquod decretum esse conditionatum ex parte objecti, ut si quis diceret: Vellem dare Petro centum aureos, si die crastina Petrus ad me veniret. Jam vero dari in Deo decreta objective conditionata, certum est apud theologos omnes. Tale est decretum sive voluntas salvandi omnes homines, si recte utantur mediis sibi a Deo dandis; non delendi Sodomam, si in ipsa reperti fuerint triginta viri justi; exhibendi Christo plusquam duodecim legiones angelorum, si Christus eum rogasset, etc. Hinc quaestio solum est circa decreta subjective conditionata. Thomistae acriter pro ipsis pugnant, contendentes scientiam conditionatorum ab illis tanquam a causa futurae existentiae actuum liberorum, circa quam haec scientia occupatur, pendere. Sed non minus nervose ceteri theologi ista decreta subjective conditionata rejiciunt, quod videantur humanae libertati contraria, imo et illusoria, cum in thomistarum hypothesi etiam conditio objectiva pendeat ab ipsius Dei decreto physice praedeterminante, ut patet ex allato exemplo: vellem dare Petro centum aureos, si Petrus veniret ad me crastina die; cum autem venire ad me non possit absque curru meo, quem decrevi ei non dare (quo sensu decretum subjective absolutum concipitur), ideo decerno non dare Petro centum aureos. Reducitur proinde conditio ad haec verba: nolo dare Petro absolute centum aureos.

(1) Cfr. Gotti, loc. cit. lib. VI, dub. II, § 1 et seqq.

446. Nostrum non est hanc litem dirimere, imo nec eam attingere constituimus, cum aetas nostra alias habeat majoris momenti quaestiones, quibus serio animum adjiciat, nec divisos nunc temporis praesertim theologos esse expediat, sed potius invicem consentientes, quo validius tot christianae seu catholicae fidei hostibus resistant; licet enim salva pace et charitate unaquaeque schola propria placita tueri possit, attamen experientia compertum est ex diversitate sententiarum, ut plurimum, animorum etiam sinceram mutuam benevolentiam non parum, etiam nobis invitis, tepescere. Optandum utique esset, ut vel extrema ipsa lineamenta antiquae illius disceptationis, quae tantopere jam insonuit, penitus delerentur. Ecclesia nihil decernere statuit, utraque sententia salva fide teneri potest. Itaque cum ad aptius tuenda fidei dogmata utraque sententia excogitata sit, quilibet, ut superius jam a nobis animadversum est, adoptet illam, quae magis conducere videtur ad fidem sartam tectamque tuendam, tum adversus protestantes, tum adversus jansenianos, quos nunc constat ex factis non fuisse, nec esse nisi deistas larvatos (1), ac lupos sub ovina pelle latentes.

447. Qui pugnant contra scientiam mediam, affirmant eam esse novam, nec notam fuisse nisi ad summum arianis et semipelagianis, insuper repugnare sanae rationi (2).

448. Qui vero eam propugnant, ita disserunt: dato semel, prout thomistae omnes in praesens dant, Deo inesse scientiam infallibilem futurorum conditionatorum, quaestio reducitur tota ad medium, in quo Deus ea cognoscit, dependenter scilicet vel independenter a decretis sub-

(1) Cfr. *Réalité du Projet de Bourg—Fontaine* et *Continuazione della realtà del progetto di Borgo-Fontana*; op. dell' abbate Gusta, nec non opusculum commendatum a Pio VI in opere super Nunciaturas, cap. VIII.; *La lega della teologia moderna colla filosofia a danni della chiesa di G. C.* a P. Rocca Bonola Societatis Jesu editum anno 1789, ac saepe postea recusum.

(2) Cfr. Card. Gotti, tom. III, in p. I q. 6, a dub. I ad VIII.

jective absolutis et objective conditionatis. Hinc excutiendum restat, utrum istud talium decretorum inventum recens an antiquum sit; utrum in Sacris Litteris et in sanctis patribus occurrat vestigium horum decretorum nec ne. Si in Sacris Litteris vel in sanctis patribus inveniantur ejusmodi decreta, et ita constituta, ut sine illis Deo nullum aliud suppetat medium, quo futura conditionata cognoscat, fatentur scientiam mediam novam esse; si vero nulla horum decretorum mentio sive in Scripturis sive in tota antiquitate occurrat, et quidem ut unici medii, quod Deo insit ad futura libera conditionata cognoscenda, tunc e contra patroni scientiae mediae novitatis notam inurunt adstipulatoribus decretorum.

449. Jam vero, pergunt, primus qui perhibeatur auctor seu inventor ejusmodi decretorum est Didacus Alvarez, qui sic componere nisus est scientiam divinam certam et infallibilem futurorum conditionatorum cum generali thomistica doctrina de scientia visionis dependente a decretis Dei tanquam rerum omnium effectrice, non exclusis liberis hominum actionibus sive naturalibus sive supernaturalibus. Et reipsa, inquiunt, ab eo tempore tam communis esse coepit inter thomistas doctrina de scientia certa et infallibili futurorum conditionatorum, quam ante ipsi vel penitus respuebant vel nonnisi ut conjecturalem admittebant (1). Cum vero doctrina de scientia certa et infallibili futurorum conditionatorum, ipsis thomistis nunc fatentibus, fundetur in Scriptura et patribus, in qua sola absque decretis scientia media ex dictis consistit, patet, aiunt, scientiam mediam antiquam esse, prout antiqua est doctrina Scripturarum et patrum; ac proinde nonnisi ad labem ei aspergendam tribuitur vel

(1) Cfr. Theodorus Eleutherius seu Livinus de Meyer, *Historia congreg. de auxiliis*, lib. v, cap. 44, nec non ipse Didacus Alvarez Ord. Praed. in *Responsionum* lib. 1, cap iv, n. 9, ubi profitetur se haec decreta propugnasse Romae in collegio sancti Thomae super Minervam ab anno 1596 ad annum 1607, cum Regentis fungeretur officio.

arianis vel semipelagianis, a qua omnino eam purgant augustiniani, contendentes s. Augustinum eam docuisse, saltem pro statu innocentiae hominis et angelorum (1).

450. Demum non repugnare rationi scientiam mediam, ex eo evincere satagunt, quod nihil magis consonet sanae rationi quam dicere, Deum, quin tot ac pene infinita decreta inducantur, quibus indigeret ad ejusmodi futura cognoscenda, posse per se et in se ipsis illa cognoscere; quod nihil magis extollat vim divinae ejusmodi scientiae, dum e contra nil mirum sit a Deo futura cognosci in eo, quod ipse decrevit facere. Quis praeterea potest certo statuere decreta unicum medium esse, quo Deus futura videat? Sic illi.

451. Ceterum neque in hoc quidquam per ecclesiam hactenus est definitum, ut cuique integrum maneat in

(1) Cfr. Georg. Mariae Albertini Ord. Praed. *Aeroases de Deo*, Venet. 1809, ac praesertim Aeroasis XIII, inscripta: *Molinistarum scientia media a calumniis vindicata*, ubi ostendit sententiam istam apud priscos ecclesiae patres pervagatam esse; tum allata Molinae scientiae mediae definitione, ex lib. *Concord.* quaes. XIV, art. 14, disp. 52, p. 227, edit. Antverp. 1595, qua nempe dicitur illa, « qua ex altissima et inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est (*Deus*) quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, facere reipsa oppositum ». eam confert cum sententia s. Bonaventurae, qui in Lib. I. *Sentent.* dist. 4, art. 2, q. 2, iisdem pene verbis eam docuit; scribit enim: « Talis est aspectus divinae praescientiae: quia ab aeterno cognovit, quid cogitare poteramus vel velle, simul cum hoc vidit, in quam partem nostra voluntas et operatio inclinaretur; et quia (*divina praescientia*) totum posse et velle et agere complectitur, ideo non potest falli. Et quia praedestinatio concludit praescientiam, hinc est quod concordat cum libero arbitrio, et non potest discordare ». Post haec subdit citatus auctor: « Confer verba haec cum Molinae sententia, tum dicito mihi, in quo differant »? Cons. praeterea ejusdem Albertini orationes duae ad Bannezianos et Lemosianos (Bannez siquidem et de Lemos primi perhibentur auctores systematis praedeterminationis physicae, applicatae praesertim ad efficaciam divinae gratiae et hominis libertatem). Ipsi viderint; interea nos, qui volumus omnino his disceptationibus extranei esse, remittimus auditores nostros ad auctores, qui vel pro utraque sententia pugnarunt, vel pro alterutra. Inter ceteros, qui pro utraque sententia scripserunt, cfr. Tournely, tract. *De Deo*, quaest. XVIII, art. X; Boucat, *Theolog. Patrum, de Deo*, tractat. III, diss. III. Ex impugnatoribus sunt omnes Thomistae; ex propugnatoribus omnes congruistae; inutilis proinde res videtur peculiares auctores indicare, utpote notissimos.

suo sensu abundare, qui conformior Scripturae videatur et patribus, quique melius conferat ad conciliandam hominis libertatem cum efficacia divinae gratiae.

CAPUT II.

DE VOLUNTATE DEI

452. Ut brevitati consulamus, multa ex iis praetermittimus, quae scholastici, agentes de divina voluntate, in utramque partem agitare solent, quaeque minus scitu necessaria sunt. Interea hic breviter subjicimus notiones, quae conferre possint ad eorum, quae pertractanda erunt, claritatem.

453. Voluntas definitur facultas appetendi bonum et aversandi malum intellectualiter cognitum. Voluntas in Deo realiter idem est ac divina essentia, a qua nonnisi virtualiter distinguitur, ideoque una est, simplicissima immutabilis ac perfectissima.

454. Objective tamen, seu ratione rei volitae, ut ajunt, et pro diversa ratione, qua in objectum tendit, divina voluntas virtualiter multiplex est, seu plures actus habet virtualiter distinctos.

455. Ac 1. quidem voluntas divina, distinguitur in voluntatem *beneplacili* et in voluntatem *signi*; prior est voluntas proprie dicta, inquit s. Thomas, p. 1, q. 19, art. 2, quae nempe vere et proprie in Deo est. Posterior est signum voluntatis, et nonnisi metaphorice sive improprie voluntas dicitur. Signum autem, ut verum sit et non falsum, semper supponit veram voluntatem in eo, qui illam per signum manifestat; ex eodem ibid. Ea scilicet ratione dicitur voluntas ac testamentum dicitur ultima voluntas testatoris. Varia autem signa divinae voluntatis numerantur, ex quibus quinque praecipua sunt, ad quae

cetera facile revocari possunt, et hoc versu comprehenduntur:

Praecipit aut prohibet, permittit, consulit, implet (1).

456. 2. Rursum voluntas beneplaciti ex eodem Angelico Doctore, *De verit.* q. 33, art. 3, *per antecedentem et consequentem* distinguitur. *Antecedens*, ex s. Joan. Damasc. *De fide orthodoxa*, lib. II, cap. XXIX, est ea, quam habet Deus ex se ipso, seu *cujus ipse causa sit*, non expectata occasione vel causa ex parte creaturae. Talis est voluntas salvandi reprobos. Voluntas *consequens* est ea, quam Deus non habet ex se solo, sed data occasione seu causa ex parte creaturae; *ex nostra causa ortum habens*, ut idem Sanctus loquitur, seu, ut ait s. Thomas, in lib. I *Sent.* dist. 46, q. 1, art. 1, voluntas consequens ea dicitur *eo quod praesupponit praescientiam operum, non tanquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti.* Talis est voluntas damnandi reprobos propter impoenitentiam finalem. Idem s. Doctor, p. 1, q. 19. art. 6 ad 1, utitur exemplo judicis ad hoc declarandum. Judex enim antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. S. Joan. Chrysostomus, hom. I. in Epist. *Ad Ephes.*, has voluntates vocat *primam* et *secundam* (2).

(1) Id est: praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, operatio; prohibitio et permissio respectu mali, praeceptum, consilium et operatio respectu boni inquit s. Th. ib. art. 12.

(2) Sic enim s. Joan. Chrys. in cit. hom. I. in ep. *Ad Ephes.*, verba illa enarrans: « Secundum beneplacitum voluntatis suae, *ait*: Πανταχοῦ γὰρ ἐυδοκία τὸ θέλημά ἐστι τὸ προηγούμενον· ἐστι γὰρ καὶ ἄλλο θέλημα· οἷον θέλημα πρῶτον, τὸ μὴ ἀπολέσθαι ἡμαρτηκότας· θέλημα δεύτερον, τὸ γενομένους κακοὺς ἀπολέσθαι· id est, « Ubique enim beneplacitum est voluntas antecedens. Nam est alia voluntas. Velut voluntas *prima* est, ne qui peccaverunt pereant. Voluntas *secunda*, ut qui mali sunt facti, pereant ». Quem secutus Joan. Damasc. *De fide orthodoxa*, lib. II, cap. XXIX, scribit: tom 1, pag. 198, edit. Lequien, Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ Θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. Οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς .... ὡς ἀγαθός. ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι ὡς δίκαιος. Λέγεται οὖν, τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα, καὶ ἐυδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν. Τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας· id est, « Sciendum

[. 3. Voluntas divina dividitur in *efficacem* et *ineffi-*
s. *Efficax* ea est, qua Deus sic intendit aliquid ef-
, ut fixum ei sit omnia superare impedimenta.
propterea voluntas semper habet effectum suum. De
oluntate dicitur (Rom. IX, 19) : *Voluntati ejus*
resistit ? et (Esther. XIII, 9) : *Non est, qui*
tuae resistere voluntati. Inefficax est illa, qua
sic intendit aliquid, ut minime ei propositum sit
are quodlibet impedimentum. De hac dicitur (Matth.
, 37) : *Jerusalem .... quoties volui congre-*
filios tuos, quemadmodum gallina congregat pul-
os sub alas, et noluisti; et alibi. Hinc actus ef-
voluntatis est incompossibilis cum opposito illius,
Deus intendit; actus vero voluntatis inefficacis est
ssibilis cum opposito illius, quod intendit Deus.
3. 4. Dei voluntas distinguitur in *absolutam* et *con-*
atam. *Absoluta* est illa quae nullam involvit con-
em ex parte objecti, seu quae a nulla conditione
t. Talis est voluntas, qua Deus vult mandata sua
minibus servari. *Conditionata* est illa, quae ali-
includit conditionem ex parte objecti, seu est illa,
ab aliqua conditione pendet. Talis est voluntas, qua
voluit israëlitas defendere ab hostibus, si mandata
bservarent, nec deos alienos colerent. Notandum au-

pit, Deum praecipua et an-
te voluntate velle omnes sal-
: regni sui compotes fieri. Non
t nos puniret, condidit, quia
st ... peccantes porro puniri
quam justus. Itaque prima illa
s antecedens dicitur et benepla-
quod ex ipso est. Secunda au-
sequens voluntas, et permis-
ostra causa ortum habens ».
t autem doctus Lequien, in
l hunc locum s. Joan. Dama-
b ipsis ethnicis cognitam jam
fuisse duplicem hanc Dei vo-
n. Hierocles enim, apud Pho-
tium cod. 251, refert Platonem de
legibus docuisse, Deum « voluntate
quidem antecedente bona convenien-
tia hominibus impertiri eaque conser-
vare, ἔστι γὰρ ἡ μὲν τῶν ἀγαθῶν
προηγουμένη δόσις, καὶ ἡ τῶν κατὰ
προσιόντων τήρησις, ἴδιον ἔργοντῆς
καθαρᾶς προνοίας· altera ἐξ ὑποθέ-
σεως τῆς τῶν προβεβιαμένων ἀξίας,
seu consequente admissorum scelerum
poenas infligere, et bonos ad beatam
vitam transferre ». Vid. Photii *Bi-*
bliotheca, col. 1390, edit. A. Schot-
ti, Rothomag. 1653.

tem sedulo est voluntatem absolutam non converti cum efficaci. Omnis enim voluntas efficax est absoluta ; at non omnis voluntas absoluta est efficax, ut patet ex adducto exemplo voluntatis, qua Deus vult mandata sua ab hominibus servari. Saepe tamen, quod observandum est, voluntas absoluta cum efficaci confunditur.

459. Hae sunt praecipuae divinae voluntatis divisiones, circa quas nulla fere controversia est inter theologos. Tantum res est cum jansenistis, qui contendunt voluntatem beneplaciti semper impleri ; ex quo concludunt Deum non habere veram et proprie dictam voluntatem salvandi omnes homines; sed solummodo signi et metaphoricam ; ex eodem pariter principio inferunt, nonnisi voluntate metaphorica Deum velle mandatorum suorum observantiam. Contendunt praeterea voluntatem distingui in antecedentem et consequentem quoad hominum salutem, ratione habita ad peccatum originale praevisum vel non praevisum ; ac docent Deum voluntate antecedente voluisse omnium hominum salutem ante praevisionem peccati originalis ; sed hoc supposito et praeviso Deum jam nolle salutem omnium hominum, sed electorum tantum, ac reproborum non velle salutem nisi improprie ac metaphorice, atque ex eadem voluntate metaphorica et improprie dicta Christum pro iis mortuum esse ac sanguinem fudisse. Adversus quam execrabilem doctrinam sequentes statuimus propositiones

PROPOSITIO I.

Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult alios salvos fieri quam praedestinatos, et Christus non pro solis praedestinatis mortuus est, ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulit, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus

460. Haec propositio de fide est quoad utramque partem, ut ex dicendis patebit. Duas vero istas propositionis partes conjunximus ob maximam inter se relationem ac connexionem. Christus enim ex eodem affectu et voluntate applicationis meritorum suorum passus et mortuus est pro hominibus, quo Deus vult ipsorum salutem, teste ipso Christo (Joan. VI, 38) de se ipso dicente: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* et (Joan. VIII, 29): *Ego quae placita sunt ei, facio semper.* Eadem igitur certitudine constat Deum velle hominum salutem, qua certum est Christum pro iis mortuum esse; atqui certum est certitudine fidei Christum non pro solis praedestinatis mortuum esse, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus; certum igitur est certitudine fidei Deum velle salutem non praedestinatorum tantum, sed etiam aliorum, saltem fidelium. Minor patet ex damnatione prop. V. Jansenii, quae ita se habet: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; Falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam declaramus, et uti talem*

damnamus (1). Ex qua censura sic colligimus : Haec propositio: *Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus est*, est haeretica ; ergo contradictoria. *Christus mortuus non est pro salute dumtaxat praedestinatorum*, catholica ac de fide est. Seu , quod idem est , Christum mortuum esse pro salute aliquorum non praedestinatorum, ac proinde Deum habere sinceram voluntatem salvandi aliquos non praedestinatos de fide est.

461. Christum autem pro non praedestinatis *saltem fidelibus* mortuum esse, constat 1. ex symbolo Constantinopolitano, in quo dicitur : *Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis... crucifixus etiam pro nobis ;* tum ex symbolo Athanasiano, in quo de Christo pariter dicitur : *Qui passus est pro salute nostra* ; unde sic ratiocinamur : De fide sunt omnes articuli in utroque symbolo contenti ; ergo de fide est, filium Dei de coelo descendisse et crucifixum fuisse pro salute illorum omnium , pro quibus haec vocabula *nostrum* et *nobis* supponunt , ut per se patet ; jam vero haec vocabula supponunt pro omnibus saltem fidelibus, licet non praedestinatis, cum omnes fideles indiscriminatim teneantur eos articulos de fide credere : *Haec est enim fides catholica , quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit , salvus esse non poterit*, ut concludit symbolum Athanasianum ; ergo de fide est Christum non pro solis praedestinatis mortuum esse, sed etiam pro aliis saltem fidelibus, ac Deum proinde voluntate sincera et beneplaciti velle alios salvos fieri quam praedestinatos, saltem fideles.

462. Ex iisdem fontibus patet de fide esse Deum velle reproborum saltem fidelium salutem , etiam supposito peccato originali ; fideles enim illa , quae modo protulimus , credere tenentur supposito originali peccato. De-

(1) Haec censura est Innocentii X et Alexandri VII ab universa Ecclesia recepta , et quidem damnata est haec propositio in sensu Jansenii.

mum de fide esse hanc voluntatem Dei non esse signi tantum ac metaphoricam, sed beneplaciti, seu esse voluntatem sinceram ac proprie dictam, constat 1. ex verbis citatis utriusque symboli, quibus dicitur Christus descendisse de coelo *propter* nostram salutem, passus *pro* salute nostra, crucifixus *pro* nobis, quae profecto non denotant *signum* voluntatis, sed *finem* ipsum a Christo intentum; 2. ex verbis Christi, qui expresse hanc divinam Patris sui voluntatem nobis manifestavit (Joan. VI, 38 ad 40): *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Haec est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo... Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam.*

463. Quibus sic expositis, operosum non est utramque propositionis partem tum ex Scriptura tum ex traditione ostendere. Ac 1. quidem quoad primam partem, Christus (Joan. VI), ut patet ex verbis quae modo attulimus, declaravit Patris *voluntatem esse, ut omne quod ipsi dederat*, non periret, sed resuscitaretur seu salvaretur; atqui inter ceteros, quos Pater Filio dederat, dedit etiam reprobum, nempe Judam, ut constat ex verbis Christi (Joan. XVII, 12) sic Patrem alloquentis: *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit nisi filius perditionis.* Ergo (1) voluntas Dei est, ut non solum salventur praedestinati, sed etiam reprobi, praesertim fideles, cujusmodi Judas fuit. Hoc ipsum aliis Scripturae

(1) Vim hujus argumenti senserunt jansenistae, qui propterea nullum non moverunt lapidem ad eam elevandam. Inter cetera in versione Montensi particulam *nisi* verterunt in particulam adversativam *sed*: « J'ai conservé ceux que vous m'avez donnés; et nul d'eux ne s'est perdu, *mais* celui-là seulement qui était enfant de perdition »; perinde ac si sensus esset: Nemo ex iis quos dedisti mihi, periit, sed tantum filius perditionis, qui ex illis non erat. Sed perperam ita interpretantur.

testimoniis confirmatur, atque praecipue illis apertissimis Christi verbis (Joan. III, 16) dicentis: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*; atqui mundi nomine non veniunt soli praedestinati, sed Christo ipso interprete veniunt omnes, qui credunt in eum, qui profecto non omnes praedestinati sunt; ergo Deus sincero dilectionis affectu alios quam praedestinatos, saltem fideles, vult salvos fieri.

464. 2. Ex patribus unius urgeo Augustini auctoritatem quo patrono janseniani per summam impudentiam gloriantur. Igitur s. Doctor, *Tract. in Joan.* CVI, num. 2, verba Christi exponens in medium nuper allata: *Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur*, ait: *Judam significans, qui tradidit eum; ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periit.* Ergo juxta s. Augustinum Judas erat ex numero eorum, quos Pater Filio dederat, ex numero scilicet eorum, quos Pater Filio dederat ut ipsos salvaret, resuscitaret, non perderet. Ex sancto Augustino propterea certum est Deum vere salutem velle reproborum saltem fidelium (1).

465. Quoad secundam partem, seu Christum mortuum esse pro reprobis saltem fidelibus, id evincunt 1. Christi verba (Joan. XVII, 20), quibus ait: *Non pro eis* (apostolis) *rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Pro iis igitur mortuus est Christus ex sincera voluntate applicationis meritorum suorum, pro quibus oravit, ipsis jansenistis fatentibus; atqui Christus oravit pro omnibus fidelibus, qui omnes certe praedestinati non sunt; ergo .... Rursum Apostolus (Rom. VIII, 31 et seqq.): *Si Deus pro no-*

(1) Plura alia testimonia quisque reperire poterit tum apud Petavium, *De Deo*, lib. x, cap. 4 et 5, tum apud Tournely, tract. *De Deo*, q. 19, art. 10, concl. 2.

bis, inquit, *quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Ibi Apostolus de omnibus saltem fidelibus loquitur; ergo ... Sed absque omni ambage id ipsum constat ex iis, quae scribit idem Paulus (Rom. XIV, 15), dicens: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*; et (I. Cor. VIII, 11): *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Unde sic argumentamur: Fidelis ille, qui ex propria infirmitate scandalum passus ob aliorum vel imprudentiam vel malitiam perditur et perit, profecto non est praedestinatus; atqui teste Apostolo et pro isto, sicut et pro aliis, qui reipsa salvantur, Christus mortuus est: ergo.

466. 2. S. Augustinus inter alia innumera, quae pro re nostra scribit, *Enarr. in Psalm. XCVI*, num. 17, sic universum populum pro concione alloquitur: *Filius Dei pro nobis mortuus est; securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius.* Cetera ejusdem dicta non minus luculenta recolantur apud Tournely, loc. cit.

467. 3. Utraque demum conclusionis pars confirmatur ex Conc. Trid. sess. VI, cap. 6 et 7, docente omnes, qui baptizantur, teneri sperare sibi Deum per Christum propitium fore, et consecuturos vitam aeternam, quae est causa finalis justificationis per eumdem Jesum Christum, qui est causa meritoria vitae aeternae, *credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt*; atqui spes ista haberi non posset, si de fide omnes credere non tenerentur Deum velle omnium, saltem credentium, salutem, et pro ipsis Christum mortuum esse ac sanguinem fudisse ad merendum pro iisdem gratias necessarias ad salutem, cum spei fundamentum *fides* sit; ergo ex Concilio Trid. certa fide ab omnibus tenendum est Deum sincera voluntate, praeter salutem prae-

destinatorum, velle aliorum etiam saltem fidelium salutem, et ex eadem intentione Christum pro iisdem mortuum esse et sanguinem suum fudisse (1).

DIFFICULTATES

468. Ne eandem repetere crambem debeamus, illas praetermittimus difficultates, quae immediate afficiunt ipsam Dei voluntatem circa salutem reproborum saltem fidelium et Christi mortem in eumdem finem; eas propterea solum urgemus, quae afferri solent adversus qualificationem, ut schola loquitur, certitudinis assertae propositionis. Itaque

469. I. Obj. Ex censura quintae propositionis Jansenii inferri non potest, de fide esse Christum pro aliis quam pro praedestinatis mortuum esse, Deumque vera et proprie dicta voluntate velle aliorum etiam non praedestinatorum saltem fidelium salutem, si censura praecise cadat in verbum *dumtaxat*, quasi nempe Christus nullam temporalem saltem gratiam reprobis obtinuerit; atqui; ergo.

470. Resp. *Neg. min.* Quia propositio damnata fuit in sensu Jansenii; jam vero sensus Jansenii in hac propositione fuit, Christum pro salute tantum electorum mortuum fuisse, non autem Christum non obtinuisse pro reprobis aliquas gratias temporales, quum Jansenius id aperte professus fuerit. En ipsius verba: *Pro his* (repro-

(1) Praestat et alia ejusdem Concilii verba in medium afferre ex eadem sess. VI, cap. 13, ubi inter cetera haec habet: « Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; *tametsi in Dei auxilio firmissimam spem* collocare et reponere *omnes* debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, o velle et perficere ». Ex q fidelibus omnibus gratiam praesto esse ac proinde pro iis omnibus Christum mortuum esse, [illegible] inferi spem, quam omn[illegible] in Deo collocar[illegible] nemo spem [illegible] nisi cer[illegible] tis C[illegible]

his), inquit, *in tantum mortuus est* (Christus).... *in quantum temporalibus quibusdam divinae gratiae effectibus exornandi sunt* (*De gratia Christi*, lib. III, cap. XXI, tom. III, p. 164); et paulo infra : *Eatenus igitur et non aliter pro illis Christus mortuus est.... ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis et sanguinis, et orationis consequantur ; ergo.*

471. Inst. Non desunt catholici theologi, qui, salva fide, hanc eamdem thesim propugnaverint ; ergo.

472. Resp. *Dist. antec.* Non desunt theologi catholici, iique perpauci, qui thesin istam propugnaverint ante censuram propositionis jansenianae, *Tr.* post eamdem censuram, quique eamdem propugnaverint in sensu Jansenii, *Subdist.* Qui catholici fuerint nomine tenus, *C.* reipsa catholici *N.* Nam post censuram nonnisi jansenistae, qui catholici non sunt, nisi quatenus catholicos se vocare pergunt, sed reipsa sunt lupi ovina pelle contecti, hanc doctrinam propugnarunt atque propugnant (1).

473. II. Obj. Nullum saltem argumentum est, quod ex Concilio Trid. desumitur. Ad hoc enim, ut quis teneatur sperare salutem et media ad ipsam obtinendam necessaria, sufficit nescire se positive exclusum esse e salvandorum numero, seu sufficit probabilitas, quam quisque habere potest, quod contineatur in numero electorum ; ergo.

474. Resp. *N. A.* Nam nemo firmiter sperare potest, multo minus tenetur, aeternam vitam, nisi certus sit certitudine fidei Deum [illegible] tum ex se est [illegible] e, et qui-

dem voluntate affective afficaci, sic sperantem salvare, quia alioquin spes ipsa destrueretur, utpote carens solido fundamento seu motivo, quod constituitur ex Dei fidelitate in promissis suis adimplendis. Et sane quomodo possum sperare salutem vel media salutis ex Christi meritis, quomodo possum haec ipsa media in oratione petere, si dubius haeream, an Christus pro me passus ac mortuus sit (1)? Patet autem nos hic loqui non de spe generice sumpta seu humana, quae consistere potest cum incertitudine, sive ex parte hominum, in quibus fiducia collocatur, sive ex parte eventuum, quorum plerumque exitus incertus est, sed de spe specifice sumpta seu theologica, quae debet esse tanquam anchora firma, ut loquitur Apostolus, scilicet ex parte Dei et tota incertitudo pendere debet unice ex parte nostra.

PROPOSITIO III.

Vera, pia, catholica et fidei proxima est sententia, Deum, supposito etiam peccato originali, velle vere et sincere omnes et singulos homines, saltem adultos, salvos fieri, et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse, et sanguinem fudisse.

475. Illa enim sententia vera, pia, catholica ac fidei proxima censenda est, quae in Scriptura, traditione, et theologorum consensu fundatur; atqui talis est sententia nostra quoad utramque suam partem; ergo.

(1) Hic sedulo distingui debet spes a desperatione. Incertitudo utrum ipse inclusus sim in salvandorum numero an ab eodem sim exclusus, sufficit tantum ad hoc, ut non desperem, ast non sufficit, ut sperem, quia ad eliciendum firmissimae spei actum requiritur praeterea positivum spei fundamentum, seu motivum, quod omnino deest in sententia hic rejecta eorum, qui negant Deum velle omnium saltem fidelium salutem, et quidem sincere, et Christum pro his omnibus mortuum esse, ut patet.

476. Id 1. quoad primam partem, eruitur ex innumeris prope Scripturarum testimoniis, quae in medium adduci possent ex utroque foedere, ex. gr. Ezech. XXXIII, 11: *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat;* Is. V, 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?* Matth. XVIII, 11: *Venit Filius hominis salvare, quod perierat;* aliaque ejusmodi; quae certe, si illusoria non sunt, veram ex parte Dei voluntatem salvandi omnes supponunt. Unum urgemus Apostoli testimonium ex I Timoth., II, 1 et seqq., quod ita se habet: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* PRO OMNIBUS HOMINIBUS.... *hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui* OMNES HOMINES *vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum* PRO OMNIBUS. Atqui cum hic Apostolus dicit Deum velle, ut omnes homines salvi fiant, intelligit omnes et singulos, nemine excepto; ergo.

477. Etenim *a*) si accurate loquitur Apostolus, sique recte probat, in dubium revocari nequit ipsum tam late ac universim in v. 4 *omnes homines* sumere, quam in v. 1. *pro omnibus hominibus* late et universim sumpsit; ideo enim vult Apostolus *pro omnibus hominibus* orari a fidelibus, quia Deus *vult omnes homines salvos fieri*; sicut ergo pro omnibus prorsus hominibus, nemine excepto, nobis orandum esse asseruit v. 1, ut patet ex praxi ecclesiae Apostolum sic intelligentis, et fatetur ipse Estius (1), ita et in v. 4. affirmat Deum velle omnes prorsus homines, nemine excepto, salvos fieri.

(1) In hunc locum: « Neque sensus est, *inquit*, orandum esse pro omni genere hominum, ut quidam intelligunt, quia non tantum ad genera hominum respicit intentio Ecclesiae pro omnibus orantis, sed etiam

478. *b*) Id ipsum evincitur ex rationibus, quas adducit Apostolus vv. 5 et 6 ad probandum Deum velle omnium hominum salutem. Nimirum, quia ***unus est Deus*** omnium, et quia Jesus Christus omnium ***hominum mediator est***, et hic mediator noster dedit ***semetipsum redemptionem pro omnibus***; atqui Deus est omnium hominum, nemine excepto, creator; Jesus Christus est omnium hominum, nemine excluso, mediator; pro omnibus hominibus redimendis, nemine excepto, semetipsum obtulit hic mediator Dei et hominum; ergo Deus vult omnes homines, nemine excepto, salvare.

479. *c*) Idem evincitur ex generali Scripturas interpretandi regula a s. Augustino tradita, juxta quam sensu proprio et secundum totam latitudinem suam Scripturae verba intelligenda sunt, nisi alia Scripturae loca, aut evidens aliqua ratio vel potius traditio aliter exposcant; atqui tantum abest ut in casu nostro vel Scripturae vel ratio vel traditio exigant, ut voces universalissimae Apostoli *omnes* et *omnibus* restringantur ac coarctentur sive ad paucos, sive ad plurimos, ac voluntas Dei, de qua loquitur Apostolus, metaphorice accipiatur, ut contrarium potius exposcant, sicuti patet tum ex dictis tum ex dicendis, et propositum ipsum Apostoli, scilicet inducendi fideles ad orandum pro omnibus, necessario supponit; ergo (1) .... Sane apost. Petrus (Ep. II, cap.

ad singulos: cupit enim unumquemque salvum fieri, et non tantum ex singulis hominum generibus aliquos ».

(1) Dignus est qui legatur Bernardinus a Piconio, ex quo probationes nostras desumpsimus in *Triplici expositione* ad hunc locum, ubi clare et mirifice totam hanc Apostoli sententiam evolvit. Sic inter cetera ex sermonis contextu mentem Apostoli et sententiam evolvit: « Attendo, *ait*, ad Apostoli scopum et sermonis contextum. Primo, asseruit pro omnibus orandum esse. Haec propositio universalis est, et nullam prorsus suscipit exceptionem: nec enim nobis fas est quemquam ab orationibus nostris excludere; hoc fatetur etiam Estius. Secundo, ut hanc propositionem universalem probet Apostolus, seu, ut nos ad illam in praxi redigendam excitet, id est, ut nos excitet ad orandum pro omnibus, affirmat talem orationem bonam esse, et Deo gratam. Tertio, hoc ipsum, scilicet orari pro omnibus, pulchrum et gratum esse Deo, probat ex eo quod Deus Salvator noster *vult omnes homines sal-*

, ad omnem excludendam exceptionem ab hac Dei voluntate salvandi omnes, ait: *Nolens ali-rire, sed omnes ad poenitentiam reverti.*

2. Haec eadem veritas probatur ex constanti ec-universae traditione, cujus testes sunt patres, con-ipsa ecclesiae praxis. Jam vero patres graecos si-contrarios ultro fatetur Jansenius; hinc superva-ducimus eos commemorare. Quoad latinos, s. Au-, s. Prosper, auctor celebratissimus operis *De e gentium*, qui creditur ipse s. Prosper aut, si is placet, s. Leo M. consonant patribus graecis. Augustinus, *lib. De spiritu et littera*, cap. , haec habet: *Vult autem Deus omnes homi-vos fieri, et in cognitionem veritatis venire; tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo e vel male utentes, justissime judicentur.* Ex

et propterea vult ut ad ve-nitionem veniant. Affirmans stolus, *quod Deus vult om-es fieri salvos*, nobis con-reliquit, quod cum Deum o omnium hominum salu-e tunc conformamur volun-l Deo gratum et acceptum nnibus serio et sincere at-c ratiocinor: Si accurate Apostolus, sique recte pro-in dubium revocare nefas) et universaliter sumit in v. *homines*, quam in v. 1 late aliter sumpsit *pro omnibus*. Ideo enim vult Apostolus *us hominibus* orari a fide-*Deus vult omnes homi-ri*. Sicut ergo pro omnibus ominibus, nemine excepto, dum esse asseruit v. 1, ita affirmat Deum velle omnes omines, nemine excepto, i. *Deinde, rejectis tribus interpretationibus, con-*Cum omnes supradictae in-nes (nisi nostra vera sup-sint a D. Pauli mente alie-sque infringant argumen-tum, quod a simplici et litterali verborum sensu totam vim suam habet, concludo simpliciter et ad litteram credendum esse D. Paulo, gentium Apostolo, veritatisque doctori, formaliter et expresse dicenti: *Deus vult omnes homines salvos fieri*; credendum et D. Petro Apostolorum Principi, Ecclesiae fundamento et veritatis columnae confirmanti Paulum et quasi explicanti. *Deus vult omnes homines salvos fieri*; ait Paulus: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, ait D. Petrus, II. epist. cap III, 9. Ecce veritatem eamdem propositionibus acque universalibus, tum affirmativis tum negativis, a duobus praecipuis Apostolis formaliter expressam, et multis a D. Paulo rationibus probatam v. 5, 6. Agnoscamus itaque veritatem, etc ». Deinde ostendit hanc voluntatem non *signi* tantum esse, sed *beneplaciti*, et in Deo, qua scilicet Deus vere, sincere et serio vult et cupit omnium salutem, imo et ex parte sua efficaciter, etsi non absolute, sed conditionate, si ipsi velint ope gratiae cooperari.

omnes homines (reatus peccati pertransiit) *in condemnationem*, *sic et per unius justitiam in omnes homines* (redemptio pertransiit, quantum est ex parte Christi) *in justificationem vitae*; et clarius (II Cor. V, 14): *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Unde sic ratiocinamur: Ex Apostolo pro iis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adam; atqui omnes homines (B. V. Maria ex singulari privilegio excepta) et singuli in Adam mortui sunt; ergo pro omnibus et singulis mortuus est Christus.

485. Quod confirmatur tum ex aliis S. Scripturae locis, ex. gr. I Joan. II, 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (id est omnium fidelium); *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, et alibi passim; tum ex patribus. Sic s. Leo M. *Serm. I de nativ.* cap. I: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit* (1). S. Ambrosius, *Serm. VIII in Psalm. CXIII*, num. 57: *Sol ille justitiae*, inquit, *omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit.... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se fraudavit* (2). S. Augustinus: *Enarr. in Psalm. XCV*, num. 15. *Judicabit*, inquit, *orbem terrarum in aequitate non partem, quia non partem emit; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit*; et alibi passim, praesertim *Contra Julianum*, lib. XI, cap. IV, ubi, ut ostendat omnes contraxisse peccatum originale, morte Christi pro omnibus utitur tanquam medio demonstrationis, dicens: *Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit* (Apostolus), *ut intelligantur omnes mortui, si pro*

(1) Edit. Ballerin. sermon. XXI.
(2) Dignus est, ut integer hic textus legatur.

omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse christianum. Nisi ergo certum exploratumque fuisset tunc temporis apud omnes, Christum reipsa pro omnibus, nemine excepto, mortuum esse, nullius roboris fuisset argumentum s. Augustini ad adstruendam in omnes et singulos, nemine excepto, peccati originalis propagationem. Neque aliter sentit ejus discipulus s. Prosper, qui in *Responsione ad IX Capit. Gallorum* ait: « Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit .... dedit pro mundo sanguinem suum, et mundus redimi noluit ». Ergo ex s. Doctore Christus pro omnibus crucifixus est, et omnes, nemine excepto, quantum est ex seipso, salvavit, licet de facto non salventur, nisi qui sibi per bona opera, gratia praeveniente facta, applicant communem istum redemptionis fructum. Quod consentaneum est doctrinae concilii Tridentini, dicentis sess. VI, cap. III: « Verum, etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur ». Certe, si qui sunt, pro quorum salute Christus non est mortuus, sunt ii, quibus meritum passionis ejus non communicatur; atqui ex Tridentino etiam pro istis mortuus est Christus; ergo, quum Tridentinum ait Christum pro omnibus mortuum esse, manifeste intelligit omnes omnino, nemine prorsus excepto.

DIFFICULTATES

Adversus voluntatem Dei salvandi omnes

486. I. Obj. 1. Si ex Scriptura constaret Deum velle omnium omnino salutem, ideo esset, quia interdum legitur Deum velle *omnes* salvos fieri; atqui 2. haec ratio nulla est, quia vox *omnis* non omnes reipsa significat, sed *multos*, ut Gen. VI, 12: *Omnis caro corruperat viam suam*; et alibi passim. 3. Ex eo omne dubium prorsus tollitur, quod Scriptura ipsa aperte contrarium supponat, cum antecedenter ad omne meritum dicatur (Malach. I, 2, 3): *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, et (Exod. X, 27): *Induravit Dominus cor Pharaonis;* ergo.

487. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Ideo *etiam* esset, *C.* ideo *tantum* esset *N.* Nam id evicimus praesertim ex antithesi inter Christum et Adam, quam Apostolus instituit, nec non ex eo quod s. Petrus aperte tradat quo sensu velit Deus omnes salvos fieri, quia scilicet non vult *aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*; ac demum quia sic ecclesiae patres, imo et ecclesia ipsa citata a nobis testimonia interpretantur juxta genuinam ipsorum vim.

488. Ad 2. *Neg.* Ad prob. *D.* Aliquando, *C.* semper ac praecise in casu nostro *N.*

489. Ad 3. *Neg.* Ad 1. autem prob. *D.* Deus Esau odio habuit, comparate ad majorem dilectionem suam erga Jacob, et quidem in ordine ad bona temporalia, *C.* absolute et in ordine ad aeternam salutem *N.* (1). Quod si Apostolus (Rom. IX, 13) Malachiae verba refert ad

(1) Cfr. Corn. a Lapide ad hunc locum num. 54 et seqq. et ex ipso Tirinus.

ostendendam gratuitam Dei vocationem ad fidem, refert tantum ut typum, quemadmodum patet ex contextu (1).

490. Ad 2. prob. *D.* Induravit negative, speciales gratias non concedendo, vel indirecte, *C.* positive et directe *N.* Induravit enim, ut inquit s. Augustinus, *non cor illorum* (aegyptiorum) *malum faciendo, sed populo suo benefaciendo cor illorum sponte malum convertit ad odium* (2).

491. I. Inst. S. Augustinus Apostoli testimonium: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, cum arctatione et limitatione interpretatur, et quidem triplici ratione: 1. in lib. *De praedestinatione Sanctorum*, cap. VIII, ubi ait Deum velle omnes homines salvos fieri, quatenus vult omnes salvari, qui reipsa salvantur, id est omnes electos; 2. in *Enchirid.* cap. CV, ubi tradit illud *omnes* in textu Apostoli sumi de generibus singulorum, non de singulis generum, seu distributive; 3. lib. *De correpl. et grat.* cap. XV, ubi Apostolum intelligit de voluntate salvandi omnes homines non formali, sed causali, in quantum Deus facit nos velle salutem omnium hominum; ergo.

492. Resp. *Dist. antec.* Ut excludat expositionem pelagianorum et semipelagianorum, *C.* ut excludat nostram interpretationem de voluntate generali et antecedente *N.* Voluntatem enim Dei generalem ac antecedentem salvandi omnes homines s Augustinus nunquam inficiatus est, imo perpetuo eam supponit, ubi agit de morte Christi pro omnibus, de gratia sufficienti omnibus collata, et in locis a nobis superius citatis; sed reprobavit abusum istius textus sive ex parte pelagianorum, qui ex eo concludebant Deum velle omnium salutem, si homines velint salvari, at *propriis viribus*, non viribus gratiae,

(1) Cfr. Bernard. a Piconio in *Tripl. expos.* ad hunc locum. vide *Dissert. crit. in s. Thom.* P. De Rubeis Ord. Praed. Diss. VI, cap. 7.

(2) *Enarr. in Psal.* CIV, num. 17;

cujus necessitatem illi negabant, sive ex parte semipelagianorum, qui admittebant quidem necessitatem gratiae ad opus bonum ponendum; sed non ad desiderandum, volendum, inchoandum; sive ex eo, quod nullam peculiarem Dei praedilectionem erga electos praedicti haeretici agnoscerent, docentes Deum *aeque* velle omnes homines salvos fieri, et quidem voluntate absolute efficaci ex parte sua. Quare merito reponebat s. Augustinus Deum voluntate absoluta, efficaci ac consequenti velle salvos fieri solos electos.

493. II. Inst. S. Augustinus constanter tanquam pelagianam rejecit et confutavit hanc generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines.

494. Resp. *Dist. antec.* Istorum sensu intellectam, *C.* sensu catholico *N.*

495. III. Inst. Ergo hoc ipso, quod voluntas ista generalis pelagianis ac semipelagianis perplacuerit, suspecta est, ideoque rejicienda.

496. Resp. *neg.* sequelam. Nam constat *non omnia, quae haeretici docent*, inquit ipse Jansenius, *de Grat. Chr.* lib. VIII, cap 21, *esse haeretica*; *mos enim solemnis omnium haereticorum est, ut falsis vera misceant, miscendoque perturbent omnia, quo venenum quasi melle circumlitum ab incautis cum securitate hauriatur* (1). Hinc, prout erronea est, juxta pelagianorum placita est rejicienda ejusmodi generalis voluntas, prout catholica est, juxta catholicorum principia retineri debet.

497. IV. Inst. Tam stupidi pelagiani non erant, ut

(1) Sic etiam Bossuet, *Préface sur l'explic. de l'Apocalypse*, fatetur omnem errorem fundari in veritate, qua quis abutitur. Sic Massilon, *Disc. sur la vérité de la Relig.*, 1. point, addit non esse errorem nisi vitiosam veritatis imitationem; hinc Comes de Maistre in op. *Eclaircissement sur les sacrifices*. chap. 3, in annotatione: « L'erreur, *inquit*, ne peut être que la vérité corrompue, c'est-à-dire une pensée procédante d'un principe intelligent plus ou moins dégradé ».

admitterent in Deo voluntatem efficacem salvandi omnes homines quantum in ipso est, quae tamen non impleatur; non enim ignorabant efficacem voluntatem Dei semper impleri; ergo in eo errabant, quod admitterent generalem illam voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, si ipsi voluerint.

498. Resp. *Trans. antec. Dist. conseq.* Ergo in eo errabant, quod admitterent generalem illam voluntatem salvandi omnes homines, si ipsi voluerint *viribus naturae*, *C. viribus gratiae N.* Hic enim est primarius ipsorum error, quem perpetuo impugnat s. Augustinus.

499. V. Inst. Voluntas antecedens et conditionata non semper impletur; atqui s. Augustinus nullam in Deo agnovit veram voluntatem, quae non impleatur. Nam in *Enchiridio*, cap. XCV, ait: *In clarissima sapientiae luce videbitur.... quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei; quam multa possit et non velit, nihil autem velit, quod non possit; quamque sit verum, quod in psalmo canitur: Omnia quaecumque voluit, fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit et non fecit; et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam, ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Quod nisi credamus, subdit, cap. XCVI, *periclitatur ipsum nostrae confessionis initium, qua nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur.* Quod, cap. XCVII, confirmat exemplo parvulorum, qui sine baptismo decedunt, de quibus dici non potest, quod salvi facti non fuerint, *eo quod noluerint;* et adductis Christi verbis: *Quoties volui congregare filios tuos... et noluisti*, interrogat: *Et ubi est illa omnipotentia, quae in coelo et in terra omnia, quaecumque voluit, fecit, si colligere filios Jerusalem voluit et non fecit?* Demum, cap. CIII, expositis tribus superius memoratis interpretationibus apostolici textus, *Deus vult*, etc. addit aliam quamcumque eorum verborum ex-

positionem admitti posse, *dum tamen credere non cogamur, aliquid Deum omnipotentem voluisse fieri, factumque non esse;* ergo

500. Resp. *Dist. min.* S. Augustinus nullam agnovit in Deo veram voluntatem, quae simpliciter absoluta sit, consequens et efficax, quaeque non impleatur, *C.* nullam veram voluntatem, quaeque ex parte Dei sit efficax, et conditionata ex parte crèaturae *N.* Id patet ex proposito s. Augustini in objectis locis refellendi pelagianos, qui nullam voluntatem absolutam, efficacem et consequentem salvandi electos admittebant, sed omnem Dei voluntatem conditionatam posuerunt, conditione se tenente ex parte creaturae, et quidem ex *solis viribus* liberi arbitrii, addentes Deum non posse hominem salvare sine his naturalibus conditionibus; ad hunc autem errorem confirmandum abutebantur textu Apostoli et verbis Christi: *Quoties volui... et noluisti.* Ceterum s. Augustinum hanc generalem voluntatem antecedentem et efficacem ex parte Dei, conditionatam autem ex parte hominis, omnes salvandi agnovisse patet ex eodem *Enchiridio*, cap. CII, ubi eodem modo loquitur s. Doctor de voluntate Dei salvandi homines ac de voluntate salvandi omnes angelos; atqui Jansenio ipso fatente, *De grat. Chr.* lib. X, cap. I, Deus habuit *generalem voluntatem benevolentiae erga omnes angelos, ex qua, quantum in se est, omnium beatitudinem aeternam voluit, omnibusque propterea beatitudinis consequendae media sufficientissima largitus est*; qui tamen non omnes salvati sunt, neque in omnibus impleta fuit haec Dei voluntas; ergo.

501. VI. Inst. Ille censendus non est velle omnium salutem voluntate etiam conditionata, qui cum per ipsum stet ponere conditionem, per collationem nempe gratiae efficacis, eam non ponit, atqui...; ergo.

502. Resp. *Dist. Maj.* Si conditio ab ipso solo pendeat, *C.* si ab alio simul *N.* Sic *dist. min.* Deus potest

nere conditionem largiendo gratiam efficacem, quae empe talis sit in actu secundo, ut dicitur, seu ex liero hominis consensu, *C.* quae talis sit in actu primo, u a se efficax in sensu Jansenii, quaeque necessitatem ferat voluntati *N.* Sufficit proinde ex parte Dei, ut ipse ici possit veram habere voluntatem antecedentem salndi omnes homines, si omnibus hominibus largiar gratias *vere* sufficientes, quibus si homines consenrint, de facto salutem consequantur; quod Deus utique raestat, ut suo loco ostendemus, prout Jansenio ipso fante praestitit relate ad omnes angelos.

503. VII. Inst. Voluntas illa Dei antecedens et volun s altera consequens pugnare inter se videntur; sic enim eus vellet et non vellet omnes homines salvare; ergo.

504. Resp. *D. A.* Pugnare inter se viderentur, si verrentur circa idem objectum, et *sub eodem respectu* ectatum, *C.* si *sub diverso respectu N.* Addatur Deum, xta Jansenium, utramque voluntatem habuisse circa anelos ac primum hominem.

505. II. Obj. 1. Ex s. Thoma voluntas antecedens ea t, quae praescindit a circumstantiis omnibus creaturae, 2. qualem habet judex salvandi hominem homicidam; naeque 3. non habet effectum, nisi voluntas consequens ljungatur, ut ipse loquitur in *Lib. I. Sentent.* dist. LVII, q. 1, a 2, et quae 4. juxta eumdem doctorem p. , q. 19, a. 6, ad 1; appellanda est potius *velleitas*, seu oluntas secundum quid, quam vera voluntas; ergo ex Thoma haec Dei voluntas, quae antecedit peccatum riginale, sterilis est et otiosa velleitas, et 5. merae complacentiae, qualis est illa, qua Deus vult etiam daemoum ac damnatorum salutem.

506. Resp. ad 1. *D.* Praescindit a circumstantiis creaurae *personalibus* meriti vel demeriti, consensus vel disensus gratiae, et particularibus, *C.* a circumstantiis naurae communibus, nempe peccati originalis *N.* Nam

s. Doctor in priore ex duobus laudatis locis aperte docet voluntatem Dei consequentem esse eam, *quae supponit praescientiam operum* ; ergo antecedens Dei voluntas juxta ipsum ea est, quae praescindit ab hac *praescientia operum*, et, ut ibidem loquitur, quae praescindit ab eo utrum aliquis *consentiat an resistat gratiae divinae.*

507. Ad 2. *D.* Si esset adaequata similitudo, *C.* si inadaequata, *N.* Jam vero, prout exponit ipse Gonet, haec similitudo adaequata non est quantum ad omnia, sed solum quantum ad aliquid. Hinc judex ut provisor particularis nulla media praeparat reo, quibus ipse capitis poenam evadere possit; e contrario Deus ut provisor generalis per voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines salvos fieri, dat omnibus media sufficientia ac necessaria ad salutem (1).

508. Ad 3. *D.* Principalem, nempe salutem, *C.* minus principalem, collationem scilicet gratiae necessariae ad salutem *N.*

509. Ad 4. *D.* Comparate ad voluntatem consequentem, *consideratis*, ut ipse ibidem loquitur, *omnibus circumstantiis particularibus*, *C.* in se *N.* Quod adeo verum est ex mente s. Doctoris, ut juxta ipsum voluntas beneplaciti, licet antecedens, actuosa sit, et *cujus effectus*, inquit loc. cit., *est ipse ordo naturae in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita.* Quare semper sibi cohaerens s. Doctor, tum alibi, tum *Cont. gent.* lib. III, cap. CLIX, subdit: « Deus quantum in se est,

(1) Gonet tom. 1, disp. 4, *De volunt. Dei* a. 3, § 2, n. 83 ubi cum sibi opposuisset exemplum, seu paritatem mercatoris qui non censetur habere voluntatem sinceram conservandi merces dum eas projicit in mare ad naufragium vitandum, respondet nego paritatem; « Quia mercator, *inquit*, est aliqua persona particularis quae solum intendit bonum particulare et utile, non vero bonum commune et generale totius universi; unde si ille posset adhibere media efficacia ad conservationem mercium, imminente tempestate, et ea tamen respueret, vel negligeret, non censeretur habere voluntatem veram et sinceram de illarum conservatione. Deus autem est causa generalis et universalis provisor, etc ». Cfr. ibid.

paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur I ad Tim. II. Sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant; sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniantur ». Ex quibus obiter observamus non esse dumtaxat molinistarum, ut quidam dixerunt, *larga manu auxilia sufficientia omnibus conferre.*

510. Ad 5. *D.* Id est qualem vere habuit ante ipsorum damnationem, *C.* post damnationem *N.*

511. Inst. 1. Voluntas conditionata est Deo indigna. Sane 2. si Deus reipsa vellet omnium omnino salutem, inutile foret ipsum orare pro omnium salute; jam vero ex Apostolo debemus pro omnibus orare; ergo.

512. Resp. ad 1. *D.* Conditione se tenente ex parte ipsius Dei, *Tr.* vel *C.* ex parte objecti *N.*

513. Ad 2. *Neg. maj.* Deus enim potest velle omnium salutem sub conditione orationis nostrae. Addo nos orare pro ecclesia, pro pane quotidiano, licet Deus et ecclesiae firmitatem et panem promiserit (1).

DIFFICULTATES

Adversus mortem Christi pro omnibus

514. I. Obj. Si constaret Christum pro omnibus reipsa mortuum esse, ideo esset, quia passim in Scripturis legitur pro omnibus Christum passum esse, dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus, aliaque ejusmodi. Atqui ex his vocibus *omnes*, *omnibus*, etc. nihil confici potest; cum exploratum sit ejusmodi voces vel ad paucos

(1) Cons. Tournely, *De Deo*, q. XIX, art. 10, concl. 3.

restringi vel ad multos; sic Joan. XII, 32, dicitur: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum;* Joan. I, 9: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; I Cor. XV, 22, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*; licet de facto Christus nec ad se omnes traxerit, nec omnes illuminet, nec omnes vivificet; ergo.

515. Resp. *Dist. maj.* Etiam, *C.* tantum *N.* Recolantur dicta in probationibus. *Neg. min.* Ad prob. *D.* Scriptura has voces saepe restringit ac limitat, *Tr.* semper et in casu nostro *N.* Absurdum enim est concludere nunquam in vera sua significatione ac latitudine accipi voces *omnes*, etc., ex eo quod eaedem voces interdum limitentur.

516. I. Inst. Scriptura in casu nostro hanc vocem limitat, si expresse affirmat Christum pro *multis* dumtaxat mortuum esse; atqui.... Etenim Matth. XX, 28, Christus testatur se venisse *animam suam dare redemptionem* pro multis; et cap XXVI, 28: *Hic est sanguis Novi Testamenti, qui* pro multis *effundetur in remissionem peccatorum*, seu prout legitur apud s. Lucam cap. XXII, 20; *Qui* pro vobis *fundetur*, et Hebr. IX, 28: *Christus semel oblatus est ad* multorum *exhaurienda peccata;* ergo.

517. Resp. *Dist. maj.* Si expresse affirmet Christum *pro multis* mortuum esse, ita ut vox *multis* supponat pro *omnibus*, *C.* pro multis tantum, *subdist.* effective, *C.* affective *N. Dist.* pariter minorem. Itaque observat ipsemet Augustinus, *Op. imperf.* lib. II, cap. CLXXV: *Non repugnare* omnes *multos significare, quia ipsi omnes non pauci, sed multi sunt.* Deinde concedimus Christum reipsa quoad effectum, seu salutem in actu secundo, non mortuum esse nisi pro multis, quia de facto non omnes salvantur; sed contendimus eum quoad affe-

ctum, seu intentionem suam in ordine ad media salutis omnibus obtinenda et applicanda, pro omnibus, nemine excepto, mortuum esse. Quod si non omnes salvantur id ex culpa solum reproborum est (1). Nec praetereundum est, ex collatione textus s. Matthaei cum textu s. Lucae evidenter constare, Christum etiam pro reprobis sanguinem fudisse; siquidem Judas reprobus, prout fert communis sententia, erat unus ex communicantibus, et tamen Christus dicit: *Pro vobis fundetur*; ergo.

518. II. Inst. Atqui Scriptura restringit vocem *omnes* ad multos, ut multorum nomine non veniant nisi electi; nam Apoc. V, 9 dicitur: *Redemisti* nos *Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua*, etc. et Joan. X, 15: *animam meam pono pro ovibus meis* (2), et aliis omissis Matth. XV, 24, Christus aperte declarat se non esse missum, *nisi ad oves, quae perierunt domus Israel*; ergo.

519. Resp. *Dist. antec. Nisi electi* quoad efficaciam in actu secundo, seu quoad effectum, *C.* quoad efficaciam in actu primo, seu quoad affectum, et gratiae necessariae largitionem *N.* Responsio patet ex dictis. Quum igitur Scriptura redemptionis beneficium restringere videtur, sive cum dicit Christum mortuum esse pro electis, vel pro ovibus suis, ut in locis citatis, sive quum alibi dicit eum mortuum esse pro credentibus, *ut* omnis, *qui credit in eum*, *non pereat*, vel pro iis, qui sunt in ecclesia: *Tradidit semetipsum* pro ea; haec di-

(1) Atque hic illorum solutio, quam plures tamen dare solent, non videtur satis accurata, quum dicunt Christum mortuum esse pro omnibus quoad *sufficientiam*, non tamen quoad *efficientiam* sive effectum. Si enim sermo esset tantum de sufficientia pretii a Christo soluti, jam nulla superesset controversia cum jansenistis. Ipsi enim ultro dant, pretium sanguinis Christi sufficiens esse ad omnium solvenda peccata, imo et damnatorum et daemonum etiam. Sed controversia est, utrum Christus tale pretium solverit ad promerendum omnibus gratias necessarias ad salutem, nec ne; et praeterea an eas ita promeruerit ex intentione eas reipsa omnibus *conferendi*, et non solum *offerendi*, quin reipsa tribuat, ut nonnulli autumant.

(2) Τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων, ubi observandum in graeco textu non haberi *meis*.

cuntur non in sensu *exclusivo*, sed *praecisivo*, id est, praecise affirmat Scriptura Christum mortuum esse pro electis in sensu a nobis exposito, nec tamen negat ipsum mortuum etiam esse pro ceteris, sed solum ibi de illis reticet, quod alibi non semel, ut vidimus, clare inculcat. Christus proinde *redemit omnes*, *vocavit multos*, *salvavit paucos*, quia omnes suo modo vocantur, multi credunt, et pauci perseverare volunt.

520. III. Inst. Pro illis solis mortuus est Christus pro quibus oravit; atqui oravit pro solis praedestinatis; nam Joan. XVII, 9, Christus sic Patrem orat: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi;* ergo.

521. Resp. *Dist. maj.* Oravit pro solis apostolis, seu pro solis praedestinatis, hac singulari oratione, *Tr.* nunquam oravit pro omnibus *N.* Hinc dato etiam, quod in citatis locis Christus oraverit pro omnibus et solis praedestinatis, nihil inde concludi potest, nisi probetur Christum nunquam pro aliis orasse. At vero tantum abest, ut hoc probetur, ut potius contrarium constet: nam in hac eadem oratione v. 20. orat pro omnibus credituris, dicens; *Non pro eis autem rogo tantum, sed et* pro eis, *qui credituri sunt per verbum eorum in me*; v. 21 orat, *ut mundus credat, quia tu me misisti*; Luc. XXIII, 34. orat pro suis tortoribus; *Pater dimitte illis*; et alibi legimus: *Erat pernoctans in oratione Dei* (Luc. VI, 12); ergo.

522. IV. Inst. 1. Si Christus orasset pro omnibus, omnibus de facto obtinuisset salutem, cum Christi oratio semper exaudita fuerit a Patre: *Ego sciebam*, ait ipse Christus, Joan. XI, 42, *quia semper me audis*, et Hebr. V, 7 de Christo dicitur: *Exauditus est pro sua reverentia*; atqui non omnes salvantur; 2. concludendum est igitur cum Jansenio Christum orasse pro quibusdam, ut salvarentur, pro aliis, ut justificarentur, pro aliis, ut crederent sine charitate, et eodem modo pro his

tribus classibus passum et mortuum fuisse (1); et sic omnia cohaerent.

523. Resp. Ad 1. *Dist. maj.* Si Christus non semper orasset consentanee cum voluntate Patris, *C.* si semper oravit consentanee cum Patris voluntate *N.* Jam vero quum in Patre seu in Deo duplex distinguatur voluntas antecedens et consequens, juxta dicta, relate ad hominum salutem, hinc Christus pro duplici illa divina voluntate semper oravit, semperque exauditus est. Id manifestum fit ex ipsius oratione, quam fudit in horto dicens: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; quae oratio erat conditionata et conformis voluntati Patris. Quum igitur voluntas Dei antecedens sit, ut omnes salventur, consequens vero praevisionem meritorum, ut non salventur, nisi qui gratiis usque ad mortem bene usi fuerint; hinc Christus eodem sensu oravit et exauditus est; etsi non omnes de facto salventur.

524. Ad 2. *D.* In ordine tamen ad salutem ab ipso intentam, quam credentes et justificati, bene utendo gratiis sibi concessis, possint obtinere, *C.* ut non consequerentur nisi gratias temporales fidei et justificationis per exclusionem salutis *N.* Hoc enim abhorret a Dei idea, qui non alio fine ejusmodi gratias largiretur, nisi ut homines deterius damnarentur.

525. V. Inst. Juxta s. August. *De civitate Dei*, lib. XXI, cap. XXIV: *Si de aliquibus certa esset* (ecclesia), *quod praedestinati sint in aeternum ignem ire cum diabolo*, 1. *tam pro eis non oraret quam nec pro ipso.* Atqui Christus noverat reprobos ad aeternum ignem destinatos. Ergo pro eis non oravit, 2. imo nec mortuus est; alioquin poenas luisset peccatis reproborum debitas, qui proinde jam damnari non possent.

(1) *De gratia Chr.* lib. III, cap. 21, p. 164, col. 2.

526. Resp. ad 1. *Dist. maj.* Non oraret consequenter ad praevisam eorum damnationem, *C.* non oraret antecedenter ad ejusmodi praevisionem, *N.* Sic *dist. conseq.* Christus pro eis non oravit consequenter ad praevisam eorum damnationem, *C.* antecedenter ac praecisione facta ab usu vel non usu gratiarum, quas ipsis promeritus est *N.* Reprobatio enim non est nisi effectus abusus seu non usus gratiarum; gratias autem ad salutem necessarias Deus, ex s. Thoma loc. cit. et ut nos suo loco ostendemus, omnibus concedit quia vult omnes homines salvos fieri, misitque Filium suum, ut daret semetipsum pro omnibus; proprio enim filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ut ait s. Paulus (Rom. VIII, 32), ut quemadmodum omnes in Adam mortui sunt, sic in Christo, quantum ex se erat, vivificarentur.

527. Ad 2. *D.* Poenas peccatis reproborum debitas luisset conditionate, *C.* absolute *N.* Nempe Christus passione sua meruit pro omnibus gratias, quibus homines bene utentes applicarent sibi merita mortis suae; quae conditio si ab hominibus impletur, remissionem peccatorum consequuntur et salvantur; si non impletur, damnantur et pereunt, prout damnantur reprobi, qui conditionem istam non implent, et ideo non implent, quia *nolunt* implere, ita ut nemo dicere possit: *Per Deum abest* (Eccli. XV, 11), quominus salvus sit.

528. II. Obj. Ex ss. patribus. S. August. *Tract. I, in epist. Joan.* num. 8, expendens verba illa: *Ipse est propitiatio.... pro totius mundi*, intelligit mundi nomine *ecclesiam*, pro qua sola Christus mortuus est; *Tract.* autem *LII in Joan.* expendens illud Christi: *Omnia traham ad me ipsum*, exponit de *omnibus praedestinatis*; sic lib. XXI, *De civitate Dei*, cap. XXIV, exponens verba Apostoli, Rom. XI: *Conclusit omnia in incredulitate, ut* omnium *misereatur*, ait: *Omnium*

itaque miseretur vasorum misericordiae .... eorum scilicet, quos ex gentibus, et eorum quos ex Judaeis praedestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus; quia, ut scribit ad Evodium, *Epist. CLXIX*, alias *CII*: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*; atque ut habet *De adult. conjugiis*, lib. I, cap. XV: *Omnis, qui sanguine Christi redemptus est, homo est; non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est.* Ergo juxta s. Augustinum Christus pro solis credentibus, seu pro solis potius praedestinatis mortuus est. Addi possunt Prudentius episcopus Trecensis in *Tractatoria*; nec non s. Remigius episcopus Lugdunensis in lib. *De tribus epistolis*, et in lib. *De tuenda veritate Scripturae*, ubi capitulum IV Carisiacum, de Christi morte pro omnibus, velut absurdum et erroneum reprehendit; item concilium Valentinum III, damnans eumdem canonem Carisiacum, definiensque Christum pro solis credentibus mortuum esse; synodi Lingonensis et Tullensis, quarum capitula confirmavit Nicolaus I (1); ergo.

529. Resp. 1. Ergo juxta citatos auctores Christus saltem mortuus est etiam pro reprobis fidelibus, ac proinde non pro solis praedestinatis, ut cum praedestinatianis contendit Jansenius.

530. Resp. 2. *Dist. cons.* Ergo juxta allatas patrum et conciliorum auctoritates Christus pro solis credentibus mortuus est, imo pro electis, ad obtinendum eis de facto fidem vel salutem cohaerenter ad voluntatem Dei consequentem, *C.* pro solis credentibus vel electis mortuus est ad exceptionem infidelium et reproborum, ita ut eis non promeruerit media sive gratias necessarias ad fidem ac salutem cohaerenter ad voluntatem Dei antecedentem

(1) Jans. tom. III, lib. III, cap. 21. pag. 103, col. 2. A. Item pag. 165, col. 2, C.

N. Dummodo haec principia probe teneantur, difficile non est illas patrum ac conciliorum sententias, quae specie sibi contrariae videntur, conciliare.

531. Neque omittendum est, 1. propositum patrum et conciliorum, quae nobis opponuntur, esse pelagianorum ac semipelagianorum erroneam et haereticam evertere doctrinam de aequali Dei et Christi affectu erga omnes sive praedestinatos sive reprobos, adeo ut utrorumque discretio, ut saepius diximus, *a solis pendeat naturae viribus.*

532. 2. Has auctoritates, si ad vivum resecari deberent, aeque premere adversarios, qui concedunt Christum obtinuisse reprobis gratias saltem temporales.

533. 3. Capitulum IV Carisiacum damnatum fuisse tum a synodis Valentina ac Tullensi tum a s. Remigio Lugdunensi errore facti deceptis, eo quod putaverint eo sensu concilium Carisiacum definivisse Christum pro omnibus mortuum esse, ut mortuus pariter fuerit pro daemonibus ac damnatis (1). Prudentius autem Trecensis nullius hac in parte auctoritatis est, utpote qui ad errores praedestinatianorum declinaverit.

PROPOSITIO III.

Deus voluntate seria et antecedente vult etiam infantes decedentes sine baptismate salvos fieri, et Christus pro iisdem mortuus est

534. Haec propositio pia est et communis inter theologos; nam eadem argumenta, quae militant pro generali Dei voluntate salvandi omnes prorsus adultos, aeque

(1) Patet ex ipsis verbis can. IV, Conc. Valent. III, apud Labbeum, tom. VIII, col. 136, et can. IV, Conc. Tullens. iisdem verbis concepti ac can. IV. Syn. Valent. ibid. fol. 690. Cfr. de hoc arg. Petav. lib. XVIII, *De incarnat.* cap. 8 et seqq.; et Caroli du Plessis d'Argentré soc. Sorbon. *Commentarium historicum de praedestinat. ad gloriam et reprobat.* capp. 7 et 8. Lut. Par. 1709.

militant pro voluntate Dei salvandi omnes infantes, quamumque demum ratione ex hac vita sine baptismo eripiantur; imo majorem quodammodo vim pro infantium salute praeseferre videntur, quatenus infantes ea impedimenta divinae gratiae non opponunt, quorum tamen salutem Deum, quantum ex se est, vere exoptare ac velle ostendimus.

535. Quare generali hoc solo argumento hanc propositionem evincimus: Deus sincere vult etiam istorum infantium salutem, si Christus et pro his infantibus sanguinem suum fudit ac mortuus est, ut ipsi pariter in eo vivificarentur; atqui....

536. Jam vero minor evidenter patet ex auctoritate Apostoli, II Cor. V, 14, 15: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus.* In quae verba haec habet s. Augustinus, *Op. imp. contra Julianum*, lib. I, cap. LXIV; *Unus pro omnibus mortuus; ergo omnes mortui sunt. Conclusio haec Apostoli invicta est, ac per hoc*, QUIA ET PRO PARVULIS MORTUUS EST, *profecto etiam parvuli mortui sunt.* Et ibid. lib. II, cap. CLXIII: *Clamat Apostolus: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est; et vos reclamatis: non sunt mortui parvuli; reclamate et quod sequitur: ergo non pro ipsis mortuus est;* ergo.

537. Ad praeoccupandas adversariorum difficultates notandum est hanc Dei voluntatem antecedentem sub duplici respectu conditionatam dici posse; tum scilicet ex parte parentum, tum ex parte ordinarii naturae cursus; quatenus Deus, quantum ex se est, velit quidem et hos salvos fieri, et applicari ipsis media illa generalia, quae et pro ipsis praeparavit, dummodo tamen non obsistat reali istorum applicationi aut perversa parentum voluntas aut aliqua ipsorum culpa ac negligentia, vel dummodo non obstet ordinarius naturae cursus, quem ipse utpote pro-

visor universalis non vult perturbare et impedire, ut istis infantibus in particulari salutis media de facto applicentur ; alioquin perpetuo ad miracula confugere deberet. Hinc antecedens haec Dei voluntas juxta nostrum concipiendi modum ratione prior est praevisione istorum impedimentorum ; e contrario voluntas Dei consequens circa effectivam infantium salutem et perditionem ea est, quae eorumdem impedimentorum praevisionem subsequitur.

DIFFICULTATES

538. I. Obj. 1. Deus non vult salutem illorum, quibus nulla praeparavit aut confert media ad salutem consequendam idonea ; atqui tales saltem infantes sunt in utero matris morientes; ergo.

539. Resp. *Dist. maj.* Quibus nulla praeparavit aut confert media ad salutem consequendam idonea nec immediate neque mediate, *Tr.* saltem mediate *N.* Tales sunt infantes isti, quorum parentibus Deus auxilium sufficiens et idoneum confert pro loco et tempore, quo non solum propriae, sed etiam saluti filiorum prospiciant. Ita auctor librorum *De vocat. gentium*, lib II, cap. XXIII: *Non irreligiose arbitror credi*, inquit, *neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae universis semper est impensa nationibus, qua utique, si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Semper propterea supponitur aliqua culpa ex parte parentum aliorumve quorum curae commissi sunt, ob quam infantes decedunt sine regenerationis lavacro.

540. Resp. 2. *Dist. maj.* Non praeparavit media ad salutem *idonea* ex defectu parentum, vel naturalis causarum secundarum ordinis quem Deus ut provisor universalis impedire non vult, *C.* ex defectu conferentis, nempe Dei *N.* S. Thomas in lib. IV. *Sent.* dist. VI, q. 1, art. I

ad 1 : *Dicendum*, inquit, *quod non ex defectu divinae misericordiae* (infantibus) *in maternis uteris existentibus remedium non exhibetur; sed quia non sunt capaces illius remedii... quia non possunt subjici operationi ministrorum Ecclesiae, per quos talia remedia ministrantur.* Quia scilicet, ut observat Suarez, *De providentia gratiae circa reprobos*, lib. IV, cap. IV, num. 10, divinae voluntatis affectus circa aeternam salutem horum parvulorum habet rationem cujusdam intentionis illius finis, *quatenus per media comparari potest*, seu, ut loquitur n. 12, *per quae salus applicari solet* (1). Utraque responsio bona est; eam quilibet seligat, quae magis sibi arriserit.

541. II. Obj. S. Augustinus sensit Deum nullo modo velle istorum infantium salutem; ceteris enim locis praetermissis, *Ep. CCXVII* ad Vitalem, num. 17, ita lo-

(1) Cfr. *De providentia grat.* lib. IV, cap. 4, ubi fuse haec evolvitur materia, et rejecta illorum theologorum sententia, qui voluntatem Dei circa horum infantium salutem exponunt de mera quadam complacentia, quae reperiri in Deo potest etiam quoad damnatos, pergit eximius doctor extendere, quomodo vera ac proprie dicta sit in Deo voluntas circa salutem talium infantium, et quomodo vere ac proprie pro iisdem Christus mortuus fuerit, etsi salutem et fructum Christi mortis de facto non consequantur ob impedimenta recensita, quae Deus vincere ac superare non intendit generali illa voluntate; vocatque hanc sententiam communiorem inter theologos. Ibique argumenta Vasquezii *in 1 part. s. Thomae*, disput. XCVI, cap. II, soluta inveniuntur. Profecto, si Vasquez praevidisset quo pacto, Jansenius sua erat sententia abusurus, in eam minime concessisset. Id ipsum de nonnullis aliis recte pronunciare licet. Addo Vasquezium fortasse nonnisi verbis a communi Theologorum sententia recedere; sic enim scribit in 1. part. s. Th. q. CVI, cap. 3 : « Ceterum tribus de causis dicere possumus Christum pro omnibus parvulis mortuum esse, qui tamen pro daemonibus nullo modo mortuus dicitur: primo, quia communis erat causa parvulorum et omnium hominum, ob quam venerat, et pro qua oravit, extra quam daemones omnino erant. Secundo, quia juste et pie credimus Christum non expresse denegasse ullis parvulis meritum suum, et a fructu suae passionis apud Patrem eos exclusisse, sicut daemones rejecit. Tertio, quia non minus pie affirmare possumus Christum voluntate simplicis affectus omnibus parvulis, nemine excepto, etiam post peccatum primi parentis, salutem desiderasse, sicut sibi ipsi vitam concupivit, atque ita pro omnibus orasse, ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur a morte, sed cum ea conditione, quam pro se facta adjecit : Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat ». Deinde dicta confirmat auctoritate s. Prosperi.

quitur s. Doctor : *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam) *fuisse accepturos.... cum multis non detur parvulis, et sine illa plerique moriantur ? et aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente, non detur, cum repente, antequam detur, expirat, pro quo, ut acciperet, currebatur* ; ergo.

542. Resp. *Neg. antec.* Ad prob. *D.* Deo nolente voluntate consequente, *C.* voluntate antecedente, vel *N.* vel *subdist.* voluntate negativa, non tollendi scilicet illa impedimenta, *C.* voluntate positiva, seu ex directa ordinatione impedimentorum, *N.* Excludit s. Doctor voluntatem solam efficacem et absolutam, non autem conditionatam, qualem nos propugnamus. Id patet ex eo, quod s. Augustinus locis supra adductis habuerit mortem Christi, pro istorum parvulorum salute oblatam, ut principium inconcussum, quo utitur ad demonstrandam in omnes peccati originalis propagationem. Manifestum est autem Christum mortem suam non obtulisse pro salute illorum, quorum salutis nequidem antecedentem et conditionatam in Deo voluntatem existere sciebat.

543. Inst. Non desunt catholici theologi, qui negent Deum velle parvulorum istorum salutem, quique propterea negent Christum pro illis proprie mortuum esse, eumque solum quoad causae communitatem et sufficientiam pretii mortuum esse contendant ; ergo.

544. Resp. *D. A.* Sed immerito, quique manifeste contradicant Apostolo, *C.* jure ac juxta Apostoli doctrinam *N.* Manifeste enim istorum theologorum sententia adversatur Apostolo docenti : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* ; quorum verborum hic sensus est: si unus mortuus est ad liberandos omnes a morte, ergo omnes per peccatum mortui sunt ; alioquin, ut per se patet, nulla esset illatio ab Apostolo facta. Praeterea haec verba : *Unus pro omnibus mortuus*

est, sumi debent sensu obvio et proprio; atqui sumpta sensu obvio et proprio significant Christum mortem suam Patri obtulisse ex sincera voluntate, ut omnibus prodesset ad salutem. Ipso enim Jansenio fatente (qui certe hac in parte suspectus esse non debet), Christum *esse passum*, *crucifixum*, *mortuum*, *se redemptionem dedisse*, *vel propitiatorem esse pro omnibus*, *plus aliquid dicit*, *quam nude pretium sufficiens obtulisse*, *quod iis applicari nolit. Illud enim indicat*, *intentione morientis pretium pro illis oblatum esse*, *ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret* (1). Hic est fidelium sensus, et sensus ipsius s. Augustini, ut superius ostendimus. Ad haec porro si attendissent doctores, qui nobis opponuntur, nunquam profecto inconsiderate in illam descendissent sententiam. At rursum de hoc argumento in tract. *De gratia*.

(1) Tom. III, lib. III, cap. 21, p. 164, col. 1, B.

DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

PARS QUARTA

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE

545. Ad divinam scientiam simul et voluntatem, ut animadvertit s. Thomas in prooemio quaestionis XXII, potissimum spectat tum generalis rerum omnium providentia, tum peculiaris Sanctorum praedestinatio; quare ordo doctrinae postulat, ut de his distinctis capitibus mox disseramus. De divina autem seu beatifica visione, quae est praedestinationis objectum et finis, commodius agemus in tract. *De Deo creatore*.

CAPUT I.

DE PROVIDENTIA

546. Recte divina providentia, quae a procul videndo dicitur, definitur a s. Thoma, p. 1, q. 22, art. 1: Ratio ordinis rerum in finem in Deo existens (1). Duo providentia complectitur, ipsam rerum omnium ad suos fines ordinationem, quae pertinet ad intellectum, et istius ordinationis per media idonea in tempore executionem, quae spectat ad voluntatem.

547. Praeter epicureos divinam providentiam negarunt fatalistae, nec non ii omnes, qui universalia quidem a Deo procurari affirmarunt, non autem singularia ac minima quaeque; item ex recentioribus illi philosophi,

(1) Praeclare a Seneca, Ep. LXXI, 13, editionis Taurinensis provident. a dicta fuit *aeterna ars cuncta temperantis Dei*.

i ita in omnibus vident causarum secundarum effectio-
n, ut nullibi Dei operationem agnoscant, qui etsi con-
tis verbis providentiam haud negent, ita tamen se ge-
nt et loquuntur, ac si nulla Dei providentia esset. At
n solum fides docet, verum etiam ratio persuadet,
um res creatas cunctas, licet minimas, actusque no-
os etiam liberos infinita sua providentia temperare.

PROPOSITIO

Datur in Deo providentia, quae ad omnia et singula se se extendit

548. Propositio ad fidem spectat; nihil enim est in
cris Litteris magis expressum quam Dei providentiam
se ad omnia porrigere; sic Sap. XII, 13, dicitur:
*on est alius Deus, quam tu, cui cura est de omni-
s*; et Ps. CXVIII, 91: *Ordinatione tua perseverat
es, quoniam omnia serviunt tibi; sortes* ipsae, qui-
s nihil magis fortuitum videtur, teste Salomone, Prov.
VI, 33, *mittuntur in sinum, sed a Domino tempe-
ntur*; demum Christus, ne plura congeram, apud Mat-
aeum, cap. VI, 26 et seqq. et apud Lucam, cap. XII,
et seqq. distinctissime tradit volatilia coeli, hortorum
ia, foenum agri et capillos capitis omnino subjici pro-
dentiae Dei, ita ut illorum ne unum quidem cadat abs-
e ejus nutu; unde colligit idem Christus multo magis
hil esse vel minimum in humanis actibus, quod ab ejus
ovidentia ordinatum non sit.

549. Id ipsum confirmatur ex ratione; nam omnia ar-
mmenta, quae superius ad probandam Dei existentiam
lata sunt, ejusdem etiam providentiam evincunt. Quod
s. Thomas loc. cit. ostendit: Si enim Deus adspecta-
lis hujus mundi est conditor, omnia, quae in eo bona
nt, Deo tribuamus oportet; inter bona autem hujus uni-

versi numerari profecto debet rerum omnium ad certos fines ordinatio, quam ignorare aut inficiari non potest nisi is, qui mirabiles constantesque naturae leges stupide non considerat; ergo hujus quoque ordinis auctor est Deus, sive in Deo est providentia et ratio ordinis rerum in finem.

550. Eamdem vero ad quaecumque prorsus extendi probat art. seq.; cum enim Deus semper agat propter finem, quidquid agit in suum etiam finem dirigit; tam late igitur patere Dei providentia debet quam ejus efficientia; atqui haec ad singulas res tametsi vilissimas diffunditur; ergo et illa. Itaque ut omnes creatae res existentiam sui auctoris ostendunt, sic ordo in illis elucens summi provisoris praesentiam, sapientiam praestantiamque demonstrat.

551. Jure proinde Clemens Alex. *Strom.* lib. IV: *Qui providentiam*, inquit, *esse non putat*, *revera atheum se putat;* et lib. V: *Nec responsionem*, *sed poenam mereri*, testatur, *eum*, *qui demonstrari sibi petit esse providentiam.* Ceteros patres omitto; exscribendi enim libri integri essent, si testimonia huc spectantia afferre quis vellet (1).

552. Ad praecavendas difficultates notandum est, Deum, etsi rebus omnibus provideat, non providere tamen omnibus immediate. Providet scilicet immediate, cum per se solum media exequitur; mediate vero, cum media exequitur per causas secundas. Quod quidem facit,

(1) Cfr. Petav. *De Deo lib.* VIII, a cap. I ad IV, et Lessius in opusc. *De Provid. Numinis.* Comes De Maistre in suis *Soirées de Saint-Petersbourg* eleganter non minus quam solide hoc prosequitur et evolvit argumentum de divina Providentia. Quod pari[illegible] praestitit Cl. Rosmini, *Opu[illegible]cei*, vol. I, Milano 1827, [illegible] *Della divina Providenza* [illegible]; licet vero tria subse[illegible]cimina ad aliud argumen[illegible]ficantur, ad eumdem tamen scopum seu finem Divinae providentiae constabiliendae referuntur. Cfr. prefatio Cl. auctoris. Ex antiquis inter ceteros Theodoretus decem orationes scripsit *De providentia Dei*; Synesius episcopus Cyrenes scripsit libros duos *De providentia*, quos cum ceteris ejusdem operibus vulgavit et interpretatus est Petavius, Parisiis 1633, vol. I; Salvianus Massiliensis episc. scripsit libris octo *De vero judicio et providentia Dei.*

ut ait s. Thomas (q. cit. art. 3), *non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis communicet.* Sive autem provideat immediate sive mediate, semper assequitur finem ultimum et generalem, nempe gloriam suam; at non semper, quod sedulo notandum, assequitur fines particulares; quia non omnes, sed aliquos tantum intendit efficaciter, alios vero solum intendit conditionate. Ad rationem autem perfectae providentiae non requiritur, ut finem ineffficaciter et conditionate tantum volitum provisor assequatur; nam declinatio a fine sic volito est medium sapienter ordinatum ad finem ultimum et generalem efficaciter intentum, et ad ejus assecutionem efficaciter perducit (1).

DIFFICULTATES

553. I. Obj. Non obscure Scriptura ipsa insinuat Deo curam non esse de omnibus et singulis; Apostolus enim I. Cor, IX, 9: *Numquid de bobus*, inquit, *cura est Deo?* et Habacuc I, 14: *Facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem*; in quae verba nota est Hieronymi expositio cum asserit: *Absurdum esse*, etc.; neque ab his abhorrere videtur ipse Angelicus Doctor, p. 1, q. 23, art. 7, inquiens: *Quod licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum vel culicum*, etc. *est per se praeor-*

(1) Cons. s. Th. p. 1, q, 22, art. 2, ad 2, ubi ait: « Quod aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius... Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum ».

dinatus a Deo; qui proinde concludit, in lib. 1 *Sent.* dist. XLVI, q. 1, art. 3 ad 6: *Quod si nullus homo peccaret, universum genus humanum melius foret*; ergo.

554. Resp. *D. A.* Id est, eadem ratione, *C.* diversa ratione *N.* Haec enim omnia, quae adducta sunt, hisque similia, quae adduci possent, non aliud evincunt, nisi inesse Deo specialem magis curam ac providentiam erga homines quam circa bruta animantia; etsi et istis provideat.

555. Itaque Apostolus loc. cit. ratiocinatur a minori ad majus, quasi diceret: si curat Deus boves, quibus triturantibus os alligari vetat, negliget nos verbi sui ministros, nec magis alendos praecipiet?

556. Verba Habacuc *respective*, ad homines nempe, non *absolute* accipienda sunt.

557. Textum S. Hieronymi superius exposuimus.

558. S. Thomas in primo textu loquitur de speciali praeordinatione, quam individua non habent primario et ratione sui, sed solum respectu ad suas species, quae peculiari ratione ad universi perfectionem pertinent, et ad quam praeordinantur, ut ibidem s. Doctor explicat, et *De veritate*, quaest. v.

559. In altero vero loquitur de bono particulari et hominum proprio in se spectato, non autem de bono in genere, sive respectu totius universi, et praesertim majoris gloriae Dei.

560. II. Obj. Providentia sine justitia in Deo admitti nequit; jam vero totum hoc universum injustitia plenum est. 1. Impiis enim prospera, et adversa justis saepe contingunt; 2. exinde frequentes in Sacris Litteris justorum querelae et expostulationes. *Quare impii vivunt*? interrogat Job (XXI, 7); *Quare via impiorum prosperatur*? sciscitatur Jeremias (XII, 1); et regius Psaltes fatetur (Ps. LXXII, 2) de se: *Mei autem pene moti sunt pedes.... pacem peccatorum videns.* His accedit 3. inae-

qualis bonorum malorumque distributio, quae testimonium dicit adversus justam Dei providentiam. Ipsa 4. quotidiana experientia ostendit non pro uniuscujusque meritis, sed pro uniuscujusque industria, res omnes succedere. Quod 5. quidem cohaeret cum eo, quod Ecclesiastici XV, 14, de homine dicitur, nempe Deum ipsum *reliquisse in manu consilii sui*; et 6. quod Psalmista de impiis asserit (Ps. LXX, 13), Deum dimisisse *eos secundum desideria cordis eorum*; ergo.

561. Resp. *Dist. maj.* Universum plenum est injustitia apparenti, *Tr.* reali *N.*

562. Ad 1. Data facti veritate, quae verisimilius falsa est, *D.* Prospera impiis et adversa justis saepe contingunt ex peculiari et altiori dispensatione divinae providentiae ac justissimis causis, *Tr.* vel *C.* ex defectu providae justitiae *N.* Deus enim hac ratione et majoris meriti occasiones justis praebet et majoris ruinae impiorum malitiae. Cum insuper nemo tam bonus sit, qui interdum non delinquat, sic nemo tam malus, qui bonum aliquod identidem non operetur; cum vero Deus nullam bonam actionem sine remuneratione vel malam velit esse absque punitione, hinc justorum peccata hic temporali poena castigat, ac bona impiorum opera temporali prosperitate remuneratur, utrisque reservans in altera vita vel praemium vel poenam eorum operibus pro meritis rependendam. Addo demum nihil adversarios proficere, nisi ostendant justos praecise miseros et afflictos esse, quia justi, malisque bona ac prospera succedere, quia mali sunt; quod nunquam ipsi praestabunt vel praestare poterunt (1).

563. Ad 2. *D.* Et ejusmodi justorum querelae proveniebant ex zelo justitiae, *C.* ex dubitatione justae divi-

(1) Cfr. Com. de Maistre, *Soirées*, le. tom. 1, *troisième Entretien* cum notis. Legi etiam meretur Alphonsus Ant. de Sarasa S. J. in op. *Ars semper gaudendi demonstrata ex sola consideratione Divinae Providentiae*, 2 vol. in 4, Colon. Agripp. 1676. Illud magni fecerunt vel ipsi protestantes.

nae providentiae *N*. In has enim querelas interdum justi erumpebant ex zelo justitiae, atque ex eo quo flagrabant amore divinae gloriae. Ceterum et Jeremias vocat ibidem Deum justum, et David pariter subdit: *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.*

564. Ad 3. *Neg.* inaequalem bonorum malorumque distributionem testimonium dicere adversus providentiam; sed dico eam potius valde commendare, tum aliis de causis, tum ut magis fides nostra exerceatur, et in aeternorum spem altius assurgat; tum etiam ut pateat, quam differant boni a malis, cum utrique pari modo torquentur. *Manet enim*, pulcherrime inquit s. Augustinus, *dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum; et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium ... nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter coenum, et suaviter fragrat unguentum* (1).

565. Ad 4. *D*. Quia Deus statuit res in hac vita permitti et agi suis motibus, *C*. secus *N*. Et hoc quidem data veritate assertionis, quae posset multis capitibus falsa ostendi, saltem sic absolute sumpta; cum saepe eventus neque hominum consiliis, neque industriae, aut malitiae respondeant (2).

566. Ad 5. *D*. Fatetur Ecclesiasticus Deum reliquisse hominem in manu consilii sui ad denotandam ejus arbitrii libertatem, *C*. ad denotandum esse eum emancipatum a Dei providentia *N*. Ut enim observat s. Thomas loc. cit., quia actus ipse liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est, ut ea, quae ex libero arbitrio fiunt, divinae providentiae subdantur; [illegible] enim hominis continetur sub universali.

567. Ad 6. *D*. Quatenus eos *sp*[illegible] tia a malo non retrahit, qua retr[illegible]

(1) *De Civit. Dei*, lib. 1, cap. [illegible] VIII, n. 2.

quatenus a generali etiam providentia dimittit *N*. Dum enim peccatores ab ordine divinae legis excidunt, in ordinem incidunt divinae justitiae; quo spectant illa Augustini dicta: *Qui te dimittit, quo it aut quo fugit, nisi a te placido ad te iratum? Nam ubi non invenit legem tuam in poena sua* (1)? ... *In vetustatem perducens superbos et nesciunt* (2).

568. III. Obj. Si divino consilio omnia dirigerentur in hoc mundo, 1. tot non essent vel inutilia, vel monstrosa, vel noxia, quibus natura abundat; tot 2. non darentur peccata. Hinc 3. recte Epicurus, teste Lactantio, *De ira Dei*, cap. XIII, stoïcos providentiae assertores hac torquebat dilemmatum congerie: « Deus aut vult tollere mala et non potest, aut potest et non vult, aut neque vult neque potest, aut vult et potest. Si vult et non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit; si potest et non vult, invidus, quod aeque alienum est a Deo; si neque vult neque potest, et invidus et imbecillis est, ideoque neque Deus, si vult et potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? » Addatur 4. neque Deum decere minutis hisce negotiis se implicare; nec 5. posse esse beatum, si tot curis sit distentus; ergo.

569. Resp. ad 1. *D*. Quae tamen inutilia, monstrosa et noxia tantum sunt respectu nostri, qui ea caliganti-bus oculis contemplamur, nec fines singulos istorum attingimus, *C*. respectu D[illegible]t relate ad totam rerum compagem et [illegible]itate [illegible]ncti ecclesiae patres pluribus argum[illegible] illustrant, qui [illegible]

[illegible]ue bono

[illegible] nec non

, *Rifles-*

a secon-

Deus prospiceret, *Tr.* vel *C.* si bono totius universi, praesertim vero gloriae suae *N.*

571. Ad 3. Resp. Deum posse et nolle; nec tamen inde sequitur invidum eum esse, sed sapientissimum, omnipotentem et optimum; solius quippe tantae sapientiae ac bonitatis est ex malo etiam (quod creaturae nullae etsi praestantissimae possent) maximum elicere bonum. Recolantur superius dicta adversus manichaeos.

572. Ad 4. *Neg.* dedecere Deum minimis his, at in se mirabilibus, vacare. *Si injuria est regere*, optime inquit Ambrosius, *nonne est major injuria fecisse* (1)?

573. Ad 5. *D.* Si Deus adinstar miseri hominis multiplici cura his implicaretur, *C.* si uno ac simplicissimo actu his omnibus prospiciat *N.*

574. IV. Obj. Saltem nulla dicenda est ad adstruendam providentiam ratio, quae deducitur ex constanti eventuum serie, atque effectuum, qui a causis suis producuntur. Serio enim examine ejusmodi eventuum ac effectuum instituto a naturae indagatoribus compertum est hanc effectuum constantiam fundamentum habere in causis regularibus, quae prius latebant; ergo (2).

575. Resp. *N. A.* Ad prob. autem *D.* Et causae ejusmodi regulares denuo confirmant existentiam divinae providentiae, *C.* excludunt vel saltem infirmant *N.* Ex eo enim quod detectae fuerint causae regulares, quae constantem effectum producunt, numquid sequitur has causas non fuisse a sapientissimo auctore, Deo nempe, constitutas? Qui hanc absurdam consecutionem infert, non melius profecto ratiocinatur, ac ratiocinaretur sylvestris homo, qui admirans reperti cujusdam horologii

(1) *De Officiis*, lib. 1, cap. 13, cujus integra haec verba sunt: « Et quis operator, *ait*, negligat operis sui curam? Quis deserat, et destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse; cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit, non curare, quod fecerit, summa inclementia? »

(2) Ita La Place in suo *Essai philosophique sur les probabilités*, p. 84 et 85.

constantem sphaerularum motum, eoque aperto reperiens mechanismum internum, qui talem motum producit, concluderet excludendam esse sapientiam ac manum artificis in eo elaborando. Desiperet iste profecto ; ast non minus desipiunt quotquot ex causis secundis regularibus, quae cernuntur in hac rerum universitate, concludunt nullam esse admittendam causam primam illarum effectricem ac moderatricem (1).

CAPUT II.

DE PRAEDESTINATIONE

576. Quae de praedestinatione disputari solent, revocantur ad ejusdem naturam et proprietates, causas et effectus. De his propterea, qua fieri potest brevitate, declinatis scholasticis concertationibus, singillatim agendum totidem articulis.

ARTICULUS I.

De natura et proprietatibus praedestinationis

577. Melius percipi non potest praedestinationis natura quam ex ejus definitione. Jam vero praedestinatio a s. Augustino (lib. *De praedest. Sanctorum*, cap. X) definitur : *Gratiae praeparatio* ; vel paulo prolixius (lib. *De dono persev.* cap. XIV) : *Praedestinatio nihil est aliud quam praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*. A sancto autem Thoma, p. 1, q. 23, art. 2, ita definitur : *Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina exi-*

(1) Cfr. Ruffini, loc. cit. p. 54.

stens. Nos utramque adoptamus definitionem ; ex quibus deprehendimus praedestinationem duo includere, actum scilicet intellectus et voluntatis, utpote partem providentiae et opus misericordiae.

578. Praedestinatio multifariam spectari potest, vel ut *adaequata*, vel ut *inadaequata*. Adaequata complectitur gratuitam electionem ad gratiam et ad gloriam, inadaequata solam electionem ad gloriam ; adaequatam praedestinationem esse prorsus gratuitam, de fide est ; utrum vero gratuita pariter sit inadaequata, an post praevisa merita gratiae, controvertitur in scholis catholicis.

579. Rursum considerari potest praedestinatio *in intentione et in executione*, vel, ut alii dicunt, *in actu primo* et *in actu secundo*, vel etiam in *principio* et *in termino*. Si spectetur sub hoc secundo respectu, vel, ut ajunt, *in concreto*, eam pendere partim a Deo gratis miserante, partim ab homine obsequente, dogma pariter fidei est. Coelestis quippe beatitudo *merces* et *corona justitiae* in Scripturis dicitur ; labores ergo nostros, seu cooperationem, necessario postulat. Hinc non coronabitur, nisi qui legitime certaverit, ut dicitur II Tim. II, 5.

580. Si vero considerctur in intentione, seu in abstracto, dividuntur inter se scholae in duas potissimum partes. Alii enim contendunt Deum prius decrevisse gloriam quam gratiam dare electis, quos ex communi perditionis massa, in qua omnes per originale peccatum homines involvuntur, gratuito secrevit ac praedestinavit, relictis ceteris, quos saltem negative reprobavit, deinde decrevisse auxilia gratiae, certo conducentia ad salutem. Alii autem propugnant Deum prius elegisse ad gratiam, deinde ex praeviso bono vel malo usu ipsius gratiae aliis decrevisse poenam, aliis gloriam ; hi igitur contendunt praedestinationem ad gloriam esse post praevisa merita gratiae. Qui stant pro prima sententia, dicunt praedesti-

tionem esse gratuitam *in se*; qui stant pro secunda, icunt gratuitam tantum esse *in causa* (1).

581. Qui pugnant pro praedestinatione gratuita in se, roferunt Scripturarum auctoritatem, quae videntur stare Deum absque ullis suppositis meritis aliquos ad gloam elegisse ac praedestinasse, ut ex. gr. Act. XIII, 48: *rediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aernam*; Joan. XV, 16: *Non vos me elegistis, sed ego legi vos*; Ephes. I, 4 et 5: *Elegit nos in ipso ante undi constitutionem, ut essemus sancti* (non quia *eramus*)... *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, er J.-C. in ipsum, secundum propositum voluntatis uae*; ac praecipue Rom. IX, 11, ubi Apostolus prosito exemplo Jacob et Esaü, ut typo praedestinatorum t reproborum, inquit: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali* (*ut secundum lectionem propositum Dei maneret*), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccae): *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaii autem odio habui.* Quibus aliisque similibus locis adductis, sic instituunt argumentum: In testimoniis allatis sermo est de praedestinatione ad gloriam; qui haec praedestinatio facta dicitur independenter a eritis; ergo. Adducunt praeterea auctoritatem ss. Pauum, praesertim Augustini et Thomae, qui in hoc conniunt, ut asserant Deum ex communi perditionis mas- gratuito alios elegisse ad gloriam, alios non elegisse; iod s. Augustinus urget adversus semipelagianos, praertim exemplo ducto ex duobus infantibus, quorum al- r baptizatur, alter non baptizatur, unus propterea pe-, alter salvatur, in quibus merita nulla supponi pos-

1) Alii vocant praedestinationem ie praedestinationem *formalem* ad riam; praedestinationem vero *in* ses vocant praedestinationem *radicalem* ad gratiam, sub qua comprehendunt etiam praedestinationem ad fidem ejusque initium, ad justificationem donumque perseverantiae.

sunt; et s. Thomas, qui, inter cetera, in cap. VIII ad Rom. lect. 6, concludit: *Unde convenientius sic ordinatur littera: quos praescivit, hos et praedestinavit fieri conformes imagini Filii sui; ut ista conformitas non sit ratio praedestinationis, sed terminus vel effectus.* His addunt rationes theologicas, quarum potissima haec est: Qui ordinate vult, prius vult finem quam media: sed gloria est finis, et merita sunt media ad illam; ergo Deus, qui ordinate vult, prius vult gloriam quam merita, et consequenter antequam illa praevideat ut futura, quia non videt ea futura, nisi ea velit. Major probatur, quia finis volitus est causa, cur eligantur media, unde medicus ex voluntate salvandi infirmum movetur ad ei propinanda remedia; et sic dicatur de agricola, de mercatore, etc.; ergo (1).

582. Qui contrariam tuentur sententiam, incipiunt ab eversione fundamentorum oppositae sententiae, deinde opponunt Scripturas Scripturis, patres patribus, rationes rationibus, ut suam adstruant.

583. Itaque 1. dicunt, frustra quaeri in Scripturis fundamentum illius sententiae, cum nec unus textus adduci possit, ubi non loquantur de gratuita electione ad gratiam et fidem, ut patet in allatis testimoniis, alioquin sequeretur totidem fuisse praedestinatos ad gloriam, quot sunt illi, qui credidisse dicuntur in primo textu, vel omnes illos, quos alloquitur Paulus, ad Ephesios scribens, fuisse praedestinatos ad gloriam; Epistola demum ad Romanos tota est de gratuita electione ad fidem, contra judaeos (2). Quod spectat ad ss. Augustinum et Thomam,

(1) Cf. Card. Gotti, tom. III, q. 3, dist. 3, § 8; Gonet, *Clypeus theol. Thomisticae*, tom. II, tract. 5, disp. 2, art. 1 et 2; Th. de Lemos, *Panoplia gratiae*, tom. II, tract. 3, cap. 2 et cap. 10 et seqq.

(2) Cfr. Bern. a Piconio Ord. Capp. *Triplex expositio*, in praef. ad hanc Epist.: « Scopus Apostoli, *inquit*, in hac epistola est ostendere, quod Christi gratia nec Judaeis data sit ob Mosaicae legis observantiam, nec gentibus ob legis naturalis custodiam, sed mere gratis et ex pura Dei misericordia »: qui et ad hunc locum cap. nempe VIII, v. 30, perpensis

alii reponunt, eos locutos fuisse de praedestinatione adaequata ad gratiam et gloriam, ut praesertim exigebat s. Augustini scopus adversus pelagianos et semipelagianos, quae procul dubio gratuita est; alii, ut Petavius et Maldonatus, fatentur hanc inhaesisse sententiam ac opinionem s. Augustino, sed ut privato doctori, qui propterea sic tuetur hanc sententiam, ut aliam non improbet, ut liquet ex ejus verbis in lib. *De grat. et libero arb.*, ubi cum multa dixisset adversus pelagianos, qui praedestinationem factam docebant ex praevisis meritis naturalibus, cap. VI, num. 15 concludit: *Si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent* (ut certo theologi omnes cognoscunt), *non esset reprobanda ista sententia.* Quibus consonant, quae scribit s. Thomas loc. cit., ubi, exponens illorum sententiam, qui verba Apostoli: *Quos praescivit*, etc. sic exponunt: *Quos praescivit conformes fieri imaginis Filii sui, hos praedestinavit*, ait: *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam, quae datur meritis.* Quare ista disputatio semper ab ecclesia habita est *inter profundiores difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas sicut contemnere non audemus, ita non necesse habemus adstruere*, ut loquitur s. Caelestinus Pontifex, seu auctor *X Capitul. adversus Pelag.* scribens ad Gallos (1).

fusius utriusque interpretationis fundamentis concludit putare se apostolicae menti conformiorem esse eorum explicationem, qui per *propositum* intelligunt gratuitum Dei decretum, de danda gratia sine ullo hominum merito, sed ex pura bonitate et benevolentia. « Itaque, *inquit*, et ex hujus epistolae scopo et ex toto illius contextu persuasus sum, quod in ea sanctus Apostolus agat de gratia, non de gloria; at maxime, quia mihi clarissime patet, in Apostoli nostri doctrina, quod Deus sincere et serio *vult omnes homines salvos fieri, et ad cognitionem veritatis venire*; et quia aliunde decretum quosdam ad gloriam eligendi ante praevisa merita, ceteris in massa perditionis relictis, cum hac sincera et seria Dei voluntate, de salvandis omnibus hominibus, difficile potest conciliari; decretum vero de danda gratuito gratia multo facilius cum hac Dei voluntate conciliatur. Hinc apostolicae menti puto conformiorem esse, etc. » prout retulimus.

(1) Capitulo x, quod integre ita

Ad rationem demum adductam reponunt, eam quidem valere, cum finis volitus et intentus est absolute, non autem, cum solum volitus aut intentus est conditionate, ut in casu nostro; cum Deus nolit dare gloriam nisi dependenter a meritis gratiae.

584. Sic porro pergunt ad adstruendam suam propriam sententiam: Nullam aliam nostrae praedestinationis ideam perpetuo exhibent Scripturae, quam expressam intentionem Dei remunerare volentis fideles cooperatores gratiae suae per bona opera, dilectionem, etc., ea ratione, qua statuit ab aeterno punire eos, quos praevidit abusuros gratia sua, ac in impoenitentia finali decessuros. Huc spectant illa, quae Matth. XXV, 34, leguntur: *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare;* et v. 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Quibus verbis exprimitur ratio, quare in tempore Deus tribuat praemia vel supplicia, quia nempe in intentione sua aeterna statuit ea dare pro meritis vel demeritis. Quo spectant illa, quae habet Apo-

se habet: « Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt qui haereticis restiterunt, sicut nos non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere; quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi et dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidqu d secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta doeuerint; ut prorsus non opinemur cathol.cum, quod appareat praefixis sententiis esse contrarium ». Vid. *Collect Concil.* Labbei, tom. II, col. 1617. Cum Baronius haec *Capit.* retulisset (ad annum 431, num. 185), addit: « Iis, inquam, profitetur (horum capitulorum auctor, qui creditur s. Prosper) profundiores quaestiones illas, de praedestinatione Sanctorum, nequaquam ab Apostolica Sede definitas: illasque tantum esse stabilitas, quae ad condemnationem errorum satis posse sufficere videretur ». Etsi vero decem ista Capitula passim sub nomine s. Caelestini circumferantur, Baronius tamen, ut innuimus, putat ea esse s. Prosperi. Hanc opinionem Pagius tuetur; cons. in *Critica Baronii* ad an. 431, a num. 46 ad 49. Illos recentiores critici plerique sequuntur; attamen Joan. Bapt. Faure S. J. in peculiari dissertatione *De Auctore Capitulorum S. Caelestino I Rom. Pont. olim tributorum*, quae reperitur tom. V *Thesauri theologici* P. Zaccariae, mordicus eidem Caelestino vindicat eadem Capitula.

stolus (1 Cor. II., 9): *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* En, dicunt, rationem praeparationis seu praedestinationis: *Quia diligunt illum.* Huc etiam spectant, quae habet ad Rom. VIII, 29: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; non itaque ante praedestinavit quam praesciverit futuram conformitatem; et rursum ibid. v. 17: *Si filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur*; aliaque ejusmodi, ac praesertim II Pet. I, 10: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem facialis.* Nec alia unquam fuit patrum, sive graecorum sive latinorum, mens, quorum maximis sententia est Deum ex praescientia meritorum decrevisse vel praemia vel poenas. De graecis nulla quaestio; de latinis constat ex ss. Ambrosio (lib. V, *De Fide*, cap. VIII, num. 83), Hieronymo atque Hilario apud Frassenium; atque id expresse fatetur de omnibus patribus, qui ante s. Augustinum atque ejus aetate floruerunt, s. Prosper in epist. ad s. Augustinum ipsum data, in qua ab eo edoceri cupit, cur a sententia suorum praedecessorum, circa praedestinationem ad gloriam ex praevisis meritis gratiae recessisse videatur dicens: « Illud qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur, et una sententia, qua propositum et praedestinationem Dei, secundum praescientiam, receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscujusque praeviderit, et sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate et actione, praescierit » (1). Sed eadem inhaesit sententia patribus, qui s. Augusti-

(1) Inter *Opp. s. August.*, tom. II, p. 824, E. F. et tom. X, p. 783.

num subsecuti sunt, ut s. Fulgentio, lib. I *Ad Monimum*, cap. XXIV; Primasio in *Comment. in Epist. ad Rom.* cap, VIII; s. Bernardo, *lib. De concord. praedest. et lib. arb.* cap. III; s. Anselmo, *Serm. XXIII in Cant.*; s. Bonaventurae, tom. IV opp. in lib. I *Sent.*, dist. 41, q. 2, cujus haec verba sunt: *Similiter, si quaeratur, quare magis salvare voluit Petrum quam Judam*, respondet: *quod iste habuit bona merita, ille vero mala.* Omittimus posteriores scriptores Albertum Pighium, Card. Sadoletum, Contarenum, etc. Et haec fortasse fuerunt momenta, quibus permotus est s. Franciscus Salesius, ut hanc sententiam sibi apprime caram dixerit in epist. ad Lessium data, utpote *antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam*, eamque se *existimasse semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem* (1).

585. Recurrunt demum ad varias rationes theologicas, quarum profecto potissima est, quae desumitur ex sincera Dei voluntate beneplaciti salvandi omnes homines, etiam supposito peccato originali. Etenim, dato semel quod Deus a tota aeternitate, ante quamcumque meritorum praevisionem, aliquos elegerit ad gloriam, ceterosque negative reprobaverit, impossibile videtur illam veritatem catholicam adstruere; metaphysice enim repugnat salvari eos, quos Deus, saltem negative, a tota aeternitate reprobavit; ad quid igitur pro istis Christus mortuus esset, aut sanguinem fudisset? ad quid promeruisset gratias, fidem etiam multis ac justificationem?

(1) Apud Livin. Meyer, *Hist. Congreg. de auxiliis*, lib. 1, cap. 6, in qua inter cetera scribit; « Obiter vidi, in bibliotheca collegii Lugdunensis, tractatum de praedestinatione; et, quamvis nonnisi sparsim, ut fit, oculos in eum injicere contigerit, cognovi tamen, paternitatem vestram sententiam illam, *antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam*, *de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita*, amplecti ac tueri. Quod sane mihi gratissimum fuit, qui admirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi; quod etiam tantisper in libello *De amore Dei* indicavi ».

ım ut salventur? sed in antecessum jam reprobati sunt; ım ut deteriorem damnationem incurrant? horret anıus tantam blasphemiam. Hinc est quod Calvinus, ejusıe praesertim fidelis assecla Jansenius, ad istam sentiam confugiant, ut adstruant, nec Christum pro omnıs mortuum esse, nec Deum velle nisi electorum tanm salutem.

586. Ex his patet, utrique sententiae auctoritates et tionum pondera suffragari. Cum Sancta Sedes nullum lerit circa illas judicium, liberum unicuique est illam ntentiam amplecti, quae magis Scripturae, patribus ac tioni congruere videbitur, et ex ea responsa mutuari ad fellendas fidei impugnatorum difficultates, prout nos aestabimus (1).

587. His interea quaestionibus dimissis, jam nos contimus ad considerandas praedestinationis proprietates, ıae sunt ejus certitudo et immutabilitas ex parte Dei et certitudo ex parte nostra. Divinae praedestinationis exintiam inficiati sunt pelagiani; certitudinem et immubilitatem rursum negarunt pelagiani ac semipelagiani; ıdvinus unumquemque fidelem certum esse debere, et ıidem certitudine fidei, de sua propria praedestinatio: affirmavit. Adversus quos insequentes statuimus prositiones.

(1) Pro utraque sententia videri in-alios possunt Boucat Ord. Minim. *heologia Patrum*, vol. 1, tract. diss. 3, concl. 3; Petav. *De Deo*, . IX et X; Du Plessis d'Argentre, *mmentarius historicus de praede-*. vol. unic. in-4. Tum pro sen-ıtia de praedestinatione ante prae-ıa merita, Card. Gotti, tom. IV, *prim. part. s. Thomae*, q. 3, b. 3; Suarez, *De praedest.* lib. cap. 8 et seqq.; Bellarm. *De grat. lib. arb.* lib. II, resol. XV. Pro sen-ıtia de praedestinatione post praeıa merita gratiae, Lessius, *Disp. de praed. et reprob. Angel. et hom.*, sect. II et seqq.; Vasquez, disp. 89, *In 1 part. s. Thom.* cap. 1 et seqq.; Frassen, Min. Observ. *Scotus Academ.* tom. 1, tract. 2, sect. 1, q. 2; Tournely, *De Deo*, quaest. 14, art. 2, concl. 5. Prae ceteris vero circa mentem ss. Augustini et Thomae, Car. Jos. Tricassinus, Ord. Cap. *De praedestinatione hominum ad gloriam*, vol. un. in-4, Paris. 1619; et Card. Sfondratus, *Nodus praedestinationis dissolutus*, vol. un. in-4, Romae 1696.

*

PROPOSITIO I.

Datur ex parte Dei veri nominis praedestinatio, eaque certa est et immutabilis

588. Utraque propositionis pars est de fide, et tanquam de fide propugnatur a s. Augustino, tum in lib. *De praedest. Sanctorum*, tum in lib. *De dono perseverantiae*, et alibi passim; cujus judicium universa approbavit ecclesia, adversus pelagianos et semipelagianos (1).

589. Prior itaque propositionis pars sic evincitur ex Scriptura: Matth. XXV, 34 Christus electos sic alloquitur: *Venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; sic etiam (Rom. VIII, 29 et seq.) de praedestinatione ad fidem et gratiam loquens Apostolus, ait: *Quos praescivit et praedestinavit, ... quos autem praedestinavit hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit* (2); et (Eph. I, 4): *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti... praedestinavit nos ... secundum propositum voluntatis suae.* Si igitur nemo venit in tempore ad fidem et gratiam, nisi qui praedestinatus est ab aeterno a Deo, a fortiori nemo venit ad gloriam, quae fructus est gratiae, nisi ab aeterno praedestinatus a Deo.

(1) Cfr. *Collect. Conc.* Labbei, tom. IV, col. 1673, adnot. Sirmundi, *De confirm. Synodi*, ubi refertur approbatio synodi Arausicanae II, facta a Bonifacio Rom. Pont., ex duobus codicibus Fossatensi et Laudon., his verbis contenta: « In hoc loco continetur Synodus Arausicana, quam per auctoritatem Sanctus Papa Bonifacius confirmavit. Et ideo quicumque aliter de gratia et libero arbitrio crediderit, quam vel ista auctoritas continet, vel in illa synodo constitutum est, contrarium Sedi Apostolicae et universae per totum mundum Ecclesiae se esse cognoscat ». Reliqua ibi vide.

(2) Si tamen hic textus, ut notatum est, intelligendus est de praedestinatione ad gloriam, quod plures inficiantur. Eum tamen attulimus, ut mori obtemperaremus.

590. Hinc s. Augustinus, lib. *De dono persev.*, cap. XXIII, num. 65, scribit : *Veritatem praedestinationis hujus et gratiae, quae nunc contra novos haereticos cura diligentiore defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*; et s. Prosper in *Resp. I ad objectiones Gallorum*, ait : *Praedestinationem Dei nullus Catholicus negat.*

591. Rationem porro theologicam nobis suppeditat s. Thomas, p. 1, q. 23, art. 1, hoc suo ratiocinio : Cum aeterna vita sit finis, naturae creatae modum et proportionem excedens, adeoque nullus hominum virtute propria pertingere ad illam possit, necesse est, ut ad ipsam homo, quemadmodum a sagittario sagitta mittitur in signum, a Deo dirigatur, qui solus et naturae, quae dirigitur, et finis, ad quem ille ordinatur, et meritorum, quibus ordinatur, est auctor. Hujus autem ordinis ratio, quae in tempore perficitur, cum nihil fiat a Deo, quod ante ab aeternitate non definierit, ex aeternitate fuit in mente Dei ; atqui ratio haec est praedestinatio ; igitur in Deo est, eaque ita est ad salutem necessaria, ut hanc obtinere nemo possit, qui non fuerit praedestinatus.

592. Exinde jam sequitur veritas alterius partis nostrae propositionis, de certitudine scilicet et immutabilitate praedestinationis, ita ut electorum numerus nec augeri nec minui possit ; quod quidem Christus ipse testatus est (Joan. X, 27 et 28), dicens : « Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis ; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea ». Horum, *ait Augustinus* (lib. *De correp. et grat.* cap. VII, 14), si quisquam perit, fallitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus ; horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus ; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus ; *et s. Fulgentius* (lib. *De fide*, cap.

XXXV): « Firmissime tene, *inquit*, et nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo. Firmissime tene, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus praedestinavit ad regnum caelorum, nec quemquam eorum, quos non praedestinavit ad vitam, ulla ratione posse salvari ».

593. Et ratio ex dictis manifesta est; cum enim praedestinatio sit actus intellectus et voluntatis, quemadmodum intellectus divinus in sua praescientia falli non potest, sic nec superari potest ejus voluntas, cum quidpiam absolute et efficaciter vult; vult autem Deus efficaciter et absolute solam electorum salutem; ergo. Impervium sane mysterium, quod nos venerari quidem debemus, sed tamen scrutari absque periculo nequimus. Concludimus propterea cum s. Augustino, (lib. *De Spir. et litt.* cap. XXXIV): « Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita, duo solum occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! et: numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat, ne inveniat praesumptores ».

DIFFICULTATES

594. I. Obj. adversus priorem partem. Si veri nominis praedestinatio ex parte Dei daretur, plura sequerentur absurda; ac 1. quidem Deum injustum personarum acceptorem esse; cum alios ab aeterno praedestinaverit, alios reprobaverit absque ullo merito vel demerito electi vel reprobati 2. hominem sic posse ratiocinari: Vel electus, seu praedestinatus sum, vel non; quidquid egero, salutem consequar, si praedestinatus sum, et peribo, si non sum praedestinatus; aut desperabit ergo, aut agit

quidquid lubet; 3. lapsis curam adimi, ac Sanctis occasionem teporis afferri, cum in utraque parte superfluus sit labor, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Merito 4. propterea monachus ille Adrumetinus, de quo loquitur s. Augustinus (lib. *De dono perseverantiae*, cap. XV), monasterium suum deseruit, ut saeculi deliciis indulgeret.

595. Resp. *N. A.* Ad primam sequelam, *D.* Si Deus aliquid hominibus deberet, *C.* si nihil hominibus debet, *subdist.*; si aliquos prae aliis eligeret vel praedestinaret ante praevisa merita gratiae, *Tr.* (1); si post praevisa merita gratiae *N.* In hac enim sententia Deus neminem vel eligeret vel reprobaret, nisi post praevisum bonum usum vel contemptum gratiae, quae supponitur omnibus praesto esse, ex allata s. Thomae doctrina; quod et nos suo loco ostendemus. Et tunc cessat omnis difficultas, quae nulla alia superesse potest, quam illa, quae oritur ex praescientia liberarum hominis actionum, quaeque solvenda est juxta ea, quae superius dicta sunt, ubi de scientia Dei egimus.

596. Ad 2. Pariter *D.* Si praedestinatio supponatur ante praevisa merita gratiae, *Tr.* si post praevisa merita gratiae *N.* In hac enim hypothesi ad propositum dilemma respondetur: eris praedestinatus, si bene vixeris juxta gratiam tibi collatam, et perseveraveris cum eadem usque in finem; si male vixeris et voluntarie gratiam respueris, damnaberis; sicut si aegrotus diceret: vel valetudinem sum recuperaturus, vel non; si primum, sive

(1) Etsi a nobis non improbetur sententia illorum theologorum, qui inadaequatam praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita gratiae tentant, attamen cum longe commodior solvendis novatorum difficultatibus altera sententia nobis videatur, hinc est quod hac utamur ad rem nostram; cum utraque catholica sit, ideoque liberum sit alterutram in subsidium adhibere. Qui vero putat se posse priori sententia difficultates aeque solvere ac enodare, eadem utique uti poterit.

sumam sive non sumam amaram hanc potionem, convalescam; si alterum, sive sumam sive non, tamen moriar; ipsi enim responderemus: Convalesces, si acceperis potionem seu pharmacum; morieris, si recuses.

597. Atque hinc jam responsio patet ad tertiam et quartam sequelam, quae opponebantur; omnes enim ejusmodi argumentationes peccant eo vitio, quod logici vocant *a falso supponente*, aut *ab ignorantia elenchi.*

598. I. Inst. Praedicta incommoda urgeri aeque possunt quoad praedestinationem in causa; unusquisque enim sic posset argumentari: Vel sum praedestinatus ad gratiam, praesertim efficacem, et perseverantiam, vel non; si primum, quidquid egero, tandem consequar illam, et salvus ero; si secundum, quidquid egero, damnabor; ergo.

599. Resp. *N. A.* Ad propositum dilemma, *D.* Si efficacia gratiae et perseverantia repetenda esset a praedeterminatione physica, seu ab intrinseco, *Tr.* si a praeviso tantum hominis consensu, seu ab extrinseco *N.* In hac siquidem sententia, ut diximus, supponitur Deum omnibus dare vel offerre gratias sive proxime sive remote sufficientes tum ad fidem, tum ad salutem; si homo proinde his consenserit et oraverit, alias obtinebit, ipsamque consequetur perseverantiam; quod si secus fecerit, sibi soli imputare debet, si perierit. En verba s. Augustini, qui in lib. *De correpl. et grat.* inter cetera haec habet: *O homo, in praeceptione cognosce, quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere.*

600. II. Inst. Saltem quod aliquis accipiat a Deo gratiam, ut praevisam efficacem, provenit ex peculiari Dei erga ipsum electum praedilectione, cujus praedilectionis defectu tali gratia caret reprobus; ergo.

601. Resp. *D. A.* Sed absque aliorum praejudicio, *C.*

cum aliorum praejudicio *N*. Fatemur quidem ex peculiari Dei praedilectione effici, ut electus talem gratiam, praesertim finalis perseverantiae, consequatur; cum tamen Deus nihil cuipiam debeat, si alicui non dat gratiam ut praevisam efficacem, quid inde adversus Dei justitiam aut misericordiam sequitur, si gratia, a Deo reprobo concessa, sufficientissima ex se sit ad opus bonum obtinendum et ad perseverandum, et ex pura malitia recipientis, seu potius respuentis, effectum non habeat? Profecto non Deo, sed sibi reprobus imputare debet, quod restiterit eidem gratiae, quae praevisa est inefficax ex solo abusu ejus, cui confertur (1). Hinc rursum optime s. Augustinus: *Deserunt et deseruntur*, *deseruit et desertus est* (2).

602. II. Obj. adversus alteram conclusionis partem. Quod potest amitti et recuperari, non est certum et immutabile; atqui talis est praedestinatio; dicitur enim 1 Apoc. III, 11, de corona, quae est effectus praedestinationis: *Tene quod habes*, *ut nemo accipiat coronam tuam;* 2. sane homo praedestinatus potest mori in statu peccati; ergo.

603. Resp. *Neg. min.* Ad 1. *D.* cum s. Thoma, p. 1, q. 23, art. 6, ad 1. Si corona alicui destinata sit ex merito gratiae, et in actu primo, *C.* si ex praedestinatione divina, et in actu secundo, *N.* Primo enim sensu tantum corona potest vel acquiri vel amitti.

604. Ad 2. *Neg.* Implicat enim quempiam ad gloriam praedestinatum esse ac mori in statu peccati; esset enim et non esset praedestinatus.

(1) Si quid efficeret adversariorum difficultas, evinceret Deum semper ad maximum beneficium conferendum teneri, scilicet induceret optimismum; quod est absurdum.

(2) *De nat. et grat.* cap. XXVI: « Non deserit, *inquit*, nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur »; *et* Enarr. in Ps. CXLV, *num.* 29: « Non enim deseret, *inquit*, opus suum, nisi ab opere suo deseratur »; *et in lib.* De correp. et gratia, *cap.* XIII: « Deserunt et deseruntur ».

605. I. Inst. Possunt aliqui saltem de libro vitae, seu de praedestinatorum numero, deleri; sic Moyses, Exod. XXXII, 31 et 32: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; Et David, Ps. LXVIII, 29: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur*; Joan. XVII, 12: *Quos dedisti mihi, custodivi; et nemo ex eis periit nisi filius perditionis*; demum s. Petrus, Ep. II, cap. I, v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Ergo praedestinatio nec certa nec immutabilis est; prout 2. ratio ipsa confirmat; si enim talis esset, inferret necessitatem; ergo.

606. Resp. ad 1. cum s. Thoma, q. 24, art. 1 et 3, *Dist. antec.* Si per librum vitae veniat notitia eorum, qui ordinantur ad vitam aeternam, *C.* si veniat notitia salvandorum in actu secundo *N.* Et sic omnia Scripturarum testimonia de libro vitae primo sensu accepto exponi debent; si tamen in omnibus adductis testimoniis sermo est de praedestinatione, quod plures negant; sermo enim potius est vel de vita praesenti, ut in Exodo, vel de censu verorum israëlitarum, ut in Psalmo, etc.

607. Ad 2. *D.* Inferret necessitatem consequentem, *C.* antecedentem *N.* Ut enim ratiocinatur s. Th. q. 23, art 6: Praedestinatio est pars providentiae, quae non easdem omnibus effectibus causas praeparavit, sed aliis necessarias, ut ex necessitate fierent, aliis vero contingentes et liberas, ut non fierent ex necessitate, sed contingenter et libere; et tamen providentiae ordo est infallibilis. *Sic igitur*, concludit, *et ordo praedestinationis est certus, et tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit praedestinationis effectus.*

PROPOSITIO II.

Nemo absque speciali revelatione certus esse potest de sua praedestinatione

608. Propositio de fide est. His enim verbis Concilium Trid. eam definivit, Sess. VI, can. 16: *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, anathema sit*; et cap. XII ejusdem Sessionis jam docuerat: *Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

609. Probatur autem tum ex Scriptura, tum ex patribus. Apostolus enim ait (Rom. XI, 20): *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time*; et (I Cor. X, 12): *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Hinc concludit (Philipp. II, 12): *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.*

610. S. Augustinus, ut excitet fideles ad orandum, et sic obtinendum perseverantiae donum, ita loquitur in lib. *De correpl. et grat.* cap. XIII: *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero praedestinatorum se esse praesumat?*

611. Ratio demum theologica id ipsum confirmat. Cum enim praedestinatio actus sit liber divinae voluntatis, nemo eum cognoscere potest independenter a divina manifestatione; ergo.

DIFFICULTATES

612. Obj. Scriptura ubique supponit, nos certos esse posse de praedestinatione nostra; Christus enim 1. Marc. XI, 24: *Omnia quaecumque orantes petitis*, inquit,

credite, quia accipietis; ergo et ipsam perseverantiam. Quod 2. magis aperte adhuc tradit Apostolus (Rom. VIII, 16), dicens: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi;* 3. ac I. Thess. I, 4: *Scientes, fratres, dilecti a Deo electionem vestram.* 4. Nil mirum proinde, si de se ipso scribere potuerit, II Tim. IV, 8: *Reposita est mihi corona justitiae.* 5. Apostolo Paulo consonat s. Joannes, Epist. I, cap. V, 13, dicens: *Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei*; ergo.

613. Resp. *N. A.* Ad 1. *D.* Si certi essemus nos bene orare ac perseveraturos in eadem oratione, *C.* si et hoc incertum sit *N.* Jam vero *quid oremus sicut oportet nescimus*, inquit Apostolus (Rom. VIII, 26).

614. Ad 2. *D.* Si filii *et haeredes*, quoad jus actuale, *C.* quoad perseverantiam finalem in tali jure, *N.* Addatur nos minime certo scire, utrum hic et nunc simus filii Dei, seu gratia sanctificante praediti.

615. Ad 3. *D. Electionem vestram* ad vocationem fidei, *C.* ad gloriam, *subdist.* In spe, *C.* in re. *N.*

616. Ad 4. *D.* Reposita est corona bene certantibus usque in finem, prout de se sperabat Apostolus, *C.* absolute, *N.*

617. Ad 5. *D.* Inchoative, per vocationem ad fidem, et fortasse etiam per gratiam, quam supponebat Joannes inesse fidelibus, *C.* in re, *N.* Et sane quot sunt, qui ad tempus credunt et diligunt, et tempore tentationis recedunt et pereunt?

ARTICULUS II.

De causis et effectu praedestinationis

618. Breviter nos ab his expediemus, cum magna ex parte, quae dicenda hic essent, praeoccupata jam fuerint. Haec autem addimus ad pleniorem argumenti, de quo actum est, cognitionem.

619. Dum inquiritur in causas praedestinationis, sensus hujus quaestionis non est de causa physica, ac de ea quae dicitur a priori; ut enim observat s. Thomas, p. 1, q. 23, art. 5: « Nullus fuit ita insanae mentis, qui diceret, merita esse causam divinae praedestinationis ex parte actus praedestinantis; sed hoc sub quaestione vertitur, utrum ex parte effectus praedestinatio habeat aliquam causam; et hoc est quaerere, utrum Deus praeordinaverit se daturum effectum praedestinationis alicui propter merita aliqua ». De sola propterea causa morali ac meritoria agitur.

620. Jam recensuimus circa ejusmodi causam errores pelagianorum ac semipelagianorum, nec non diversa scholasticorum placita circa praedestinationem inadaequate sumptam in ordine intentionis. Superest propterea, ut addamus causam finalem praedestinationis esse gloriam Dei, efficientem esse aeternum Dei decretum, meritoriam externam seu principalem esse merita Christi, meritoriam internam, seu secundariam, saltem quoad executionem, esse merita supernaturalia ipsius praedestinati.

621. Quod vero attinet ad praedestinationis effectus, notandum est, duas conditiones requiri ad hoc, ut aliquid inter praedestinationis effectus recenseri possit, 1. ut sit a Deo tanquam causa praedestinante; nisi enim oriatur a praedestinatione tanquam a causa, non potest esse ejus effectus; 2. ut cum gloria caelesti connexionem ha-

beat, et ad eam actu de facto perducat. Hinc praedestinationis effectus sunt vocatio, justificatio et glorificatio, juxta illud Apostoli (Rom. VIII): *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Inter praedestinationis effectus recensentur deinde naturalia illa bona, quae ex speciali Dei Providentia et amore ad vitam aeternam ordinantur, cujusmodi sunt ingenium, bona indoles, etc. dicente eodem Apostolo (loc. cit.): *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Recensentur demum mala poenae, et juxta aliquos ipsa mala culpae, seu peccata, non quidem per se et ratione sui, sed, ut aiunt, per accidens, ratione nempe subsequentium bonorum, quae Deus sua misericordia ac virtute ex illis novit eruere, juxta illud s. Augustini (*De civ. Dei*, lib. XIV, cap. XIII): « Audeo dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum; unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumpsit. Hoc dicit et sacer psalmus: Imple facies eorum ignominia, et quaerent nomen tuum, Domine. Id est: ut tu eis placeas, quaerentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt, quaerendo suum ». Qui plura cupit, consulat Suarez, *De effectibus praedestinationis*, lib. III.

CAPUT III.

DE REPROBATIONE

622. Reprobatio idem est ac rejectio; definitur autem a Magistro Sentent. lib. I, dist. XI: *Praescientia iniquitatis quorumdam, et praeparatio damnationis eorumdem.* Haec autem definitio soli competit reprobationi po-

sitivae; quae tres actus complectitur, permissionem culpae, negationem gratiae efficacis ad resurgendum ab eadem culpa, decretum damnationis. Ex quibus patet reprobationis causam proximam aliam non esse nisi peccatum. In quo magna est catholicorum omnium consensio adversus calvinistas et praedestinatianos.

623. Verum magna lis fervet inter theologos relate ad reprobationem negativam, num scilicet in primis detur haec negativa reprobatio, quae juxta aliquos consistit in Dei decreto excludendi aliquos a gloria, tanquam a beneficio indebito, ex sola sua voluntate, ante praevisum quodcumque eorum peccatum, sive originale, sive actuale; quin tamen positive addicat vel destinet quempiam ad poenas, nisi ex praeviso peccato; in quo differunt a praedestinatianis (1). Juxta alios vero consistit in sola exclusione a gloria absque decreto aliquo positivo; et solum negative se habet, quatenus Deus aliquos non praedestinat ad gloriam (2). Harum opinionum fundamentum pendet ex sententia, quam isti theologi tuentur, de gratuita electione ad gloriam, seu ante praevisa merita gratiae.

624. Qui vero adstruunt praedestinationem inadaequatam post praevisa ejusmodi merita, nullam agnoscunt negativam reprobationem, quae consistat in exclusione a gloria, sive ista fiat actu positivo sive negativo; sed contendunt neminem excludi a gloria nisi ex praeviso aliquo peccato, originali quidem in infantibus decedentibus absque baptismo, actuali autem in infidelibus adultis, originali simul et actuali in infidelibus. Adeo ut

(1) De erroribus Praedestinatianorum cons. Petavius, *De Incarn.* lib. XIII, cap. 6 et seqq.

(2) Haec sententia communis est omnibus theologis, qui propugnant gratuitam praedestinationem ad gloriam; quam alii repetunt a peccato originali vel in se, vel saltem in radice, seu causa remota; alii a sola voluntate Dei, negative se habentis respectu non electorum, ob rationes seu motiva nobis ignota, etc. Cfr. Suarez, *De reprob.* lib. V, cap. 5, num. 1 et seqq. praesertim num. 11.

unum idemque sit excludere a gloria et poenis addicere ex praevisione culpae (1).

625. Attamen sive admittatur sive rejiciatur haec negativa reprobatio, cum reprobatio positiva quae supponit peccatum ut causam proximam, exigat causam remotam et, ut vocant, radicalem, quae consistit tum in decreto permissivo peccati, seu non dandi gratiam efficacem ad ipsum impediendum, nec concedendi gratiam ad resurgendum a tali peccato, hic rursum disceptant theologi, unde repetenda sit haec Dei circa reprobos agendi ratio; num scilicet a sola ejus voluntate, num a defectu gratiae, num etiam a peccato originali, licet deleto, influente tamen ut causa remota. Ac demum, admissis etiam tribus his causis, disputant circa causam principalem, quaenam scilicet ex his causis censenda sit radix, ex qua ceterae profluant.

626. Nos, hisce domesticis concertationibus dimissis, unice incumbimus in adstruenda veritate catholica adversus praedestinatianos, tum veteres tum recentiores, qui impie contendunt Deum pro arbitrio suo homines ante quamcumque culpae praevisionem praedestinasse ad aeternum interitum. Ex quo inferunt, Deum his denegare fidem et omnem gratiam, eosque necessitate ad peccandum compellere, decipere et iis illudere; Sacramenta relate ad hos reprobos sterilia ac nuda signa esse. Ita Calvinus passim, apud Bellarminum, tom. IV, *Controv.* lib. II, *De statu peccati*, cap. III, nec non apud Petavium, *De Deo*, lib. X, cap. VI et seqq.

627. Non tamen sibi semper constitit Calvinus, prout

(1) Cfr. Petav. *De Deo*, lib. x, cap. 3 et 4; ubi ex Scriptura atque ex patrum graecorum et latinorum communi doctrina ostendit, Deum velle omnes homines salvos fieri voluntate efficaci, licet conditionata; Deum omnes diligere, odisse nemi-nem; omnibus gratiam dare, nullam esse reprobationem mere negativam; amorem et odium Dei intelligendum esse de praesenti hominum statu; non posse baptizatos propter massae vitium et peccatum originale reprobari.

ticis omnibus mos est; alibi enim videtur in pec-
originale tanquam in causam rejicere hominum,
fidelium, reprobationem, peccandi necessitatem,
te nuper recensita. Huic posteriori sententiae Jan-
subscribit; subscribunt pariter recentiores calvi-
, gomaristae nuncupati, ut patet ex actis synodi
echtanae (1). Qui primae sententiae Calvini adhae-
antelapsarii vocantur; qui posteriorem sequuntur,
psarii seu *superlapsarii* audiunt.

PROPOSITIO.

*m est asserere Deum ex solo beneplacito ali-
s homines positive reprobasse, atque aeternis
pliciis destinasse, absque praevii peccati prae-
one*

. Impia enim censeri debet sententia, quae aperte
nat Scripturae, traditioni universae, ipsique sanae
. Talem vero esse Calvini ac praedestinatianorum
tiam, sic ostendimus: Scriptura in primis haec tra-
*eus mortem non fecit, nec laetatur in perditione
m*, ut Sap. I, 13.; ac ibid. XI, 25, rationem ad-
ic Deum alloquens: *Diligis omnia, quae sunt,
l odisti eorum, quae fecisti.* Docet praeterea Scri-
, *Deum nolle aliquos perire* (II Pet. III, 9); *
mortem impii, sed ut magis convertatur et vi-*
Ezech. XVIII, 23); ergo a fortiori Deus neminem
at ac poenis aeternis destinat absque praevisione
. Tertio denique Scriptura nullam unquam aliam
a assignat tum irae et indignationis Dei, tum ae-
damnationis, praeter peccatum. Apostolus enim ait
II, 8 et 9): « Iis, qui sunt ex contentione, et

(1) Part. 1, sess. 99, p. 268. apud Petav. *De praed.* lib. 1, cap 11, § 15.

non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum »; et Christus (Matth. XXV, 41): « Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare »; ergo ex verbis Christi unica ratio, cur in istos reprobos damnationis feratur sententia, est neglectus bonorum operum, ad quae ipsi tenebantur.

629. Patres unanimi consensu reprobationis causam, non in voluntatem Dei, sed in hominum peccata praevisa rejiciunt; nos unum laudamus Augustinum, qui lib. III *Contra Julianum* scribit: « Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est (1) ».

630. Ratio demum theologica multiplex est. Ac 1. quidem petitur ex voluntate Dei salvandi omnes, et omnes ad aeternam felicitatem perducendi, quantum in ipso est, si homines illud vitio ac malitia sua non impedirent, prout superius ostendimus. Petitur 2. ex divina misericordia et justitia, quae sunt universae viae Domini; ex neutrius enim vi potuit Deus hominem sempiterno exitio devovere absque ipsius culpa: non ex misericordia, ut patet; non ex justitia, quae poenam non decernit nisi ex culpa. 3. Demum petitur ex ejus agendi ratione in tempore. Deus neminem in tempore damnat, nisi aliqua praecesserit culpa; ergo neque ab aeterno ad poenam quempiam praedestinavit, nisi supposita culpa.

631. Quod autem Deus neminem praedestinaverit ad peccatum, ideoque non sit auctor peccati, et homo libero polleat arbitrio, etiam supposito peccato originali, id a nobis suo loco ostendetur.

(1) Cons. Petav. *De Deo*, loc. cit. c. II, III et IV; Becanus, *Manuale Controv.* lib. III, cap. 3, q. 1; Tournely, *De Deo*, q. XXIII, art. 2, conclus. V.

DIFFICULTATES

632. Obj. Scriptura nullam aliam assignat causam hominum reprobationis praeter unam Dei voluntatem. Apostolus enim Rom. IX, 11 et seqq. haec aperte habet: « Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui »; tum v. 16: « Igitur non est volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei »; ac propterea de Pharaone v. 17, ex nomine ipsius Dei scribit: « Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam »; et clarius adhuc v. 18: « Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat »; ac demum concludit v. 21, rationem reddens: « An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » Ergo ab una Dei voluntate reprobatio repeti debet.

633. Resp. *D. A.* Reprobationis a gratia vocationis ac fidei, *C.* a gloria *N.* Scopus enim Apostoli in tota hac epistola est, ostendere vocationem ad gratiam esse prorsus gratuitam, non autem ex praecedentibus meritis, quae neque in gentilibus, neque in judaeis ulla erant, vel, si quae erant, mala erant. Hinc, cum omnes pariter sub peccato essent, et egerent gloria Dei, Deus, qui liber omnino est in dispensatione bonorum suorum, gentilium misertus est, et vocavit eos misericorditer; judaeos, generatim saltem, juste reprobavit ob ipsorum incredulitatem; sicut in temporali benedictione et Patriarcharum serie, in pari conditione, praetulit Jacob fratri suo Esaü; sicut Pharaonem illum in propria induratione reliquit, Nabuchodonosoris autem misertus est; prout demum ex duobus peccatoribus, qui luto viliores sunt, al-

terum assumit ad gratiam ex misericordia, alterum relinquit in peccato ex justitia; ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei.

634. Ex his duo nobis colligenda sunt. Ac 1. si comparative quaeratur, cur e duobus peccatoribus, vel solo originali vel etiam actuali peccato infectis, Deus uni majorem exhibeat misericordiam quam alteri, non aliam esse causam quam Dei voluntatem. Huc spectat illud Apostoli: *O altitudo!* 2. Si seorsum quaeratur, cur Deus hunc vel illum repellat a justitia vel gloria, veram causam esse, quia peccator est et impius. Hinc s. Augustinus hanc rationem assignat, cur Deus Esaü odio habuerit, lib. I *Ad Simplicianum*, cap. II, scribens: *Deus non odit Esaii hominem; sed odit Esaii peccatorem.* Sic, ad hoc ut respondeat, cur Deus hujus aut illius non misereatur, haec habet, *Epist. XV*: *Quibus Deus misericordiam non impertitur; ut non impertiatur, merentur.* Cur Deus induret aliquos, respondet ibid.: *Quaerimus meritum indurationis et invenimus.*

635. Inst. legitur 1. Prov. XVI, 4: *Universa propter Semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* et 2. Sap. XIV, 11: *Creaturae Dei in odium factae sunt.* Et sane, 3. qui sine baptismo decedunt, ac tot infideles, qui de Christo non audiunt, cur creantur, nisi ut damnentur? ergo.

636. Resp. ad 1. *D.* Praesupposito peccato, impius servatur ad diem malum, *C.* eo non praesupposito *N.*

637. Ad 2. pariter *D.* Ex culpa hominum, *C.* ex intentione Dei *N.* Omnes enim Dei creaturae bonae sunt: sed si homines iis ad peccandum abutuntur, sibi solis imputare debent, si indidem ruinae occasionem inveniunt.

638. Ad 3. Responsio patet ex dictis circa voluntatem Dei salvandi omnes. Nunc addimus cum s. Prospero, in *Responsione ad objectionem tertiam Vincentianam*: « Nemo a Deo ita creatus est, ut pereat; quia alia est

causa nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant praevaricationis est meritum ».

639. Huc spectant, quae acute observat s. Augustinus in lib. *De vera relig.* cap. XXV, num. 46, de duplici providentiae ordine, cum privatis nempe individuis, et cum integris nationibus, circa hominum salutem; ex quibus discimus, neminem nisi de seipso conqueri posse, si ab ea excidat: « Quoniam divina providentia, *inquit*, non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice consulit, quid cum singulis agatur, Deus, qui agit, atque ipsi cum quibus agitur, sciunt; quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit et per prophetiam ».

TRACTATUS

DE

SS. TRINITATE

TRACTATUS

DE SS. TRINITATE

PROOEMIUM

1. Hactenus de Deo ejusque attributis, sin minus pro rei amplitudine et gravitate, at pro necessitate et utilitate adolescentium, quibus praelectiones hae conscriptae sunt, sane quantum satis est. Tempus jam est, ut gradum animumque convertamus ad augustissimum Trinitatis mysterium, quod est totius, qua christiani sumus, fidei basis ac fundamentum; quo posito, cetera religionis nostrae mysteria subsistunt; quo sublato, cetera pariter corruant necesse est.

2. Fidem mysterii hujus totam summatim amplexus est auctor symboli, quod Athanasianum dicitur, illis verbis: *Fides autem catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes*; seu, ut canit ecclesia in praefatione de Trinitate, eo reducitur fidei nostrae professio: *Ut in personis proprietas, in essentia unitas, et in majestate adoretur aequalitas.*

3. Quum igitur catholicae fidei confessio de Trinitate consistat in agnoscenda numerica trium personarum distinctione in una et individua essentia divina, quo fit, ut tres istae personae consubstantiales sint et coaequales, ita tamen ut una ab alia procedat, Filius quidem a Patre per aeternam generationem, Spiritus Sanctus a Patre et

Filio tanquam ab uno principio per simplicem processionem, in tres classes dividi possunt errores, qui huic mysterio adversantur.

4. Prima est eorum, qui nullam agnoscunt in Deo personarum distinctionem; cujusmodi in ecclesiae exordio fuerunt sabelliani et omnes surculi, qui ab iis enati sunt.

5. Altera eorum est, qui consubstantialitatem et aequalitatem personarum in divinis sustulerunt; quales fuerunt ariani, anomaei et macedoniani, cum suis omnibus variationibus et sectis ab iis profluentibus.

6. Tertia demum complectitur eos, qui inficiati sunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio, tanquam ab uno principio, procedere, ut graeci schismatici (1).

7. Aetate hac nostra omnes hosce errores renovarunt sociniani, seu unitarii, ac demum rationalistae, qui non agnoscunt in Deo nisi unicam personam, cetera vero omnia respuunt, veluti sanae rationi contraria, atque a platonicis doctrinis exorta commenta.

8. Ut omnibus his erroribus, quibus funditus evertitur tota christiana religio, catholicam doctrinam, methodo adhibita, opponamus, praemissis necessariis notionibus ad pleniorem dicendorum intelligentiam, 1. generatim adstruemus existentiam et veritatem trium personarum subsistentium in unitate divinae naturae, ex fontibus nobis propriis, Scriptura scilicet et traditione, prout eas semper intellexit ecclesia; simulque ostendemus impervium ejusmodi mysterium rectae rationi minime adversari. Demum ex demonstrata ac vindicata generali hac veritate, velut per modum corollariorum, singillatim deducemus divinitatem Filii atque Spiritus Sancti. 2. Ostendimus juxta easdem regulas, Spiritum Sanctum non mi-

(1) Omnium haereticorum, qui quomodo contra rectam fidem de Trinitate peccarunt, historiam exhibet Petavius, *De Trin.* lib. 1, cap. 6 et seqq.

ıs a Patre quam a Filio procedere. 3. His addemus non-
ulla scholia, ad ea uberius explananda, quae de hoc
ıysterio auditoribus nostris magis opportuna ac scitu uti-
a videbuntur, ut eas cognitiones hauriant, quae con-
ɜrunt ad pleniorem ejusdem veritatis notitiam. Haec au-
ɜm omnia sex omnino capitibus complectemur.

ae constituendam concurrunt, 1. ut sit id, quod
n in re concipitur; 2.. ut sit eorum omnium, quae
unt, aut ab ea dimanant, radix ac fundamentum,
sit id, per quod res ipsa ab alia qualibet secer-
id enim rei cujuslibet est essentia, inquit Peta-
quod in ea primum est, et a quo reliqua dein-
quae sunt, derivantur (1). Hinc hominis essentia
est, quod sit animal rationale, trianguli, ut tri-
ıgulis ac lateribus constet, etc. (2).

Naturae vox est a *nascor* (3), adeo ut ejusdem
e esse participem, si vocis etymon spectes, tanti
, quanti fuisse aliquem parentibus iisdem satum vel
in lucem (4). At progressu temporis deflexit *na-*
vox a primaeva hac notione, ac saepe pro essen-
ırpata est (5). Prout tamen ab essentia distingui-
ıatura definiri solet *principium actionis ac ope-*
um rei intime inhaerens (6). Quatenus autem Deo
nodatur, dici potest *principium actionis divinae*,
ı tamen actione interiori minime sejunctum. Istius

:. Petav. *De Deo*, lib. 1,
§. 3. Ita etiam philosophi;
Volf, *Philosophia Prima*,
log. part. 1, sect. 2, cap.
et seqq., edit. Veron. 1736;
us a Brixia, *Metaph.* part.
1, corol. 1; Storchenau,
ct. 2, cap. 2, § 45.
tandum vero est, cum de
disseritur, nomen *essentiae*
de essentia *physica*.
r. Lactant. *Divin. Instit.*
cap, 28, edit. Paris. 1748;
art. 1, q. 29, art. 1, ad
. *de Trin.* lib. 11, cap. 5

teres haeretici a germano
teri naturae significatu oc-
arripiebant, ne dici pater-
rsonam Trinitatis vel secun-
tertiam ejusdem esse natu-
prima, eo quod reliquae
rima, prima vero a nulla
duxerit.

(5) Si quidem ipso latinitatis aureo saeculo vox *naturae* usurpata est ad designandam rem quamlibet existentem, ac saepe posita est pro essentia. Sic Horat. lib. 11, *Sat.* VIII, v. 91:

Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes;
Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus.

(6) Post Aristotelem recentiores philosophi definire solent naturam corporum, tanquam ea sit principium actionis et passionum, quae in corpore contingunt. Cfr. Storchenau, *Cosmol.* § 85 et seqq.; Christ. Wolf. *Com.* § 145 et 503. Quum in spiritibus et praesertim in Deo nulla passio possit habere locum, ideo natura sic in genere definita est, ut queat Deo ac spiritibus aptari.

significationis *naturae* usus receptissimus est apud patres, sive graecos sive latinos, qui considerant operationes et actiones velut notam et characterem vel indicem naturae. Hinc probant in Christo duas fuisse naturas ex diversis operationibus. *Actionem* enim veteres communi consensu dixerunt *substantialem naturae motionem*, id est, interiorem et propriam, non extrinsecus advenientem (1).

14. *Substantia* ab accuratioribus philosophis definitur *id quod nullo alio indiget, cui inhaereat ad existendum.* Hoc proinde sensu substantia in suo conceptu, seu, ut dicitur, *in recto*, non importat nisi meram negationem essentialis dependentiae a subjecto in existendo; quemadmodum notio *entis* meram tantummodo intrinsecae contradictionis negationem designat. Triplici autem sensu substantia accipi potest: 1. pro essentia (2), 2. pro eo quod subest accidentibus ac modificationibus, quo sensu a *substando* (accidentibus) dicta fuit, 3. pro re per se existente. Et hoc postremo sensu tam de Deo, quam de creaturis praedicari potest (3).

15. *Existentia est essentia in actu*; seu existere res

(1) Cfr. Wolf, *Ontol.* § 713 et seqq.; Petav. *de Incarnat.* lib VIII, cap. 2, § 4 et seq.

(2) Quo sensu s. August. *De Trin.* lib. VII, cap. 4, num. 7, scribit: *Quia, sicut jam diximus, non aliter in sermone nostro* (id est, latino), *essentia quam substantia solet intelligi.* Quod pluribus confirmat Petav. *De Deo*, lib. 1, cap. 6, num. 15 et seq.

(3) De diversis his substantiae acceptionibus cfr. Fortunatus a Brixia, *Metaph.* part. 1, diss. 3, sect. 1; nec non Wolf, *Ontol.* § 768 et seqq., ubi, cum definivisset substantiam: *Subjectum perdurabile et modificabile*, nititur componere hanc suam definitionem cum notione substantiae communi, et cum notione cartesianorum, etc. Fatetur tamen substantiae nomen Deo non convenire, nisi *eminenter*, non vero *formaliter*. Si loquatur de sua definitione, recte id quidem, non vero, si in communi aliorum acceptione, ut patet ex ea, quae a nobis prolata est. Hinc optime Damascenus, *Dialect.* cap. 4: Οὐσία μὲν οὖν ἐστὶ πρᾶγμα αὐδύπαρκτον, μὴ δεόμενον ἑτέρῳ πρὸς σύστασιν· ἤγουν τὸ ἐν ἑαυτῷ ὂν, καὶ μὴ ἐν ἑτέρῳ ἔχον τὴν ὕπαρξιν. Id est, « Substantia est res per se existens, nec alia indigens ad subsistendum; sive, id quod ita in se est, ut non existat in altero ». Vid pag. 11, edit. Le Quien, Paris. 1712. Quae quidem definitio tam convenit Deo quam creaturis, quae dependent utique a Deo, at non inhaerent Deo tanquam subjecto.

liqua dicitur, cum in rerum natura posita est, et extra rerum possibilitatis statum reperitur. Ex qua definitione patet existentiam ab essentia in eo differre, quod essentia, nempe metaphysica, sit prorsus necessaria, non item, generatim saltem, existentia, quae insuper aliquid amplius dicit praeter simplicem possibilitatem; hinc a nonnullis dicitur existentia *possibilitatis complementum*. Existere per *essentiam* dicitur ens, quod ita existit, ut ipsa ejus essentia sit ratio, cur existat, seu quod ideo existit, quia est id quod est. Sic Deus dicitur existere per suam essentiam, quia ratio cur existat in ipsius essentia comprehenditur. Contra vero id non existit per suam essentiam, cujus ratio existendi in ipsius essentia minime comprehenditur. Sic per suam *essentiam* non existit homo, quandoquidem non ideo existit, quia homo est. Hinc primum dicitur *ens a se*, alterum vero *ens ab alio*. Et indidem patet discrimen inter essentiam et existentiam (1).

16. *Subsistentia* juxta vocabuli vim nihil aliud importat quam modum, quo substantia quaelibet, sive completa ut homo, sive incompleta ut pars hominis, brachium, pes, existit. Attamen hic speciatim sumitur prout est modus, quo substantia quaedam singularis tota et ultimo completa subsistit, suique juris efficitur; quare passim definitur *ultimum substantiae complementum, eam reddens sui juris sive incommunicabilem alteri tanquam supposito sive personae*. Per subsistentiam igitur substantia ita completur suique juris efficitur, ut independenter ab alio tanquam a persona vel supposito operetur, suasque proprietates declaret (2).

17. *Suppositum* convenit cum subsistentia, atque inter utrumque hoc unum discrimen intercedit, quod sub-

(1) Cfr. Storchenau, *Ontol.* sect. III, cap. 3, § 134.
(2) Cfr. Fortun. a Brixia, ibid. part. I, sect. III, definit. 3 et seqq., necnon Wolf, *Ontol.* § 174 et seq.

CAPUT I.

DE VOCIBUS, QUAE IN DISSERENDO DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO USURPANTUR

9. Recte monuit s. Hilarius : *Ut, quia malignitas, instinctu diabolicae fraudulentiae excitata, veritatem rerum per naturae nomina eludit, nos naturas nominum proferamus* (1). Horum autem nominum seu vocabulorum accurata expositio duobus potissimum commodis inservit, primo quidem dicendorum perspicuitati, deinde vero explanandis quaestionibus, ex diversa, quae interdum apud veteres obtinuit, earumdem vocum notione ac vi exortis, quibus non semel haeretici abusi sunt.

10. Quum autem ad duo praecipua capita revocari possint, quae mysterium, de quo agimus, spectant, *unitatem* scilicet ac *distinctionem* ; hinc vocabula theologorum usu trita, cum de eo disserunt, bifariam dividuntur, quorum alia afficiunt unitatem divinae naturae, et personis tribus sunt communia, alia respiciunt personas seorsum sumptas et eas proprietates, quae *personales* vocantur. De utrisque propterea, prout ad rem praesentem pertinet, disserendum.

11. Ejusmodi igitur vocabula in primis sunt *essentia*, *natura*, *substantia*, *existentia*, *subsistentia*, *suppositum* atque *persona*. His accedunt ea quae spectant ad *origines* ac *relationes*.

12. *Essentia*, quae ab *esse* nomen habet, est id, quo res quaelibet est id quod est. Sic essentia hominis est id, per quod homo homo est. Cum vero in re nihil sit prius eo, per quod res ipsa est id quod est, nihil in re est prius essentia. Tria ad notionem essentiae meta-

(1) *De Trin.* lib. II, num. 5.

entiones et dissidia in ecclesiis. Hac autem vo-
fusione abusi pariter sunt refractarii sabelliani
(1).

aeterea notandum est hactenus dicta nonnisi im-
atione Deo convenire posse. In Deo enim *na-*
istentia et *essentia* unum sunt; quum ipse sit
tia, existentia, aeternitas, etc. Sic nonnisi im-
ratione et ob sermonis inopiam de Deo *perso-*
dicantur. Personae enim in creatis non solum
iam, sed etiam entitatem distinctam separatam-
nt, quae limitatione sua unum tantum suppo-
ficere potest; in Deo autem personae solum sub-
nodum distinctum dicunt, totam vero divinam
communem et indistinctam habent. Hi autem
tra cogitandi ratione superveuire concipiuntur

adhibuisse philosophos
ecclesiae doctores. Illi e-
aine, designarunt singu-
iduamque substantiam,
co *primam* nominarunt.
stiani scriptores aliter fe-
ioc nomine et οὐσίαν ap-
singularem individuam-
ommunem individuis sub-
rimam vero seu singula-
ıtiam ὑπόςτασιν vocant,
em οὐσίαν dicunt. Capite
tendit Petavius, eamdem
eptionis discrepantiam cir-
ὐσιν, quam alii pro na-
te a φύναι, quod est na-
o substantia promiscue in-
m acceperunt. Sic pariter
ox φυσις in sensu perso-
a est seu hypostasis. Eam-
riguisse apud veteres con-
ıtionem vocis ὑπόστασεος,
atura vel essentia adhibe-
pertum est; persona enim
ρροσωπος dicebatur.
promiscua illa, atque non-
ninata vocum acceptione
confusio orta est, qua
ıi, tum ariani abusi sunt,
siquidem nunquam haeretici bona fi-
de utuntur. Patres enim illi, qui
οὐσιαν pro persona sumebant, et ὑπό-
στασιν pro essentia, dicebant tres es-
se in Deo *usias* et unam *hypostasim*;
e contra illi, qui *usiam* pro essen-
tia usurpabant, et *hypostasim* pro
persona, dicebant tres esse *hyposta-
ses* et unam *usiam*. Hinc sabelliani,
qui contendebant unam ac simplicis-
simam esse in Deo personam, dice-
bant unam esse in Deo hypostasin,
et rejiciebant hanc sententiam in il-
los patres, qui unam hypostasin in
Deo asserueruut. Ariani vero, qui
tres substantias separatas et diversi
ordinis admittebant, affirmabant in
Deo tres esse *usias*, et patrum illo-
rum auctoritate fulciebantur, qui,
sumentes usiam pro persona, tres in
Deo asserebant *usias* esse. Brevi do-
lus detectus est, sed cum haeretici
illi mala fide id facerent, in errore
perstiterunt. Contra vero, cum in-
ter catholicos mota pariter haec quae-
stio esset, praesertim inter Meletium
et Paulinum, detecta logomachia,
quaestio cessavit. cfr. Pet. ib.

ipsi divinae substantiae, quam afficiunt, et quam reddunt singularem in unaquaque persona (1). Ex hac observatione corruit argumentum, quod jactant, adversus catholicam doctrinam de Trinitate, hebraei et sociniani ex nomine personae: *Non enim*, inquit Jacquelot, *alio nititur fundamento quam nominis hujus ad res creatas accommodati idea, atque definitione, quae alia prorsus est ab ea, quam in divinis habemus; neque enim praeter subsistendi modum aliud ibi significat* (2). Hinc tres personas dicimus in Deo esse, non *tria individua*; cum haec distinctas naturas connotent, quod alienum est a divinis hypostasibus, in quibus una essentia est atque natura, ideoque una naturalis seu essentialis mens, voluntas et operatio.

21. Juvat nonnulla addere de *originibus* et *relationibus*. *Origo est emanatio unius ab alio*. Emanare autem potest unum ab alio vel tanquam a *principio* vel tanquam a *causa*; rursus vel *generatione* vel simplici *processione*. Singulae hae voces sunt exponendae.

22. *Principium est id, quod rationem continet, cur illud sit, cujus dicitur principium*, quodque *principiatum* nuncupatur; seu brevius: *est illud quod habet in*

(1) Hinc optime Petavius, *De Incarn.* lib. III, cap. 13, § 3: « Cum dicimus, *inquit*, Filium unam esse hypostasim divinitatis, vel Patrem, Filium et Spiritum S. tres esse divinitatis personas aut hypostases, *naturam* ipsam in singulis cogitamus, verum non absolute, ac per se; sed quatenus *personali proprietate affecta* et quodammodo determinata est in unoquoque »; *et cap.* 14, § 3: « Ea proprietas relativa cum natura communi conjuncta, prout animo ista percipimus, personam Trinitatis secundam constituit, quae (natura) hac affecta proprietate tanquam forma subsistens efficitur, et hypostasis, ac persona ». Ex his patet quod persona, vel hypostasis, seu suppositum, prout abstracte sumitur, quaedam sit naturae modificatio, prout vero accipitur in concreto, ipsa est natura modificata, seu subsistens ut tali affecta modo, proprietate, forma, nostra scilicet concipiendi ratione. Cum autem in solo Deo detur substantia infinita, hinc fit, ut per formam, sive modum, sive proprietatem personalem substantiae finitae ac creatae, fiant substantiae finitae ac creatae, non solum ratione modi, sed ipsius substantiae, non item in Deo. Mysterium propterea istud per nullum exemplum adaequate exprimi potest.

(2) *Deuxième dissertation sur le Messie*, chap. 6, pag. 512, edit. Amstelod. 1702.

' *rationem principiati*; ex. gr. pater est principium, ius principiatum, quia pater in se continet rationem, r filius existat. Ex quo sequitur 1. principium debere *iquo modo* distingui a principiato. Continetur enim in incipio ratio cur sit principiatum. Dixi *aliquo modo* stingui; non enim necesse est, ut quoad *essentiam* stinguatur. Sic Pater in divinis vere est recteque dici- r *principium* Filii, licet eadem numero *essentia* in roque habeatur. Sequitur 2. adesse necessariam conne- nem inter principium et principiatum; ita namque se bent et mutuo se respiciunt, ut unum ex altero colli- tur. Sequitur 3. principiatum esse suo principio *aliquo odo* posterius; ideo namque habetur *principiatum*, quia tur *principium*. Dictum est pariter *aliquo modo* esse sterius principiatum suo principio, ab eoque pendere, ia satis est, ut haec posterioritas sit ordinis non autem nporis, atque haec dependentia sit solius relationis, out in divinis contingit (2).

23. *Causa* in genere dicitur *principium influens esse aliud;* seu clarius, *causa generatim sumpta est id od rationem continet cur aliquo modo habetur aliud, tura distinctum*. Quod autem a *causa* suum *esse* re- pit, *effectus* nuncupatur. *Causa* itaque dicitur *prin- ium*, quod stat loco generis. Omnis enim causa prin- ium est, cum rationem contineat, cur sit effectus; at ro non omne principium est causa, cum non sit de ione principii, ut a suo principiato natura distingua- '. Pater proinde in creatis est vere *causa* filii, at in rinis non est nisi *principium*; quia in creatis essentia 1 substantia patris ab essentia seu substantia filii pro r- ; distinguitur, non autem in divinis. Notandum porro graecos interdum vocare *patrem causam* filii, at cau-

(1) Plura cfr. apud Fortun. a Brixia, *Philos. mentis*, tom. II, pag. I, s. IV, sect. I, definit. I et seqq.

sae nomine intelligunt principium, sensu a nobis exposito, id est, *intrinsecum*, non autem *extrinsecum*.

24. *Generatio* post s. Thomam, p. 1, q. 27, art. 2, passim definitur *origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturae*. Haec autem similitudo debet esse speciei, non vero generis tantum, ut ibidem exponit s. Doctor. Plura de generatione videri possunt apud Suarez, *De Trinit.*, lib. IX, cap. 1 et seqq. (1).

25. *Processio* est *origo unius ab alio*; potest autem esse vel *ad intra*, ut dicitur, vel *ad extra*, et quidem, ut docet s. Thom. loc. cit., semper debet esse per aliquam actionem, vel immanentem vel transeuntem. Hinc magis patet processio quam generatio; omnis enim generatio est processio, at non omnis processio generatio est.

26. *Relatio* est *ordo seu habitudo unius ad alterum*. Duo proinde extrema relatio poscit, unum quod se refert, aliud ad quod refertur. Iste autem ordo vel mutuus est in utroque extremorum, vel non est mutuus, sed tantum ex parte unius extremi; sic tectum refertur ad domum, etsi haec non referatur ad tectum. Si mutuus est, ut creator et creatura, dominus et servus, pater et filius, etc., qui referuntur ad se invicem, *perfecta* da-

(1) Juvat hic in medium afferre definitionem generationis, quam dedit Aristoteles; siquidem ab ipsa magna ex parte ortae sunt contentiones arianorum. Generatio itaque ab Aristotele definitur: « Ex eo, quod omnino non est, in substantiam facta mutatio, per quam res simpliciter fieri, non aliquid fieri dicitur ». Ex hac porro definitione, quemadmodum patet, sequitur, ut ea quae generantur, sic se habeant, ut antea non existerent, neque in substantiis numerarentur, transferantur in classem substantiarum, ac progressum faciant ad existentiam. Hanc vero definitionem adoptantes ariani, et transferentes ad divina, inscite ac impie simul dixerunt *de non existentibus venisse filium, et fuisse aliquando tempus, quando non erat*. Quod cum saepe recantarent, neque ad officium redire vellent, ecclesia eos proscripsit, ut cum suo Aristotele saperent, neque rem catholicam perturbarent. Errabant etiam maxime, quod in hac definitione nihil differat generatio a creatione. Res enim per creationem ad existentiam transeunt ex non existentibus, et ex non substantiis transeunt in numerum substantiarum. Et tamen ipso lumine rationis et communi sentiendi et loquendi usu certissimum est haec duo differre. Ad generationem sufficiunt creaturae, quibus est impossibile vel atomum ad existentiam producere per creationem, quae uni Deo competit.

ppositio relativa, qua sola mutuo se distinguunt; o mutuus hic ordo non sit, oppositio relativa erit *fecta*. Notandum est autem ad veram relationem tuendam necesse non esse, ut oppositio intercedat in-bstantias, sed satis esse, ut intercedat oppositio modi, ermini sive extrema ad se invicem referantur (1).

Si oppositio sit inter substantias, dicitur *ad aliud*; est oppositio, quae in creatis intervenit. Si tantum ca modum, relatio dicitur *ad alterum*; talis est itio, quae habetur in divinis. In his enim, inquit ium Lateran. IV, cap. 2, *quaelibet trium perso-* *est illa res, videlicet substantia, essentia seu* *divina. Et illa res non est generans, nec ge-* *nec procedens; sed est Pater, qui generat, et* *, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit.* s intelligimus naturam divinam rem illam esse, sub triplici respectu a qualibet persona peculiari ex integro participatur seu afficitur.

Ob materiae necessitudinem nonnulla adhuc sub-la sunt de voce *ingeniti*, qua adeo abusi sunt ve-unomiani (2). Triplici sensu vox ista accipi potest, atenus significat *non factum* seu *non creatum* (3); atenus significat *non generatum* (4), vel demum

undamentum relativae deno-is est *id per quod termini* *xime relative denominabi-* actio, qua Petrus Paulum, est fundamentum relativae ationis *patris*, quae Petro; est enim id in Petro, ex nito determinatur mens, ut *lativam patris* denominatio-uat, utpote id, per quod t proxime capax, ut *pater* atur. Scholastici hoc vocant *fundandi* sive *fundamen-ximum relationis*. Rigidio-astici praeterea contendunt, fundamentum proximum re-formam nescio quam super-addendam rebus esse, ut ipsae *re-lativae* dicantur, alii vero id negant. Nos absque dispendio, imo fortasse magno temporis lucro, possumus ipsis dimittere has quaestiones; quas si agitare placeat, cfr. Fortunatus a Brixia, loc. cit.

(2) Inferius horum vafriticm in abusu vocis *ingeniti* aperiemus.

(3) Quo sensu graece ἀγέννητον scribitur unica ν.

(4) Et hoc sensu, graece scribitur ἀγέννηττον, duplici ν interjecta. Haeretici, qui nunquam bona fide pugnant, utramque olim significationem permutabant, ut deciperent incautos. Cfr. s. Joan. Damasc. *De*

prout exprimit *non emanatum*, sive creatione, sive generatione, sive productionis alio genere quocumque. Primo sensu communis est tribus personis, aeque enim nec factae, nec creatae sunt; imo et ipsi convenit divinae essentiae. Secundo sensu communis est Patri et Spiritui Sancto, neuter quippe generatus est. Postremo sensu solius Patris propria est, utpote qui solus sit principii cujuscumque expers et originis.

29. Verum *ingeniti* vox, hoc tertio sensu explicata, bifariam accipi potest, *negative* scilicet ac *privative*. *Negativa* vocabula ea sunt, quibus removemus a subjecto affectionem aliquam, quae nequeat prorsus illi convenire, ut cum Deum dicimus *immortalem*, *incorruptum*, etc.; *privativa* vocabula ea dicuntur, quibus significamus non adesse in subjecto aliquo proprietates, quae cum illo possunt cohaerere, ex. gr. caecitas, amentia in hominibus. Hinc si vox *ingeniti* divinae essentiae tribuitur, *negative* sumitur; si Patri tribuatur, qua persona divina tantum est, *privative* accipitur; si vero de Patre dicatur, quatenus Pater est, tunc *negative* sumitur, et exprimit *notionem* quamdam primae personae propriam, qua negatur in Patre productio quaecumque. *Notio* enim est id, quo personas valemus alteram ab altera secernere atque internoscere.

30. Patet igitur ex dictis *ingenitum* nec substantiam significare, nec qualitatem, nec relationem, nec positivum quidquam, sed relationis potius negationem; seu exprimere Patrem non esse a principio, ut a principio sunt aliae duae personae.

fide orthod., lib. I, cap. 8, cum nota 1 Le Quien, qui observat veteres hanc distinctionem agnovisse, inter quos reperitur auctor *Dialogorum adv. Arianos*, qui Athanasio adjudicantur; et jam primum s. Greg. Nazianzenum praclusisse, *Orat.* XXIII, et s. Epiphanium, *Haeres.* LXIV, aperte observasse omnino differre γεννητὸν et γεννητόν, ut hoc *genitum*, illud *creatum* et *conditum* significet. Nam prima vox a γίνομαι, *fio* provenit, altera vero a γεννάω, *gigno*.

bservandum denique est veri longe similius vo-
onae esse relativam in divinis, et non absolu-
primario et directe relationem exprimere, se-
et in obliquo, seu indirecte, designare substan-
Relativa pariter sunt nomina Patris, Filii, et
Sancti, quae primario proprietates, secundario
m significant; secus ac evenit in voce Dei, quae
naturam, secundario personas significat.

haec de his vocibus ac denominationibus hic
us limine delibasse sufficiat, ad tricas praeca-
ıereticorum, eorumque facilius suo loco falla-
gendas.

a ferbuit inter theologos
utrum *personae* vox di-
ıtiam significaret, indi-
elationem, an contra.
Vasquez, in 1. p. s. Tho-
disp. CXXVII, cap. 1 et
ertim cap. 2, ubi statuit
na nomen *personae* si-
maliter et directe sub-
aterialiter sed directe,
essentiam autem conse-
i sic mediam quamdam
tus est, ad primas duas
aciliandas. Attamen Pe-
Trinit. lib. IV, cap. 11,
m animadvertit « perso-
x eorum esse nominum
concreta dicuntur, hoc
s complexa, quorum al-
ti instar est, alterum
ae subjectum afficit,
sa in Deo nihil sit ejus-
lla pars aut compositio,
eum cogitatione descri-
bimus, quasi quiddam insit in illo, quod subjecti vicem habeat, quiddam alterum formae. Quare persona divina ex natura, sive essentia, velut subjecto, et proprietate, quae tanquam forma est relativa, componitur. Sed ambigitur utram partem proprie ac per se directaque notione persona significet ». Deinde, excussis diversis veterum et recentiorum sententiis, concludit § 9, juxta graecorum latinorumque patrum nec non conciliorum auctoritatem, personae vocabulum directa et, ut loqui solent, formali significatione non essentiam, sed proprietatem relativam in Deo notare, indirecte ac subobscure essentiam sive substantiam. Aperit praeterea originem hujus disceptationis, ortae ex diversa acceptione apud veteres vocis substantiae, quae interdum personae nomine designabatur. Cons. loc. cit.

CAPUT II.

DE NUMERICA DIVINAE ESSENTIAE UNITATE IN TRIBUS PERSONIS

33. Fidei nostrae dogmata non ex ratione, sed ex revelatione probari debent; id est, debet inquiri, utrum Deus revelaverit nobis nec ne hoc vel illud dogma seu mysterium. Si constet de hoc facto, Deum nempe reipsa aliquod dogma revelasse, credendumque nobis proposuisse, homo firmiter assentiri ei tenetur. Non aliunde autem nobis constare potest Deum revelasse nisi ex Scripturis Sacris ac traditione, quarum custos et interpres ecclesia est, juxta ea quae a nobis constituta sunt in tractatu *De vera religione*, part. II, propositionum serie, quas illic evolvimus ac vindicavimus.

34. Hac via propterea incedentes, dimittimus quaestionem, utrum, supposita etiam revelatione, demonstrari ratione possit nec ne existentia sanctissimae Trinitatis; quod aliqui affirmant, alii negant (1). Rationis munus proprium est ostendere nullam in hoc, quemadmodum nec in alio quocumque religionis nostrae, mysterio repugnantiam inveniri; quod quidem praestabimus

(1) Inter ceteros, qui perhibentur, supposita revelatione, voluisse ostendere existentiam ss. Trinitatis, eminet Hugo Victorinus s. Bernardo coaevus, *De Sacram.* lib. 1, cap. 11; Richardus item Victorinus, in opere *De tribus appropriatis personis in Trinitat.*, ad D. Bernardum; ac praesertim celeberrimus Card. De Cusa, tum in opere *De docta ignorantia*, lib. II, cap. 24 tum in lib. *Possest.*, cap. 7; lib. *De Berrillo*, cap. 22 et seq.; lib. *De venatione sapientiae*, cap. 24: lib. IV *Exercitation.* serm. ult.; item in lib. *De pace fidei*, cap. 7 et seq., ubi suggerit methodum ratiocinandi, quae indis et chaldaeis persuadeat; in *Cribratione alcorani*, lib. II, cap. 3. 4. 5 (Vid. haec in duobus prioribus tom. opp. edit. Basil. 1565). Ipsi praeiverat s. Anselmus, lib. *De fide Trin.*, cap. 2. Ex recentioribus laudantur Hermeneg. Pini, ex Cong. s. Pauli, in *Protologia*; Cl. Mastrofini, in opere cui titulus: *Metaphysica sublimior*, cujus nonnisi vol. 1, typis excusum est, Romae 1816, demum Th. Vincentius Falletti, Canon. regul. in opere: *Lo studio analitico della religione*, vol. II, capp. 8 et 9, Roma 1827.

olvendo difficultates, quae ab ejus impugnatoribus ex atione proferuntur.

35. Ex duplici proinde fonte revelationem mysterii s. Trinitatis ostendemus, ex Scriptura et ex perpetua aditione, seu ecclesiae fide ac professione. Rursum cum jusmodi revelatio nobis duplici ratione constare possit, um *directe*, per ea scilicet testimonia, quae loquuntur e tribus divinis personis in essentiae unitate, tum *in-irecte*, per ea, quae divinitatem personarum singula-um adstruunt, hinc ea omnia, quae proferemus ad evin-endam existentiam Trinitatis in unitate essentiae, pa-iter evincent divinitatem uniuscujusque personae, et ea, uae exhibebimus ad probandam divinitatem harum sin-ularum personarum, probabunt pariter mysterium Tri-itatis in essentiae divinae unitate; non enim in partes cindi divinitas potest.

36. Etsi autem prius ex testimoniis biblicis ostendamus nysterii propositi veritatem, ac postea ex sensu traditio-ali, non propterea has disjungimus probationes, quae nutuo se complectuntur; sed solum, ut ordini et perspi-uitati consuleremus, id a nobis praestitum est.

PROPOSITIO I.

Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae

Probatur primo ex sacris litteris generatim

37. Haec propositio est de fide, ut constat tum ex su-erius recitatis symboli Athanasiani verbis, tum ex omni-us catholicae fidei professionibus, atque ex Conc. Later. V, cap. *Firmiter*, cujus verba superius pariter retulimus.

38. Licet neque pauca neque obscura occurrant in Ve-eri Testamento testimonia, in quibus pluralitas praedi-

catur personarum, ut Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; ibid. III, 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; quae nonnisi per vim de Deo secum colloquente, atque absurde tanquam ad Angelos dicta, exponi possunt; nec non ea, quae passim leguntur sive in Psalmis, praesertim II, 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et Psal. CIX, 1: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis*; adhibita praesertim expositione tum Pauli tum Christi ipsius (1), sive alibi saepe; cum tamen expressam trium distinctarum personarum, in eadem divina natura subsistentium, doctrinam Christus Dominus patefecerit, ideo ex Novo Foedere potissimum veritatem propositi dogmatis ostendemus.

39. Ac 1. quidem apertissima sunt Christi verba, Matth. ult., *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Quibus verbis tres personas realiter distingui ostendit particula copulativa *et*; unam autem designari atque individuam trium harum personarum essentiam illud *in nomine* patefacit, quo significatur gratiam regenerationis et renovationis, qua filii Dei efficimur ejusque famulatui mancipamur, acceptam referri debere Deo, in tribus personis subsistenti (2); perinde enim valet vox illa *in nomine* ac in auctoritate, virtute et efficientia, prout biblica ipsa documenta testantur (3).

(1) Cfr. Prud. Maran cong. s. Mauri praeclarissimum opus, quo saepe utemur in decursu hujus tract. *Divinitas D. N. J. C.* vol. 1, fol. Paris. 1746, p. 1, lib. 1, cap. 1; Petav. *De Trin.* lib. II, cap 7; cfr. etiam *Dissert. ad Gen.* 1; 26, *pro ss. Trinitatis Mysterio contra Judaeos et haereticos omnes antitrinitarios*, in Collegio Romano proposita, a Petro Curti, S. J. inserta Thesauro Theologico P. Zaccariae, tom. III, pag. 20, Venetiis 1762.

(2) Inepte prorsus quaerunt unitarii pedem referre ex angustiis, in quas eos conjicit praescripta a Christo baptizandi forma, dum illud *in nomine* de baptismo Patris et Filii, etc. interpretantur vel de doctrina vel de discipulatu, etc., quae interpretationes omnes violentae sunt et obvio sensui contrariae, ut inferius ostendemus. Cfr. Maran opere cit. part. 2, lib 1, cap. 17, § 2; Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 12, § 8.

(3) Cfr. inter cetera Act. III, 6:

ło. Nec minus insigne est ad rem nostram testimo-
um, quod occurrit Joan. XV, 26, ubi Christus ait:
m venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Pa-
, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testi-
nium perhibebit de me. Tres ibi pariter distinctae
nmemorantur personae *Pater*, *Filius*, *Paraclitus*,
quidem eadem divina natura praestantes; altera enim
Filius, ejusdem ergo naturae cum Patre; altera vero
Patre procedit, non igitur facta, aut creata, sed a
re emanans eo sensu, quo Filius dicit de se ipso,
ıd exierit a Patre (Joan. XVI, 27, 28). Huc pariter
runtur verba Christi (ibid XIV, 16): *Et ego rogabo*
trem, et alium Paraclitum dabit vobis. Tres enim
sonae in vocibus *Ego*, *Patrem* et *Paraclitum* indu-
ıtur per mutuam relationem ac comparationem Filii ad
rem et Paracliti ad Filium, ut pronomen *alium* de-
rat, quasi diceret: Ea ratione, qua *Pater* dedit *Me*
is, qui Paraclitus sum, sic, cum ego abiero, dabit
is *Paraclitum alium.* Quod vero unius pariter sub-
ıtiae sint tres istae personae, patet ex totius orationis
e; cum enim Philippus, desiderio tactus videndi Pa-
n, sic Christum fuisset percontatus: *Domine, ostende*
is Patrem, et sufficit nobis; dicit ei Jesus: Tanto
pore vobiscum sum, et non cognovistis me? Phi-
e, qui videt me, videt et Patrem.... Non creditis
a ego in Patre, et Pater in me est? verba, quae
loquor vobis, a me ipso non loquor; Pater au-
in me manens, ipse facit opera (Joan. XIV, 8 et
q.). Jam vero 1. in his una praedicatur Patris ac Fi-
efficientia et actio, quae unicam expostulat substan-
n; 2. commeatio Patris in Filium ac vicissim, quae

nomine J. C. Nazareni surge,
; et cap. 4, 10: *In nomine D.*
. C.... in hoc iste adstat coram
sanus; Marc. ult.: *In nomi-*
eo daemonia ejicient, etc. Et alibi passim. Ex quibus evidens fit idem esse baptizari *in nomine* ac in potestate, auctoritate, efficientia trium personarum, in quas credimus et speramus.

dari non posset absque identitate naturae; 3. affirmatur uno viso alterum videri; quod consequens non esset, si diversa foret Filii a Patre substantia; nam in hoc casu viderentur duo plane distincta ac diversa (1). Quoniam vero tertia persona, qualis ibi describitur, vere Paraclitus est, perinde ac Filius, cum dicatur a Patre procedere, quemadmodum de Filio dicitur, quod processerit a Deo (Joan. VIII, 42) et exiverit a Patre (Joan. XVI, 27), necesse est et illam cum Patre et Filio in divina eadem et unica cohaerere natura. Tres igitur in citatis testimoniis designantur personae subsistentes in eadem essentia divina.

41. Denique, ceteris omissis, eadem veritas confirmatur ex verbis: *Audite audientes et nolite intelligere*, quae dicta a Deo Patre testatur Isaias (cap. VI, 9), prolata a Deo Filio exhibet Joannes (cap. XII, 40, 41), dicta a Deo Spiritu Sancto docet Apostolus (Act. XXVIII, 26); cum eadem propterea personis singulis tribuatur efficientia ac praedicetur gloria et majestas (2), una igitur trium distinctarum personarum Deitas praedicatur. Quare optime s. Basilius, haec expendens, ait: *Propheta inducit Patris, in quem Judaei credebant, personam; Evangelista, Filii; Paulus, Spiritus, illum ipsum, qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituerunt, distinxere, indistincta manente in eis de uno Deo sententia* (3).

(1) Cfr. apud Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 11, § 40 et seqq. Plura patrum testimonia, quae insignem hunc locum exponunt, o tendentes ex eo eamdem inesse Patri ac Filio naturam.

(2) Cfr. apud Maran, op. cit. lib. I, part. 2, cap. 17, § 3, qui totam hanc argumentationem in pleno suo lumine posuit.

(3) *Contra Eunomium*, lib. V, tom. I, pag. 301, edit. Mauriu. Paris. 1721: Ὁ προφήτης τοῦ Πατρὸς εἰσηγεῖται πρόσωπον τοῦ παρὰ Ἰουδαίοις πεπιστευμένου· ὁ εὐαγγελιστὴς τοῦ υἱοῦ· ὁ Παῦλος τοῦ πνεύματος· ἕνα κύριον Σαβαὼθ τὸν ὀφθέντα κοινῶς ὀνομάζοντες. Διήρηται αὐτοῖς ὁ περὶ τῆς ὑποστάσεως λόγος, ἀδιαιρέτου μένοντος ἐν αὐτοῖς τοῦ περὶ ἑνὸς Θεοῦ φρονήματος.

Haec autem hisque similia biblica testimonia ma-
nen etiam accipient ab iis, quae proferemus, cum
ii ac Spiritus Sancti divinitate seorsum disseremus.
terea, quae allata sunt, nisi vim ipsis inferamus,
evincunt, quod primo loco ostendendum assum-
, tres realiter distinctas personas in essentiae di-
unitate in sacris litteris praedicari.

DIFFICULTATES

I. Obj. cum Wegscheider (1). 1. nullus exstat Scri-
Sacrae locus, quo universa illa doctrina claris et
tis verbis tradita atque finita sit, nullus, quo vel
lum Τριάδος (*Trinitatis*) reperiatur, vel *persona-*
n Deo distinctio earumque ὁμοουσία (*consubstantia-*
commemoretur. 2. Nobilis vero ille locus qui man-
baptismale exhibet, apud Matth. XXVIII, 19,
ogmati speciem sententiae ab ipso Jesu Christo pro-
videtur conciliasse; quo loco etsi Pater Filius et
Sanctus vere distinguitur, Filium tamen et Spi-
Sanctum ejusdem cum Patre et essentiae et digni-
se neutiquam probatur, nec aliud quidquam ibi
pitur, nisi hoc, ut christiani ea religione obstrin-
, quae Deum esse Patrem hominum, Jesum Mes-
, et Spiritum Sanctum singularem quamdam Dei
, personae forma indutam, etc. (Matth. III, 16;
31, 57 coll. Luc. I, 35; Act. X, 38), incrementa

§ 79-80. Hic adnoto me libenanimo rationalistarum argu- proferre, tum quia quidquid rum antesignanis, socinianis, teteribus arianis prolatum est, e ac si catholici nihil unquam hiscere ausi fuerint, confiden- rogant congeruntque, una su- ita exquisitioris cujusdam im- ac malitiae appendice; quan- recentiores isti profligantur, antiquiores illos etiam, quorum armis utuntur, profligari necesse est; tum quia apertissime exinde patebit, quam tandem exigui rationalistae sint, qui sibimet imperitisque tanti videri solent, quique peritiorem quamdam, nusquam alias excogitatam, tricando scientiam ostendere satagunt; tum demum, quia eos a nemine hactenus ex professo confutatos video.

atque effectus novae religionis in animis hominum promovere doceat (Act. XIX. 2-6; I Cor. II, 10 et seqq.; XII, 3 et seqq.). 3. Eadem fere ratio est dicti, quod extat II Cor. XIII, 13, ubi Apostolus christianis apprecatur, ut favor Domini Jesu Messiae et amor Dei illis contingat, et ut Spiritus Sanctus ejusque dotes cum illis communicentur. 4. Neque magis dogma illud probari potest altero loco Matth. III, 16-17, quo Jesu Messiae per baptismum inauguratio, sub velo quodam mythico enarratur. 5. In ceteris autem, quae adduci solent, testimoniis I Cor. XII, 4-6; I Petri I, 1-2; Rom. XV, 30; Tit. III, 4-6, neque trium in Deo personarum neque ὁμοουσίας (*consubstantialitatis*) earum ulla fit mentio. Ergo.

44. Resp. Ad 1. *Neg.* Non unus enim tantum vel alter locus, sed plura loca Scripturarum proferuntur a catholicis, ad ostendendum Trinitatis dogma; ut patet etiam ex probationibus a nobis adductis, ex quibus tum trium personarum distinctio tum earumdem in divina essentia unitas patefactae sunt, ideoque et ὁμοουσία seu *consubstantialitas*. Quid vero refert, si non occurrat in Scripturis vel *personae* vel *trinitatis* nomen, si constet ex iisdem de re? Non enim de nominis, sed de rei existentia agitur (1); hac enim constituta, nomina per se profluunt.

(1) Quod si existerent haec nomina in Scripturis, nonne ea pariter rationalistae eluderent juxta principia a se posita? Certe in Scripturis Christus passim *Deus* et *Filius Dei* nominatur, ut inferius videbimus, *Spiritus Sancti* frequens pariter mentio fit: numquid propterea ipsi Christum Deum confitentur, et Spiritum Sanctum ut personam subsistentem habent? Ad eludendam potius omnium horum testimoniorum biblicorum vim, quae distinctionem personarum in unitate naturae exhibent, sic scribit Wegscheider, § 79: « Exstant in libris Novi Testamenti Pauli maxime et Joannis dicta, quibus Filius Dei et Spiritus Sanctus in *aliquam* divini honoris societatem admitti videantur; quorum duplex *classis* distingui solet, altera eorum, quibus Pater, Filius et Spiritus Sanctus simul commemorantur, altera eorum, quibus singillatim de illis exponitur. Ad recte intelligenda utriusque generis dicta, probe tenendum est, non propria Jesu Christi verba illic referri, sed partim ejus effata, prout ab aliis aliter intellecta et per traditionem varie exornata fuerint (quasi Joannes Christi effata ab ipsius ore non exceperit, tanta est rationalistarum impudentia!), partim singulorum scriptorum sacrorum judi-

45. Ad 2. sive ad 1. prob. *Neg.* Nam non solum speciem videtur conciliasse huic sententiae seu dogmati mandatum baptismale, sed fundamentum exhibet dogmatis catholici. Etenim observatum est Filium dici et appellari per comparationem ad Patrem, et Spiritum Sanctum per comparationem ad Patrem et Filium, ideoque tres distingui personas; cum autem in baptismo agatur de regenerationis gratia, quae in nomine harum trium personarum confertur, et quibus propterea dedicamur, merito infertur ex voce illa *in nomine* aequalitas ac unitas trium personarum in natura divina.

46. Sic *neg.* per baptismi formulam non aliud praescribi, nisi ut christiani ea religione obstringantur, quae Deum patrem hominum, Jesum Messiam, et Spiritum Sanctum ut singularem Dei vim exhibeat; 1. quia haec interpretatio *nova* est, et ante socinianos et rationalistas inaudita, et cui obstat sensus traditionalis totius antiquitatis (1); 2. quia est *absurda*, baptizaremur enim in nomine seu auctoritate et efficientia *vis* et *efficientiae* Spiritus Sancti; 3. quia est *violenta*, quis enim verba Christi, prout sonant in sensu obvio, audiens, intelligat patrem hominum, Messiam et efficaciam? 4. quia est *contraria* aliis Scripturae textibus, praesertim Joan. XV, 26; XIV, 16, superius adductis, in quibus Christus exhibet Spiritum Sanctum ut personam subsistentem, quae procedit, operatur, et eum vocat *alium* respectu sui ipsius; nisi igitur impie dicamus vel Christum non esse personam, sed prosopopoeiam et vim, vel improprie imo et insulse

ia (quibus profecto antecedendum est dicium rationalistarum) nec ubivis bi consentanea (ea quid sentiant de riptoribus sacris isti novi protestantes!) nec satis perspicue enunciata ».

(1) Ubi notanda est parum sibi coerens neotericorum biblicorum agendi ratio. Ipsi adeo extollunt in ermeneutica regulam *usus loquendi*, uti vocant, quem statuunt velut primarium criterium interpretationis exclusa interpretatione ecclesiae. Quando vero provocantur ad sensum traditionalem perpetuum antiquitatis, quae profecto est testis legitimus hujus *loquendi usus*, nihili illam faciunt, et sensui antiquitatis privatam interpretationem opponunt.

esse locutum, Spiritus Sanctus neque prosopopoeia est, nec simplex *vis* et *efficientia* (1).

47. Dices, I Cor. X, 2, Israëlitae perhibentur *baptizati in Moyse*, *in nube et in mari*; et ipsa ecclesia Romana in animae commendatione precatur: *In nomine Patris*, *in nomine Filii*, *in nomine Spiritus Sancti*, *in nomine Angelorum*, etc. Ergo formula *In nomine Patris*, etc. neque importat per se distinctionem et subsistentiam personarum, ut liquet ex primo textu, neque aequalitatem dignitatis et naturae, ut patet ex ecclesiae oratione.

48. Resp. *Neg. conseq.* et paritatem. Nam in primo textu dicuntur israëlitae baptizati in Moyse, in nube, etc. non autem in nomine Moysis et nubis et maris. In oratione ecclesiae, eo ipso quod dicatur distincte *in nomine* Angelorum et Archangelorum, etc., distinguitur dignitas ac natura Angelorum et Sanctorum, qui invocantur, ut intercedant apud Deum, a Deo ipso, seu a Patre, et Filio et Spiritu Sancto.

49. Ad 3. seu 2. prob. *Dist.* Si solitarie accipiatur dictum Apostoli non est prorsus demonstrativum, *Tr.* una cum ceteris. *N.*

50. Ad 4, seu 3. prob. *Neg.* Etenim tres ibi distinctae personae aperte commemorantur, persona Filii baptizati, persona Spiritus Sancti, quem Christus *vidit descendentem sicut columbam et venientem super se* (Matth. III, 16), sive ut dicitur apud Lucam: *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum* (Luc. III, 22), et apud Joan. I: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum* (Joan. I, 32), et persona Patris dicentis: *Hic est Filius*

(1) Hos textus, in quibus maxima vis est, dissimulant adversarii nostri, quasi neque existerent, ut sic impune possint detorquere in alienum sensum formulam baptismatis. Ceterum quae ipsi effutiunt de Spiritu Sancto, nempe ipsum esse *efficientiam*, etc. idoneo loco redarguemus, ubi de persona Spiritus Sancti sermo nobis erit.

ilectus , in quo mihi complacui (1) et majori
i in graeco textu per articulum ὁ , ut hic distin-
r a justis , [qui non sunt filii Dei nisi per ado-
ı. Quod si filius Dei naturalis Christus est , hoc
consubstantialis Patri , ut inferius apposite osten-
sicuti et de Spiritu Sancto.

Quod vero additur *de inauguratione sub velo my-*
:um totum gratuitum sit atque ex penu rationa-
ıice depromptum, quod consistere nequit sive cum
ım sacrorum veracitate, sive cum inspiratione di-
:ejicimus ut impium et falsum ac toti antiquitati
um (2).

Ad 5 seu 4. prob. *D.* Seorsum sumpta, *Tr.* una
is quae adducta sunt *N.* Nempe haec scribebant
in citatis locis cohaerenter ad fidei doctrinam,
cclesiis a se institutis praedicaverant, qua suppo-
ıs formulis apertissime alludunt ad Patrem, Fi-
Spiritum Sanctum a se praedicatos, et in quo-
mine initiaverant fideles. Nisi enim hoc constitua-
amentum, locutiones illae fiunt prorsus aenigma-
o constituto, aperte intelliguntur (3), sunt igitur
totidem ineluctabilia testimonia fidei traditae ab
ı, ac proinde existentiae dogmatis nostri.

Inst. Sunt quidem varia dogmatis semina in ipsis

ὅς ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγα-
ῶ εὐδόκησα. Matth. l. c.
ndo rationalistae aliquid
n Scripturis, quod in alie-
m detorquere nequeunt,
tanquam ad extremam in
tabulam ad mythos.

iim 1 Cor. XII, 4-6, aperta
rium personarum, ubi di-
Spiritus, idem Dominus,
auctor divisionum gratia-
supponatur cognitum co-
sterium Trinitatis ipsis ab
raedicatum, haec verba
nsum praeseferrent; sed
illo posito, poterat Apostolus ad illam fidei formulam alludere, et certus erat se ab ipsis intelligi. Sic Rom. XV, 30, ubi idem Apostolus scribit: « Obsecro vos, fratres, per Dominum N. J. C. et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum »; ubi rursum tres personae distinctae recensentur. Eadem occurrunt Tit. III, 4-6, aliisque in locis ab adversario indicatis, in quibus perpetuo fit allusio ad receptam, apud christianos fidem circa Dei unitatem et Trinitatem personarum.

libris sacris, ab interprete candido haud negligenda, sed 1. eadem explicari debent *partim* e philosophematibus quibusdam judaicis et platonicis, quae quidem aevi incultioris indolem redolentia jam ante religionis christianae originem divulgata erant; 2. *partim* ex pio quodam in magistrum divinum reverentiae sensu, quo imbuti librorum sacrorum auctores vel Jesu ipsius de Messiana sua dignitate sententias vel narrationes de singulis Jesu factis fatisque mythicas, quarum multae satis mature jam prodierant (cf. Luc. I, 1), pro suo quisque ingenio atque judicio varie intellectas conceptasque, litteris tradiderunt et amplificarunt (1).

54. Resp. ad 1. *Neg. antec.* Revelatio enim divina, seu veritates divinitus revelatae non per philosophemata, sive judaica sive platonica aut aristotelica, explicari, aut exponi debent, sed per sensum traditionalem, per auctoritatem ecclesiae columnae et firmamenti veritatis, ut suo loco ostendimus (2); alioquin de nulla veritate nobis constare posset. Hoc est inventum sero nimis inductum a rationalistis omnem revelationem et fidem rejicientibus, qui majori reverentiae sensu feruntur erga Ciceronem et Tacitum aliosque profanos scriptores, quam erga scriptores sacros, ut mox videbimus. Negamus praeterea doctrinam judaeorum, prout eruitur ex Sacris Litteris, vocari posse aut esse philosophema; judaeos porro non omnino latuisse Trinitatis dogma, vel saltem Personarum in Deo pluralitatem, non pauca suadent documenta, tum ex Sacris Litteris (3), tum ex aliis eorum scri-

(1) Wegsch. ib. § 92.

(2) Tract. *De vera relig.* part. 2, prop. 3.

(3) Innumera prope sunt testimonia in V. T., in quibus de pluralitate personarum in Deo, ac praesertim de divinitate Verbi seu Filii aperta mentio fit; quae collegit et expendit Cl. Maran, op. cit. lib. 1, cap. 1 ad 17. Sane doctrinam hanc judaeos minime latuisse, ex iis, quae habentur in N. T. certissime constat. Cum enim Angelus B. Virginem alloqueretur (Luc. 1, 31 et seqq.), loquitur de Filio Dei ac de Spiritu Sancto. Sic etiam (Matth. 1, 20), alloquens s. Josephum; item (Marci 1, 8) Joannes Bapt. dicerit de

a (1). Quod vero attinet ad philosophema plato-
dicimus tantum abesse, ut originem dederit huic
, ut haeretici, qui istud temerare ausi sunt,
la schola platonica prodierint, vel saltem ex pla-
placitis commenta sua hauserint, ut inferius di-
2).

onferendo a Messia in Spi-
», et alibi passim haben-
, quin tanquam de novi-
etur quispiam.
a judaeorum rabbinorum
aliaque eruta ex antiquis
scriptis, in quibus sermo
Trinitate ab ipsis cognita,
Raymundum Martini in
tei, *cum notis et obser-*
Jos. Du Voisin, edit.
Lipsiae 1687, pag. 144,
q., 417 et 439, prout
ntur in margine juxta pri-
Parisiensem 1651. Hoc
osius praestitit, et clarissime postea collocavit omnorum genere Cl. Drach, *lettre d'un Rabbin con-*
is 1817, toto cap. I. Imo
qui ex recentioribus pro-
hoc argumentum illustra-
E. W. Hengstenberg,
e des alten Testaments,
Christologia Veteris Te-
etc. Berolini 1824, prae-
. 216 et seqq., qui id
r adversus absurdas hy-
expositiones Clerici, Sack
; suum *Comment. theol.*
.) Pustkuchen (*in Unter-*
bibl. Urgesch. seu, *In-*
licae historicae primiti-
1823), Rosenmulleri (in
is in Genes.), Dewette
1, § 108), Ewald (in
45), Koster (in suis *Me-*
riticis et exeget. in Za-
senii (in *Isai.* 63, 9),
non paucorum; sed de
ac de hoc argumento ite-
erit suo loco.
rotestantibus, seu potius
sociniamis, qui excelluerunt in hac calumnia disseminanda, de platonicismo sanctorum ecclesiae patrum primis praesertim ecclesiae saeculis, primas obtinet Clericus, ut patet ex ipsius *Bibliothèque universelle*, tom. x, p. 181, *Bibliothèque choisie*, tom. XII, p. 213, *Ars critica*, pag. 11, § 2, ch. 11, pag 536, *Epist.* VIII *critica*, p. 268, et auctor *Platonismi detecti*. Hos auctores veluti servum pecus secuti sunt rationalistae, qui in dogmate de Trinitate, de divinitate Verbi non aliud vident nisi platonica placita, in patribus vero nonnisi totidem platonicos. Hos inferius recensebimus. Interea praestat afferre textum Clerici, ex quo recentiores hauserunt suas ideas; sic porro scribit Clericus in sua *Arte critica*, vol. I, pag. 536: « Veteres christiani, qui per aliquot saecula platonici fuerunt, cum legerent Scripturas, ut ex ea religionis christianae systema quoddam colligerent, platonicas suas notiones Scripturae notionibus ubique miscuerunt; et quod in Scripturis non legebatur, quodque credi volebant, ex ea deduxerunt consectariis, non ex uno fonte derivatis, sed ex Platone aeque ac ex Prophetis ». Huic in omnibus subscribit auctor *Platonismi detecti*. Ast istorum audaciam fregit doctissimus P. Baltus in opere quod inscribitur: *Défense des ss. Pères accusés de Platonisme*. vol. unic. in-4, Paris 1711. Quod quidem opus divisum est in IV libros, in quorum I. ostendit cl. auctor patres minime institutos fuisse in philosophia platonica, falsumque esse philosophiam istam regnasse in ecclesia primis saeculis;

55. Ad 2. *Neg.* 1. Quia alioquin actum esset de scriptorum sacrorum veracitate et inspiratione. 2. Quia sequeretur auctores sacros ex pio affectu, seu potius ex assentatione in magistrum suum graviter mentitos fuisse ac universum terrarum orbem necessario in errorem induxisse, donec venerint rationalistae ad errorem hunc detegendum. Quod quam absurdum et impium dictu sit, nemo non videt. 3. Quia falsum est, mythicas narrationes jam prodiisse ab ipso evangelicae praedicationis exordio. Neque hoc evincit locus citatus ex Luc. I. Si enim bene attendatur Lucae textus, patebit ipsum contrarium dicere; ait enim Evangelista: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum; sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi*, etc.; quibus postremis verbis ostendit se non solum non improbare eos, qui ante ipsum litteris res a Christo gestas consignarunt, verum et se cum illis conferre; quod non fecisset profecto, si falsas ac mythicas narrationes illi congessissent (1). 4. Sed dato etiam, quod

in II. nunquam patres sectatos fuisse platonica placita; in III patres rejecisse, imo et refellisse circa omnia puncta Platonem ejusque philosophiam; in IV. disjicit rationes, quibus leviter permoti sunt ii qui patres platonicismi accusarunt.

(1) Neque iis assentiendum putamus qui his verbis s. Lucam hic cerinthianorum, basilidianorum aliorumque haereticorum scripta notare putant, siquidem nondum illa prodierant; neque, si cum haereticis impiisque hominibus rem sibi esse Lucas intellexisset, haud leviter adeo illos perstrinxisset, aut in eorum ferme numerum semetipsum adscripsisset, dicens: *Visum est et mihi*. Sed neque Maldonato acquiescimus, qui putat s. Lucam respexisse ad Evangelia Matthaei et Marci; cum plura sint quae obstent, ac, ceteris omissis, quod illis, de quibus loquitur Evangelista, aliquam notam inurat negligentiae. Dicendum propterea cum loqui de iis tantum, qui, cum fando solum eventa, de quibus scribebant, ab apostolis accepissent, nihilominus audacter animum ad scribendum appulerant, antequam *omnia diligenter a principio assecuti essent;* cum quibus ita se comparat, ut non solum eorum exemplo se tueatur, sed ut aliquod praeterea sibi praesidium adesse innuat, quo illi caruerant; ut constat ex v. 4, ubi addit: *Ut cognoscas eorum, de quibus eruditus es, veritatem*, ἀσφάλειαν, *tutissimam* nempe, atque, ut ita dicam, *indubiam certitudinem*; quam minime assecuturus esset Theophilus, si in memoratas tantum narrationes incidisset. Non est igitur nisi absurdum rationalistarum commen-

ı se gesserint, numquid sequitur eadem ratione sese
se Scriptores Sacros? digna rationalistis dialectica (1).

II. Inst. In Libris Sacris, sub illo Trinitatis vela-
, *alius quidam doctrinae typus aperte est tradi-*
ab illo quidem dogmate alienus, sed cum sana
e optime congruens; quo jubemur 1. *agnoscere*
verum Deum, qui numen sit absolute perfectum
ı. XIX, 17, coll. Marc. X, et Luc. XVIII, 19), *ac*
adorandus (Matth. IV, 10; Marc. XII, 29 et 30,
34; Joan. IV, 23), *ab ipsoque Jesu adoratur*
ı. XXVI, 39 et 42; Luc. XXIII, 46; Joan. XVII,
qq.), 2. *et Jesum Christum* (*qui vel digressus*
is homo simpliciter appellatur Act. II, 22 et
, 31; Rom. V, 15; I Tim. II, 5. cf. I Cor. XV, 21),
atum Dei (Matth. VII, 21; Joan. XVII, 3. cf. XI,
eoque quidem eum legante, a quo ipse Jesus sese
discernit (Joan. XVII, 3 et XX, 17 et 21) *longe*
rem (Matth. XIX, 17; XX, 23; Luc. *XXIII*,
an. XIV, 28 et X, 29 et seqq. XVII, 22 et 24;
III, 23 et XI, 3; XV, 27 et 28). *Hunc ipsum*
is doctrinae christianae typum sequamur .... Sic
tatis dogma ad hanc formulam revocare licet:
Pater ut Spiritum sanctum sese per Jesum Chri-
hominibus manifestavit (2).

nod ipsi oggerunt de mythi-
ationibus ac falsis mature,
iunt ex hoc Lucae textu, in
emissis.

ertum est s. Joannem legisse
robasse tria Evangelia, an-
suum conscriberet; ut fidem
Euseb. *Hist. eccles.* lib. III,
edit. Valesii; Clemens Alex.
mdem, lib. VI, cap. 14;
mus, *De viris illust.* cap. 9;
iores scriptores et patres mit-
ii idem testantur.

a rursum Wegscheider § 93,
nda sunt duo monita, quae
ibi appingit, dicens: « Simul vero
hocce utrumque, *tum opinionem* su-
per hoc dogmate quamvis summa cum
indulgentia esse tolerandam, modo
ne *virtutis nervos infringat*, *tum* do-
ctoribus publicis in pertractanda ista
doctrina *caute* esse versandum, ne
vel conscientia oneretur Christiano-
rum per intelligentiam provectio-
rum (vide impudentiam non feren-
dam, loquuntur isti de conscientia,
cum ipsi nullam habeant, et se *pro-
vectiores* vocare audent quasi vero
omnes, qui a Christo ad nos usque
crediderunt dogma Trinitatis ac stre-

57. Resp. Ad 1. *N. A.* Non enim typum, sed ipsum Trinitatis dogma Sacrae Litterae tradunt, ut ex adductis probationibus ostendimus, ac magis confirmabitur ex dicendis. Neque enim cum hoc dogmate pugnant, quae de Dei unitate indicata loca ab adversario praedicant. Namque per mysterium ss. Trinitatis nec inducitur deorum pluralitas, nec quidpiam detrahitur summae simplicitati Dei ejusque omnimodae perfectioni, quam catholica doctrina profitetur, secus ac supponere videtur adversarius. Utique Deus solus adorandus est, ipsum coluit et adoravit Christus in terris, sed prout homo est. In doctrina catholica haec omnia bene cohaerent, nec quidpiam difficultatis praeseferunt.

58. Ad 2. *D. A.* Jesum Christum ut Deum simul et filium Dei jubemur agnoscere, *C.* ut purum hominem ac simplicem Dei legatum *N.* Si adversarius commemorat Scripturae loca, in quibus Christus simplex homo, ut ipse ait, appellatur, cur illa dissimulat, in quibus idem Christus Deus et Filius Dei dicitur, quae innumera prorsus sunt? Si testimonia recenset, in quibus Christus se distinguit a Deo, id est, a Patre, cur non etiam recenset ea, in quibus se unum dicit cum Patre suo (Joan. X, 30 et XVII, 11 et 22), in quibus profitetur se in Patre esse et Patrem in se (ibid. X, 38; XIV,

nue propugnarunt, totidem essent infantes cum ipsis comparati!) *vel imbecillioŕum religio offensionis aliquid capiat*». Adeo fidunt se rem totam confecisse tumidi hi insipientes! Hinc Schleiermacher, *Der Christl. Glaube*, seu *Fides christiana*, vol. II, pag. 694, inquit: « Ex rei natura est, quod, quo diutius Trinitatis doctrina immutata in suis hodiernis determinationibus consistit, illi, qui cum difficultatibus ac imperfectionibus quarumdam formularum reconciliari nequeunt, asserant cuncta se in hac Trinitatis doctrina negare, quamvis ipsorum pietati minime desit ex eo, quod proprie christianum constituit. Quapropter nobis cavendum est, ne, quidquid antitrinitarium est, tanquam haereticum et anti-christianum rejiciamus. Sed quo magis hoc excrescere cernitur, eo magis excitemur ad ecclesiasticam hac de re expositionem novo examini subjiciendam; et nisi nos ipsi praparemus, saltem posteritati, dimisso antiquato, reformationem, quae praesenti affinium idearum statui conveniens sit, liberam relinquamus».

10 et 20; XVII, 21)? Id ipsum dicatur de Deo cum legante, ita enim legatus est, ut exiverit a Patre (Joan. XVI, 28), ut processerit a Patre, seu a Deo (ibid. VIII, 42; VII, 29), qui sit Unigenitus a Patre (Joan. I, 14), et in sinu Patris (ib. 18), qui sibi aequalem potestatem tribuerit cum Patre suo (Joan. V, 17, 18 et 26), qui esset in caelis, dum loqueretur in terra (Jo. III, 13), qui demum *longe inferiorem Deo legante* (quae glossa est adversarii, nuspiam enim hoc in Scripturis occurrit) se dixerit, ita tamen ut aequalem pariter se Patri esse profiteatur (Joan. V, 18) et *Deum* (ibid. X, 30, coll. 33). Quae quidem testimonia suo loco expendemus. Interea hic habetur specimen malae fidei rationalistarum, qui ut sua effutiant ac venditent, quae convellunt haec sua figmenta, vel dissimulant, vel, prorsus omni abjecto pudore, passim accusant Scriptores Sacros assentationis, inscitiae (1), contradictionis, seu pugnae, aliave ejusmodi blasphemando pronunciant (2).

59. Ex falsis ejusmodi praemissis pronum est rejicere impias consecutiones, tum de typo *purioris doctrinae christianae* qui est per antiphrasin intelligendus, nempe *doctrinae antichristianae*, tum de formula dogmatis Trinitatis, quae non est nisi formula dogmatis antitrinitarii, cujus nullum vestigium occurrit in antiquitate ante socinianos, si excipias execrabiles haereses ebionitarum,

(1) Exemplo sint ea quae habet Bohme, *Die religion Jesu Christi... ea*, *Religio Jesu Christi a sua origine repetita*, Hall. 1827, p. 49. et seqq., edit. 2, nempe Scriptores Sacros pro manca, quae est aevi incultioris, scientia sibi ipsis non constitisse in iis, quae de ideis et notionibus suis exposuerunt. Sic Wegsch. §83; Jerusalem, *Nachgel. Schriften*, seu, *Opera posthuma*, 1, p. 137 et seqq.; Munscher, *Dogmen-Geschichte*, etc., seu, *Historia dogmatum*, vol. 1, p. 416 et seqq., Ammon. *Bibl. theol.* 1, 192 et seqq. Idem opuscula theologica, Gott. 1803; *Comment.* 1, *de prologi Joannis evangelistae fontibus et sensu*; *Idem Summ. theol. christ.* p. 150 et seqq.; Plura de consensu Scriptorum Sacrorum, in primis Pauli Apost. cum doctrina Philonis commentus est Stahl apud Eichhorn, *Bibl. Litter.* IV, 826 et seqq. etc. Qui omnes de praerogativa impietatis certare inter se videntur.

(2) Exempla non pauca in decursu hujus tractatus exhibebimus.

Pauli Samosateni ac photinianorum, quae obsoleverant, donec e cineribus suis excitatae denuo fuerint ab his novis gnosticis, qui assentationis, erroris et imperitiae arguunt apostolos et evangelistas, ad lumina sua substituenda ac diffundenda profecto longe puriora per subversionem totius revelationis divinae ac supernaturalis.

60. II. Obj. 1. Idem Christus (Joan. XVII, 3) sic Patrem alloquitur: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti J. C.* Ex quibus ita Crellius: Deus verus, de quo hic loquitur Christus, est Deus summus; atqui ex Christi verbis hic est solus Pater; ergo reliquae personae non sunt Deus ille summus. 2. His consonat Apostolus, qui (I Cor. VIII, 5 et seqq.) scribit: *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in coelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi); nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus Dominus J. C. per quem omnia, et nos per ipsum.* Ubi Paulus, explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit eum esse Patrem, non Patrem Filium et Spiritum Sanctum. Atqui nulla ratione fieri potuisset, ut Paulus, explicaturus quis sit ille unus Deus, Patris tantum mentionem faceret omissis personis aliis, si Deus ille unus non tantum Pater esset, sed et Filius et Spiritus Sanctus (1). Ergo.

61. Resp. Ad. 1. *Neg. Maj.* Vox enim *solus* non exprimit subjectum, sed attributum perinde ac vox *verus*; prout exposcit constructio graeci textus: Ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Id est, *Ut cognoscant te solum verum Deum.* Hinc Christus illa sententia a consortio di-

(1) Hanc eamdem difficultatem jamdiu ariani promoverant, et abunde a patribus soluta ea fuit, praesertim a s. Hilario, *De Trin.* lib. IV, V et IX; Ambrosio, *De fide*, lib. V, cap. 3; Epiphanio, *Haer.* LXIX; Greg. Nazianz. *Orat.* IV, theolog.; Basilio *Cont. Eunomium*, lib. V; Cyrillo Alex. *Thesauri*, lib. X, cap. 6; August. *De Trin.*, lib. VI, cap. 9, etc. Hanc postea instauravere sociniani, praesertim Crellius, *De uno Deo patre*, lib. I, sect. I.

vinitatis non excludit nisi falsos deos et vana idola gentium, ita ut sensus sit, sitam esse vitam aeternam in cognitione unius Dei et Incarnationis Filii ejus, nempe Jesu Christi (1). Quinam autem sit solus verus Deus, alibi Christus declarat, praedicans divinitatem suam ac divinitatem Spiritus Sancti. Recolantur dicta in probationibus.

62. Ad 2. *Dist. maj.* Explicans, seu potius declarans, quis sit ille unus Deus ut excludat deos gentium, *C.* ut excludat divinas personas *N.* Hanc enim expositionem postulat integra Pauli sententia, etsi expresse solum Patrem Deum nominet. Instituit enim Apostolus antithesin inter deos et dominos, quos colebant ethnici, et Deum ac Dominum quem colunt christiani; quoniam vero dominos illos ut deos habebant, Apostolus opponendo illis unum Dominum Jesum Christum, aperte ostendit, se Christum Jesum non excludere a consortio divinitatis. Alioquin si velit Crellius insistere in vocibus illis: *Unum Deum Patrem*, quasi excluderetur Filius a divinitate, deberet pariter insistere in aliis: *Unum Dominum J. C.*, quibus Pater excluderetur a dominatione, quod est absurdum. Hinc sua disputatione Crellius non labefactat catholicam doctrinam, sed suam potius evertit. *Neg.* autem *min.* quia plures potuerunt esse causae, ob quas illam loquendi rationem Paulus usurpaverit, quas recenset Petavius (2).

63. Eadem ratione explicari debet, quod tertio loco urget idem Crellius ex *Ephes.* IV, 6; ubi dicitur *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis;* dixit enim proxime ante: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Dominum

(1) Cfr. Maldonatus in hunc locum qui eum fuse evolvit, et ostendit invictissime, his verbis non excludi nisi sola idola gentium a consortio divinitatis. Id ipsum praestitit Petavius, *De Trin.* lib. III, cap. 1, ubi plura habet observatione digna. Cfr. etiam Maran, op. cit. lib. 1, part. 2, cap. 21, § 1 et 2.

(2) Loc. cit. § 4 et seqq. Item Maran, loc. cit. § 3.

autem hic Christum esse fatetur Crellius, hinc eadem adaptanda responsio huic textui, quae modo alteri data est. Eadem enim est ratio (1).

PROPOSITIO II.

Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae.

Probatur specialim ex I Joan. V, 7, utpote authentico et genuino (2).

64. Veritatem catholicam mysterii ss. Trinitatis ex Sacris Litteris praecedenti propositione abunde ostendimus; remque totam confecimus absque subsidio celeberrimi commatis, I Joan. V, 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in coelis, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt* (3), ut pateat, independentem omnino esse veritatem, quam propugnavimus, ab illa pericope. Potuissemus propterea tuto eam discutiendam ac vindicandam dimittere Sacrarum Litterarum professoribus; ne tamen quis apud se reputet, difficultate nos deterritos fuisse ab hac discussione, eam lubentiori animo aggredimur, eo quod recentiores biblici ac rationalistae fidenter pronuncient *causam finitam* esse, post Michaëlis praesertim ac Griesbachii biblica molimina (4).

(1) Observat autem s. Joannes Chrysost. *Hom.* xx *in* 1 *Cor.* num. 3, edit. Maurin. Paulum, neque voluisse illo loco appellare Jesum Christum Deum, neque Patrem Dominum, ne cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii, plures esse Deos suspicarentur ac Dominos, et in antiquam superstitionem relaberentur, in qua plures Dii erant ac Domini. Hanc eamdem esse causam addit, cur neque Spiritus Sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret.

(2) Haec propositio spectari potest velut appendix propositionis praecedentis, quae cum prolixior sit, poterit pro opportunitate adhiberi.

(3) Versus autem 8, qui in pluribus codicibus praeponitur versui 7, ut ostendit Sabatier in *Itala ant.* in hunc loc. ita se habet: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis; et hi tres in unum sunt.*

(4) En quomodo de hoc versu lo-

Duo igitur a nobis praestanda sunt: I) vindicanitas Joanneae pericopes. II) ostendenda ex ea, seu confirmanda doctrina catholica, quam in praesenopugnamus.

I) Ut autem primum illud praestemus, notandum ios cogi a via hactenus trita discedere post receptum oclamatum, ut loqui amant, in criticismo bibliniliarum, ut vocant, seu *recensionum* princi- (1), ex quo statuitur canon seu lex: Codices seorumpti testem non constituunt, sed ut instrumenta di sunt, ad fidem faciendam veritatis illius testis, itographi, quem repraesentant; et propterea, quod

Cellérier in opere: « Essai troduction critique au N. T. 1823, pag. 483: On a beaucuté sur l'authenticité du fassage des trois témoins célelean, v, 7. Il ne vaut plus la aintenant de revenir sur ce ui est décidé depuis long-temps ux de tous ceux qui croient ique et qui l'étudient. Je me rai de renvoyer ceux qui déit des détails, à Michaëelis, it à Griesbach ». *Atque in*) *inter cetera scribit*: « Ce est démontré faux par touégles de la critique et par s conséquences qu'elle a pu faits recueillis à ce sujet. tellement clair que, si la trompe dans ce cas-ci, elle le doit tromper toujours; il rs de toute nécessité oublier, jeter au feu les manuscrits, lonner la science, qui n'est me chimère ». Sed non miacter pronunciat Wegscheir. cit. § 80: « Ad dictum ilod olim pro classico habuere, i. v, 7), jam minime licet re, quia spurium id esse ars et externis et internis satis emonstratum est »; *et in nota* ı *habet*: « Vide, quae post *Millium*, Wetstenium, Semlerum, De Matthaei aliosque scripsit Griesbachius de hoc loco accurate et prolixe, in editionis suae N. T. appendice (*Diatribe in locum* 1 Joan. v, 7), quibus tota res videtur esse confecta ». Cum hic auctor provocet ad Millium, aeque ac ad ceteros, quis non putaret Millium locum memoratum rejecisse tanquam spurium? Attamen Millius eumdem acriter propugnat. Sed rationalistae scrupulis in mentiendo non anguntur.

(1) Bengel omnium primus ex protestantibus vidit conformitatem, quae in diversis codicibus circa variantes lectiones reperitur, et redegit *instrumenta* in duas classes, *Asiaticam* et *Africanam*, seu statuit principium criticum familiarum. Sed nonnisi post publicationem recensionum Griesbachii istud principium proclamatum fuit, et *tres* numeratae familiae. Hoc ipsum denique principium perfecerunt duo catholici, Hug, professor in Universit. Friburgensi, ejusque discipulus Scholz, Prof. in Universit. Bonnensi, qui *quatuor* familiarum existentiam annunciarunt, ad quas instrumenta, ad hoc tempus cognita, retulerunt. Cfr. Cellérier, op. cit. sect. IV, *Histoire du texte*.

consequens est, non amplius numerandi codices, sed in classem redigendi (1).

67. Nos igitur admisso principio *familiarum*, etsi admodum adhuc incerto, atque in pluribus suis partibus nutante (2), duo statuimus: primo quidem, principium familiarum mirifice conferre ad γνησιότητα seu *genuitatem* hujus versiculi constabiliendam, deinde hoc ipsum principium probabiliorem nobis suppeditare rationem omissionis, quae in nonnullis familiis reperitur.

68. Et sane, constituto semel familiarum principio, illa familia ceteris praeferri debet, quae antiquitate, dignitate, auctoritate reliquis praestat. Talis enim vero est familia, ex qua versiculus controversus ad nos pervenit, seu quae eumdem nobis conservavit.

69. Ejusmodi est familia Africana (3). Antequam vero progrediamur, existentia hujus familiae in tuto ponenda est, seu statuendum est *factum* existentiae hujus familiae, cujus testes locupletissimi sunt patres antiquissimi ejusdem ecclesiae, Tertullianus (4), Cyprianus (5);

(1) Alii autem paulo aliter hunc canonem enunciant, nempe: testimonia in favorem cujusdam variantis non habent individualem vim seu valorem independentem a recensione seu familia, ad quam illa spectant; et lectio quaelibet definiri debet, non a numero distinctarum auctoritatum, sed ex pondere seu auctoritate recensionis, quae eas continet. *Lectionis* nomine designatur modus legendi, *variantes* vero *lectiones* vocantur parvae illae diversitates, quae inveniuntur in editionibus, seu MSS. codicibus, vel patrum citationibus circa eumdem textum ejusdem auctoris.

(2) Sane adhuc disputatur circa *numerum* familiarum, circa earum *originem*, *patriam*, *textum* uniuscujusque... Hinc Scholz in suo *N. T. graeco*, vol. 1. in 4, Lips. 1830, non solum Griesbachio, sed etiam professori suo Hug contradicit, ut inferius videbimus. In *Bibl. univ. de Genève*, tom. xx, p. 112 legitur: *Ce système ingénieux a des parties très-faibles*.

(3) Familia, de qua hic disserimus, confundi non debet cum Africanis duabus, seu potius Aegyptiacis, quas admittit Scholz, quarum altera respondet familiae *Alexandrinae*, altera *Occidentali* Griesbachii.

(4) *Cont. Prax.* cap. 31.

(5) *Ep. ad Jubajan.* edit. Maur. Paris. 1726, Ep. LXXIII, pag. 133, tum in lib. *De unit. Eccles.* p. 195 et 196.

Marcus Celedensis (1), s. Fulgentius (2), Victor Vitensis (3), quadringenti illi episcopi, africani omnes, qui Carthagine Hunnerico fidei confessionem una cum Eugenio episcopo Carthaginiensi obtulerunt, (4) et tandem Cerealis (5). Et exinde idem testimonium desumpserunt Maximus confessor, Eucherius, Phoebadius, Idacius Clarus, et alter Idacius aliique non pauci. His nunc addendus codex ms. operis, quod inscribitur *Speculum*, et quod s. Augustini esse creditur, nuper repertus in bibliotheca Sessoriana; qui quidem codex antiquissimus est, atque, ut creditur, saec. VII, africanus pariter (6). Jam vero hi scriptores non solum ut auctores africani spectari debent, vel pertinentes ad africanam ecclesiam, prout hactenus factum est, sed tanquam repraesentantes recensionem Africanam, seu potius tanquam testes vocis ac textus magnae criticae familiae, quae in dubium revocari nequit, quaeque a ceteris omnino distinguitur.

70. Hujus familiae existentia ita constituta, videndum superest, quinam sit ejusdem valor, etiam comparative ad familias reliquas, asiaticas nempe, sive orientales,

(1) *Expositio fidei ad Cyrill.* inter opp. s. Hieron. edit. Vallarsii, tit. XII, cap. 3, circa finem habet: *Et hi tres unum sunt, una divinitas et potentia et regnum.* Cui addi debet ex Africa Marcus Victorinus in *Hymnis sacris* passim, sed praesertim hymno III, in *Bibl. Patrum min.* Gallandi, tom. VIII.

(2) Libro *De Trin. ad Felicem notarium*, cap. 4, tum in *Respons. contra Arian.* in resp. ad X object. circa finem, ubi etiam laudat textum s. Cypr. ex libro. *De unit. Eccl.* et in libro *Pro fide catholica adversus Pintam*, num. 8, edit. Paris. 1684. Quod si auctor libri adversus Pintam diversus est a s. Fulgentio, ut pluribus criticis placet, novum habemus scriptorem africanum pro nostro textu.

(3) *De Trinit.* lib. I et lib. VII. Textum inferius dabimus.

(4) *De Persec. Vandalica*, lib. III, pag. 54, edit. Ruinart, Paris. 1694. Ubi haec leguntur: « Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis evangelistae testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt qui testimonium perhibent in coelo Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt ».

(5) Ita quidem Bengel.

(6) Cfr. Cl. Wiseman, *Two letters on some controversy concerning* I Joan. V, 7, etc. Rome 1835, ubi hunc codicem illustrat, et plura habet, quae ad nostram familiam Africanam constabiliendam inserviunt, et antiquam Italam versionem novae criticae subjecit. pag. 1, 3 et seqq.

et occidentales, alexandrinam scilicet et constantinopolitanam. Quod ut assequamur, observandum est, textum africanum verum esse repraesentantem versionis originalis latinae, quae longe verosimilius primum in Africa facta est, antequam vel ipsa versio Itala prodiret, seu potius modificatio ejusdem latinae versionis, quae primum in Africa adornata est. Constat enim, tribus prioribus ecclesiae saeculis familiarem fuisse in ecclesia Romana tum in universo fere imperio usum linguae graecae (1); nec sollicitos propterea Romanos fuisse de versione latina adornanda; et priores patres graece scripsisse etiam in occidentali ecclesia. E contra vero in ecclesia africana nemo graece scripsit, sed omnes latine; hinc Tertullianus antiquissimus Patrum latinorum est, quorum opera ad nos pervenerint; et eum proxime secuti sunt Cyprianus, Minucius Felix, Commodianus, Arnobius (2). Tertullianus vero, ipso fatente I. M. A. Scholz, *plerumque cum textu versionis alicujus antiquae consentit* (3). Ergo ante Tertullianum jam existebat haec antiqua Versio. Neque argumenta interna eaque validissima desunt, ex qui-

(1) Certe omnes vel fere omnes scriptores et patres, qui tribus prioribus saeculis floruerunt in ecclesia Romana, graece scripserunt; ut Clemens Roman., Hermas, Justinus, Modestus, Irenaeus, Cajus, Asterius, Urbanus, Hippolytus Portuensis, Felix, I. etc. Omnes nunc critici consentiunt, s. Marcum graece Evangelium suum Romae scripsisse; et ad Romanos graece scripsit Apostolus, graece Ignatius, graece scripta sunt supposititia Clementis opera. Hinc Romae non solum honestiori loco nati omnes, sed quotquot aut mercaturam faciebant, aut stipendia ferebant, aut litteris imbuti erant, paucissimis forte exceptis, graece sciebant; Graeci scientias Romae profitebantur, graeculos scitulos servos quilibet domi habebat, graeca multa Romani suis libris, suis commentariis, suis domesticis tabulis illinebant; quare vel ipse Juvenalis testatur, *Satyr.* VI, v. 187 et seq. edit. Taur. 1830:

. . . . *Omnia graece,*
Quum sit turpe magis nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas.
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

(2) S. Hieronymus, *De Viris illustr.* cap. 53, inquit: *Tertullianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium latinorum ponitur* (tom. II, edit. Vallarsii.).

(3) *Novum Testamentum graece*, vol. I Lips. 1830, *Proleg.* cap, 8, pag. 155.

is conficitur, versionem latinam originariam ex Africa se. Talia sunt archaïsmi et praeterea, si ita loqui fas t, africanismi, quibus haec versio scatet quique non currunt nisi apud scriptores Afros (1). Eichhorn omum primus suspicatus est, versionem latinam esse orinariam ex Africa, sed mera conjectura ductus. Nunc ro post accuratum examen illud vix in dubium revori posse videtur.

71. His praejactis, sic iter nostrum insistimus: Versio tina prima et originaria Sacrarum Scripturarum ex Afri- est, et ex Africa cum nonnullis modificationibus ad teras occidentales ecclesias pervenit, ac primum in Ita- magno in usu fuit, et *Itala* propterea nuncupata (2). tres atque scriptores africani, nec non codices nuper perti, totidem sunt instrumenta ejusdem originariae vernis latinae, seu recensionis ac familiae africanae, quae bis exhibet typum primitivum, ex quo versio facta est. m vero exploratum sit, ex ecclesia Romana fidem, una cum fide Scripturas in Africam pervenisse (3), nsequens est, africanam recensionem nobis repraesen- e typum primitivum Scripturae graecae, qualis nem- primum obtinuit in ecclesia Romana.

72. Versio latina, quae ex dictis longe ante ipsum rtullianum jam existebat, ad minus ascendit ad sac-

(1) Cfr. Wiseman loc. cit. a pag. ad 55; item a pag. 55 ad 67.

(2) S. Augustinus solus est ex anis, qui meminerit hujus *Italae* rsionis, lib. II, *De doctr. christ.* p. 15, scribens: *In ipsis autem terpretationibus* Itala *ceteris praeratur; nam est verborum tenacior m perspicuitate sententiae*. Quod quis contendat ob haec Augustini rba, non solum recensione et mo- ficationibus accidentalibus, sed e- m origine versionem Italam diver- m fuisse ab africana, per me licet. lem enim semper recurrit argumentum; siquidem haec versio latina primum Romae facta esset, et ex ea africani accepissent. Millius versionem latinam nonnisi sub s. Pio I. qui ab anno 127 ad annum circiter 142 aerae vulgaris Pontificatum tenuit, adornatam fuisse autumat, *Proleg.* pag. 41, edit. Oxon. 1707.

(3) Tertull. *De praescript.* cap. 36; August. in *Brevic. Cartaginens. collation.*, tum in lib. *De unico bapt.*; *Epist. Innoc.* I *ad Decentium*, *Episcop. Eugubin.* apud Coustant.

culum II, seu, quod idem est, recensio africana, ac proinde ejusdem typus primitivus anterior est omnibus aliis recensionibus, seu familiis orientalibus et occidentalibus, quae in quocumque systemate biblicorum criticorum non perveniunt nisi ad saeculum IV vel ad finem saeculi III, ac pertinet ad nobiliorem et primam ecclesiam, id est, ad ecclesiam Romanam. Hinc valor familiae africanae tum antiquitate tum dignitate familiis reliquis longe praestat, quorum, instrumenta longe recentiora sunt. Sed haec familia, hic typus continet ex dictis versiculum nostrum. Ergo tantum abest ut principium proclamatum familiarum imminuat veritatem seu authenticitatem nostrae pericopes, ut potius eamdem mirifice confirmet.

73. Restat ut alteram nostrae assumptionis partem evincamus, probabiliorem nempe ex eodem principio rationem erui omissionis, quae reperitur in certis familiis. Quaecumque admittatur hypothesis circa originem trium vel quatuor familiarum, sive nempe Griesbachii, qui eas nominat ex regionibus, in quibus recensiones primum factae perhibentur, Occidentalem scilicet, Alexandrinam et Constantinopolitanam (1); sive Hugii, qui eas ab auctoribus nuncupat, siquidem praeter κοινὴν ἔκδοσιν seu Vulgatam graecam, Hesychianam recenset, Lucianaeam et Origenianam; sive Scholzii, qui quindecim primis ecclesiae saeculis factam aliquam recensionem negat (2), semper demum deveniendum est ad primum aliquem typum, quem ejusmodi familiae repraesentant. Quid autem

(1) Cfr. Joan. Jac. Griesbachii *Comment. Critic. in textum graecum N. T.* particula II, Jenae 1811; *Meletemata de vetustis textus N. T. recensionibus* § II, pag. 40 et seqq.

(2) Op. cit. cap. 4. *Proleg.* p. 25 et seqq., ubi recedit a principio, etiam a se alias posito, de recensionibus et de IV familiis; nam nonnisi duas agnoscit, Constantinopolitanam puriorem, et Alexandrinam, in pluribus a grammaticis foedatam et interpolatam. Fatetur priores codices familiae Constantinopolitanae periisse, et interpolationem codicum primis duobus ecclesiae saeculis contigisse.

onere, hunc primitivum typum vel haeretico-
onitarum praesertim et cerinthianorum, fraude
1), vel casu omissum ob duorum commatum
octavi ὁμοιοτέλευτον, idest similem terminatio-
si ita loqui fas est, ὁμοίαρχον, seu simile ini-
o fit, ut oculos librariorum facile effugiant,
odum plura exempla nos docent (2)? Cum vero
ut antiquissimae syriacae et *peschito* (3), mul-
igis posteriores, ut altera syriaca philoxena, ae-
t arabica, ex eodem corrupto fonte prodierint,
a de causa in iis comma istud desideretur.

ermonius *De veteribus*
clesiastic. codic. corru-
ris. 1713, par. 1, cap.

rei plura exempla sup-
ubeis in *Dissert. de tri-*
testibus, cap. 13, § 2.
vel alterum exemplum
Martianaeus, disserens
Prologi in Epist. cano-
rat in lib. Josue cap. 21
um commatum divisio-
la: *Civitates quatuor*
nis suis, quae legun-
6 et 37, ansam tribuis-
a praetermittendi. Sic
om. v. operum s. Hier.
m *Bibliothecae divinae*
, in nota ad v. 7, de
haec scribit: « In uno
ensis canonicorum bi-
ijusculis, ut vocant, lit-
m partem exarato, et,
um probae vetustatis in-
a capitum aut versuum
stincto, non coelestia,
re urgentur, sed terre-
a, sive prius illa isco-
nt qui testimonium dant
tc. desiderantur. Puto
ovo argumento plenissi-
ari, nonnisi librario-
oni ac tam saepe obvio
eadem recurrunt verba,
eorum quoque codicum
defectum, in quibus coelestia... sunt
praetermissa » Cfr. ib. Exemplum
item exhibet codex Cavensis mona-
sterii, de quo infra, ubi v. 4 sic
legitur: *Quoniam omne quod natum*
est ex Deo vincit mundum, fides no-
stra, ubi omittuntur verba: *Et haec*
est victoria quae vincit mundum,
absque dubio ob homioteleuton, cum
postremus versiculus desinat in verba
vincit mundum. Bengel vero conten-
dit omissum versiculum 7. a veteri-
bus data opera, nempe ob doctrinam
arcani. Cfr. ejusdem *Apparatus cri-*
ticus, § 25 in hunc locum.

(3) Versio *Peschito* purior habe-
tur. Cfr. *Biblia polyglotta Walto-*
niana, necnon Cellérier, op. cit. sect.
8, § 1, *Versions syriaques*. Circa
versionem Armenam res est dubia;
vid. Bengel, loc. cit. § 22; in edi-
tione communi reperitur; in recen-
tissima *editione Veneta Zohrabi* an.
1805. fuit omissus. Galbanus clericus
regular. in opere *Conciliationis Ec-*
clesiae Armenae cum Romana, Ro-
mae 1650, tom. 1, profert acta Con-
cilior. Aisensis et Adanensis lingua
armena anno 1307 celebrata; jam
vero commata 7 et 8 leguntur pro-
lata in his actis pag. 461 et 478;
his tamen conciliis plures interfue-
runt schismati addicti, nec tamen
ullus reclamavit adversus haec pro-
lata commata.

74. Ceterum cum exploratum nunc ferme sit ex dictis versionem, quae *itala* nuncupatur, eamdem, ad substantiam quod spectat, fuisse cum vulgata antiqua, quae origine africana est, etsi in nonnullis modificata, liquet hinc, quare et in plerisque codicibus latinis reperiatur versiculus noster, in aliis vero desideretur (1). Codices scilicet exacti ad typum communem asiaticum, alexandrinum et constantinopolitanum hanc pericopen non continent, qui vero ad familiam africanam exacti sunt eamdem retinuerunt; ratio ex his praeterea redditur, quare s. Augustinus nonnullique alii patres latini de hoc commate sileant, etsi illud non ignoraverint (2), quia sci-

(1) Horinc. a Bukentop, *De Vulg.* p. 307 scribit: « Versus ille septimus legitur tum in epistola dominicae, in albis dictae, tum in octavo responsorio in omnibus dominicis a festo ss. Trinitatis usque ad adventum; reperitur etiam in optimis quibusque ac vetustissimis vulgatae codicibus; ita ut paucissimi sint, in quibus deest ». Quod fassus est vel ipse Richardus Simon, qui gloriam inventionis eripuit protestantibus in rejiciendo hoc commate; nam in sua *Histoire critique du N. T.* Rotterdam 1699, part. II, chap. 9 scribit: « Pour ce qui est de l'auteur du *Correctorium* de la Sorbonne, il n'est pas surprenant qu'il l'ait lu dans son édition latine avec le passage dont il est question, puisque il ne peut avoir compilé son ouvrage que vers le dixième siècle. Or il est certain qu'en ce temps-là *il y avait peu d'exemplaires* latins du N. T. où la Préface (seu *Prologus sub nomine s. Hieronymi*) et ce passage ne se trouvassent, puisqu'on les y avait insérés dès le temps de Charlemagne ». His adde debent codices omnes, quos Cassiodorus saec. VI diligentissime conquisierat, et quidem *selectissimos*, ex quibus suas *Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum et Apocalypsim* confecit; sic vero in his legitur: « Cui rei testificantur in terra tria mysteria aqua, sanguis et spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta; in caelo autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et hi tres unus est Deus ». De his complexionibus cfr. praefat. Cl. marchionis Scipionis Maffeji, p. 43, et pag. 124, 125 edit. Florent. 1721.

(2) Certe s. Hieronymus, *De viris illustr.* opera Tertulliani *pluribus nota*, Cypriani *sole clariora* dicit; quare omittit istorum operum catalogum. Legit igitur in horum operibus versus 7. citationem. Sic Cypriani librum *De unitate Ecclesiae* citat Augustinus *Contra Cresconium*, lib. II, cap. 33, epistolamque ad Jubajanum, imo ea verba, quae allegatum illud, *quum tres unum sint*, et praecedunt et sequuntur, refutavit *De baptismo contra Donatistas*, lib. IV, cap. 4. Non potuerunt igitur laudati patres illud *tres unum* non videre. Cfr. Bengel, loc. cit. § 20, ubi ostendit s. Augustinum assuetum italicae recensioni, in qua v. 7 deerat, illum omisisse in suis disputationibus; cum tamen in africana legisset, dubium haesisse, et sane ad illum aperte alludit tum in lib. III, *Contra Maximinum*, cap. 22, ubi proponit allegoricam interpretationem v. 8, tum ad locum de spiritu et aqua et sanguine, in epist. I. s. Joannis.

icet Augustinus, etsi afer, non africana recensione, sed otius itala utebatur, quam secum in Africam ex Italia letulerat, ut patet ex ejus citationibus (1); quod a fortiori de ceteris dici debet. Contra vero in Hispania veticulus noster obtinuit, ut liquet ex codice Hispalensi, othicis litteris exarato versionis hieronymianae (2).

75. Si his addantur voces, ut vocant, individuales eu anomalae, MSS. nempe codices, qui ad nullam leterminatam familiam pertinent, sive graeci sive latii, deinde voces omnes, quas consuluit Cassiodorus in uis complexionibus conficiendis (3), eae, ad quas apellat antiquus auctor prologi sub nomine s. Hieronymi diti, (4), codices graeci tandem, qui adhuc supersunt, t eam pericopen retinent, ususque publicus ejusdem ommatis vetustissimus utriusque ecclesiae, lectio vulgata utriusque pariter ecclesiae latinae et graecae, si addantur apertissimae ad hunc textum allusiones antiquissimorum patrum utriusque ecclesiae (5), evidenter colligitur antum abesse, ut causa finita dici possit circa authen-

(1) Cfr. Wiseman epist. cit. p. 28 t seqq. Certe id liquet ex *Confess.* ib. III, cap. 5, edit. Maur. tom. I, . 91-7; item lib. IV, cap. 13, p. 118; ib. VI, cap. 4, pag. 122, cap. 11, ag. 129; item lib. IX, cap. 4, p. 60 et seqq.; *Contra litteras Petiiani*, lib. II, cap. 6, tom. VIII, p. 19, etc. Sed satis est percurrere er singula volumina indices locorum acrae Scripturae.

(2) Cfr. Josephi Blanchinii *Vindiiae Canonicarum Script. vulgatae atinae editionis* vol. unicum in fol. omae 1740, pag. 203; vid. ibid. *raefat. Christoph. Palomares in xemplar Gothicum*. pag. 49 et seqq.

(3) Nuper verba dedimus, quae in assiodori complexionibus habentur.

(4) Auctor hujus prologi videtur vitisse ex communi eruditorum calculo aeculo VIII. Sic vero scribit: « Quae i ut ab eis digestae sunt, ita quoque ab interpretibus fidelibus in latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum se se veritas impugnaret, illo praecipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus erratum esse, fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc est, aquae, sanguinis et Spiritus, in sua editione ponentes, et Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et fides catholica roboratur, et Patris et Filii ac Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur ». Plures hic criticae animadversiones instituendae essent, quas brevitatis causa praetermittimus. Interea cfr. edit. Vallarsii opp. s. Hieron., tom. X, pag. 1057, in nota (a), tum ejusd. s. Doctoris opp. edit. Maur. tom. I, pag. 1670 et seqq.

(5) Cfr. Bengel, op. cit. § 23.

*

ticitatem hujus commatis, prout rationalistae plenis buccis crepant, ut contra nullum dubium supersit de ejusdem γνησιότητι, sola etiam critica biblica spectata. Dixi *sola etiam critica biblica spectata*, nam vera custos bibliorum non est *critica*, sed *ecclesia Catholica.*

76. Plura nunc addi possent ex argumentis internis ad ejusdem veritatis confirmationem; nos vero brevitatis gratia potiora tantum attingimus; ac 1. quidem cohaerentiam hujus versus cum illis, quae alibi scribit idem s. Joannes; ut cum Filium vocat *Verbum* (Joan. I, et Apoc. XIX, 13), cum refert testimonia Patris et ipsius Verbi incarnati (Joan. VIII, 18), et Spiritus Sancti (ibid. XV, 26, et I, 23) 2. Necessitudinem seu relationem inter utrumque versiculum septimum et octavum, ut patet ex verbis *in terra*, quae leguntur in v. 8, et dicunt necessariam relationem ad illa *in caelo*, quae habentur in v. 7 (1). 3. Dempto v. 7, nulla ratio amplius dari potest illius clausulae v. 8: *Et hi tres unum sunt*, *seu*, *in unum sunt*, ut graece legitur, sive accipiantur de Spiritu Sancto, aqua et sanguine, sive de spiritu, quem Christus moriens emisit, et aqua et sanguine, quae ex ejus latere effluxerunt; contra bene cohaerent, supposito quod de tribus testibus caelestibus dixerit: *Et hi tres unum sunt*, id est, natura et essentia tres testes terreni suo modo pariter unum sunt, utpote ejusdem ponderis et momenti (2). Sane jam observaverat s. Gregorius Nazianzenus Joannem minus accommodate ad grammaticae regulas dixisse, v. 8: *Tres qui* testimonium dant; et *hi tres* unum *sunt*, cum neutrum genus expostulassent voces graecae spiritus, aqua et sanguis (3); instituta ergo comparatio cum personis v. 7 s. Joannem in-

(1) Vid. Maran, *De divinitate J.C.* lib. 1, pag. 2, cap. 19, § 1 et seqq.
(2) Cfr. ibid. cap. 18, § 2 et 3.
(3) *Orat.* XXXVII, n. 47, tom. 1, opp. edit. Paris. 1630; graecae enim voces τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα neutrius generis sunt.

itavit, ut vocum similitudinem in versu 8. retineret. . Hic versus necessariam praeterea habet connexionem im versibus 6, 9 et seqq.; quorsum enim spectant illa erba versus 9. *Si testimonium hominum accipimus, estimonium Dei majus est*, nisi ad testimonium Patris, erbi et Spiritus Sancti, de quibus agitur in versu 7? i versu 6. duplex habetur testimonium, nempe Spiri- s Sancti et aquae et sanguinis: *Hic est qui venit per quam et sanguinem, J. C.; non in aqua solum, sed aqua et sanguine; et Spiritus est qui testificatur*, etc., bi aperte distinguitur testimonium Spiritus Sancti a te- monio aquae et sanguinis. Posito autem verso 7, qui plicationem habet testimonii Spiritus Sancti cum Patre t Verbo conjuncti, quemadmodum versus 8. explicatio- em continet testimonii aquae et sanguinis, omnia plana nt; versu autem 7. sublato, testimonium Spiritus San- i vel penitus omittetur, vel confundetur cum testimo- o aquae et sanguinis, cum quibus Spiritus Sanctus um dicetur, quod plane absurdum est. Si igitur in endanda alicujus textus lectione lex illa a criticis sta- a alte retinenda est, ut scilicet illa lectio retineatur, a posita omnia cohaerent et omnia apte conveniunt, a mutata omnia confusa et inextricabilia evadunt, nul- a dubium subesse potest, praeferendam lectionem esse casu nostro, in qua versus 7. retinetur, ut omnia in- na argumenta postulant (1).

1) Cfr. Maran. loc. cit. Etiam ob- andum est hiatum reperiri ma- tissimum, si haec verba tollan- ; contra vero graeco textui supple- itam hiatus praebet versio, quam ui faciendam esse in his casibus diti critici norunt. Non enim al a one supplentur hiatus graeci tex- Matth. XVI, 2, 3: Luc. XXII, , 44; Joan. V, 3, 4; VII, 53; I, 11; Act. VIII, 37, quam per sionem latinam, atque interdum aliis in locis per collationem versio- num reliquarum, quae ubi textus nu- tat, magno semper adjumento sunt textui emendando. Merito propterea nonnullorum reprehensionem incur- rit Scholz, eo quod in opere, quod inscripsit *Biblisch-Kritische Reise*, etc. seu, *Iter Critico-biblicum in Gallias, Helvetiam*, etc. Lipsiae et Sorav, 1823, excluserit e censu in- strumentorum criticorum antiquas versiones. Cfr. *Bibliothèque univ. de*

77. 2. Vindicata igitur, argumentis extrinsecis et intrinsecis authenticitate Joanneae pericopes, alteram jam assumptionis partem probare oportet, qua statuimus hoc commate veritatem catholicam mirifice confirmari. Hoc autem, quamquam breviter, praestabimus directe et indirecte.

78. Directe quidem hinc confirmatur veritas catholica de ss. Trinitatis mysterio, si tres distinctae in eo commate praedicentur personae et earumdem unitas essentiae; res vero ita se habet; nam aperte s. Joannes de Patre, Verbo et Spiritu Sancto affirmat: *Tres sunt, qui testimonium dant.* Si itaque tres sunt, qui testimonium dant, seu, si tres sunt testes, ergo distinguuntur inter se; ergo Verbum et Spiritus S., qui conferuntur in testimonio dando cum Patre, non sunt duae efficientiae aut duo attributa, ut unitarii autumant. Rursum de his testibus dicitur: *Et hi tres unum sunt*; quae verba, Clerico ipso fatente, eodem sensu posita sunt ac illa: *Ego et Pater unum sumus.* Jam vero his verbis, nemine diffitente,

Genève 1823, tom. XXIV, art. *Critique sacrée* pag. 354 et seq. Videtur tamen hic auctor aliquantisper attemperasse hoc suum placitum in editione Novi testamenti. Cfr. *Proleg.* cap. 7, § 46 et seq. Ceterum, pro nostra africana familia illud animadversione dignum est, eo fideliorem censendam eam esse, quod Tertullianus graece sciverit, et noverit graeca apographa, ad quae provocat, lib. *De Praescript.* cap. 36, illis verbis: *Percurre Ecclesias apostolicas, apud quas....., ipsae* authenticae litterae *eorum recitantur, sonantes vocem*, etc. Hinc pro certo habendum Joanneum comma in ipsis eum vidisse; sane in lib. *De monogamia*, cap. XI, expressius adhuc provocat ad graecum textum, inquiens: « Sciamus plane non sic esse in graeco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem ». Ex quibus deprehendimus 1. eum manibus graeca exemplaria trivisse; 2. discrepantias adnotasse inter textum et versionem latinam, *quae in usum exierat*; 3. hanc versionem esse africanam, ut patet ex testimoniis adductis in hoc ipso capite, quae tamen pervenerat etiam ad ecclesiam Romanam, quam hic vellicat Tertullianus. Hinc magis confirmatur sententia nostra, quod in authentico graeco textu Tertulliani aetate reperiretur comma 7. ab ipso laudatum; demum jam a saeculo II non omnes authentici textus editiones accuratissimas fuisse. Cfr. Rigaltius hic not. *b*, *c*; Scholz vero in *Proleg.* pag. 130, videtur confundere recensionem *africanam* cum recensione *itala* antiqua, quae tamen ex dictis distingui debent, etsi una ob originem versio africana sit.

se distinxit a Patre ; ergo et illa : *Et hi tres unt*, distinctionem important. Item vero praeditis verbis unitatem essentiae in divinis personis, : eo, quod si una eademque non esset in Verbo tu Sancto essentia ac natura, Filius et Spiritus infinito intervallo distarent a Patre, nunquam pro- e iis, quae inter se infinite distant, dici posset : *unt*, quemadmodum absque summae impietatis Deo et duobus Angelis dici non posset : *Et hi um sunt.* Patet igitur propositum.

ndirecte autem id ipsum evincitur ex agendi ra- itariorum et rationalistarum ; etenim, nisi vehe- percellerentur hoc testimonio, solliciti adeo non n ejusdem rejicienda authenticitate, nec totum suum et industriam huc conferrent, prout fa-) ; ergo.

DIFFICULTATES

. Obj. Adversus priorem partem. 1. Argumentum m ex familia africana nititur gratuita hypothesi ;) enim adhuc hanc novam recensionem agnovit. lliani auctoritas nimis dubia est, cum adhuc in- sit, num citato loco, capite nempe XXV libri us *Praxeam* alludat ad versum 7, an vero ad erba : *Ego et Pater unum sumus*, ut patet ex

uando antitrinitarii se ab admittendo, inquit Bengel 2, non abhorrere osten- namquam nonnulli hodie nt fastidiosi, et quo lon- tali oraculo removent, eo tiores videntur. Atque uti- ssent ex catholicis, in Ger- sertim, qui posthabito de- ilii Tridentini de recipien- ra, prout legitur in vul- ne *cum omnibus suis par- tibus*, malunt protestantium vestigiis inhaerere! Dolet profecto quod inter eos debeamus Scholz ipsum recensere, qui illud comma in suo II. volumine, quod non ita pridem edidit, graeci N. T. omnino sustulit. Quod quidem erat exspectandum a viro, qui a criticismo biblico antiquas versiones removet, vel saltem parvi ponderis eas esse autumat. Hic auctor audaciorem ipsis protestantibus hac in parte se exhibuit.

sermonis contextu ; subdit enim : *Quomodo dictum est : Ego et Pater unum sumus.* 4. Incertum est utrum s. Cyprianus , tum in epist. *Ad Jubajan.* tum in libro *De unitate Ecclesiae* , allegoricam potius versus 8 expositionem , an vero 7 versum citaverit. 5. Cum vero posteriores scriptores africani summo honore Tertullianum et Cyprianum prosequerentur , hanc allusionem primo receperunt , deinde in novum textum converterunt. Ruit propterea totum fundamentum novae istius africanae recensionis seu familiae ; ergo.

81. Resp. ad 1. *Neg.* Attulimus enim documenta, seu ut vocant instrumenta certissima , quae illius existentiam evincunt.

82. Ad 2. autem , seu 1. probat. *Tr.* Hic siquidem non agitur nisi de applicatione principii ; cum igitur eadem elementa , quae ad constituendas tres vel quatuor familias insinuatas , primum a Bengel proclamatas , deinde a protestante Griesbachio , ac postea ad perfectionem adductas a Catholicis Hug et Scholz , concurrant ad familiam africanam constabiliendam , vel nuncius remittendus est principio familiarum , vel inter familias , velint nolint unitarii et rationalistae , africana accenseri debet ; quae ceteris , ut dictum est , antiquitate , integritate ac dignitate antecellit , et qua ipsi penitus jugulantur (1).

(1) Profecto , si , ipsis criticis biblicis fatentibus , praecipua alicujus familiae instrumenta sunt MSS, versiones , Patrum citationes , editiones criticae , loca parallela , variantium collectio , etc. , cum haec omnia concurrant ad familiam africanam constituendam nullo modo ejus existentia in dubium revocari potest. Etenim nos seriem habemus patrum africanorum , incipiendo a Tertulliano , qui vix 80 aut 90 annis a morte s. Joannis floruit , usque ad saeculum x ; habemus codices MSS antiquissimos ejusdem ecclesiae , cujusmodi esse videmus codicem bibliothecae Sessorianae , seu S. Crucis in Hierusalem in Urbe , qui provenit ex bibliotheca Nonantulana. Porro in hoc codice haec leguntur : *Item illic tres sunt , qui testimonium dicunt in coelo , Pater , Verbum et Spiritus Sanctus , et hi tres unum sunt.* Habemus et codices et patres , qui ex eadem familia hunc textum derivarunt in proprium suum usum ; cujusmodi sunt omnes , qui ad eam familiam quidem stricte sumptam non spectant , sed eam tamen mirifice confirmant , ut patres hispani , galli , itali , et co-

83. Ad 3. *Neg.* Vetat enim, quominus admittamus adversariorum conjecturam, scopus Tertulliani, qui est ostendere unam trium personarum, ac praesertim Spiritus Sancti, cum personis reliquis substantiam esse; ad quod evincendum affert Joannis periocham, in qua dicitur: *Et hi tres unum sunt*; quae nuspiam alibi reperitur; et sane hoc sensu intellexerunt scriptores subsequentes reliqui, qui iisdem pene Tertulliani verbis utuntur, et memorant periocham nostram (1). Neque obstat quod idem addat: *Quomodo dictum est: Ego et Pater unum sumus*; haec enim verba non adduxit Tertullianus nisi ad majorem confirmationem, seu potius declarationem sensus formulae adductae, *Tres unum sunt*, cum haec loca parallela sint, et textus evangelicus in persona prima sit positus, alter vero in persona tertia. Quare, ut observat Bengel, *quo brevior est Tertullianus in citando epistolae dicto, eo notius tum celebriusque apophtegma ipsum fuisse ostendit* (2).

dices anomali et individuales latini, qui subsequentibus temporibus periocham Joanneam habent, quorum, fatente etiam Rosenmüller, *major est pars*; id ipsum fatetur Griesbachius edit. cit. pag. 640, qui perperam ad eorumdem elevandam auctoritatem urget *variantes* lectiones, quae pariter occurrunt in omnibus pene verbis sui textus graeci, ut ex ejus editione compertum fit. Insuper vero in notis ad v. 25 Epist. s. Judae fatetur in nonnullis codicibus verba: σωτῆρι ἡμῶν Χριστῷ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν, deesse propter repetitum ἡμῶν, seu homioteleuton; quare eadem ratio non militat pro versu 7.?

(1) Ad eumdem textum refertur locus insignis ejusdem Tertulliani in lib. *De pudicitia*, cap. 21, scribentis: « Nam et Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis, qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore et consecratore censetur ». Vid. edit. Rigaltii, p. 574. Sic s. Cyprianus in utroque textu a nobis adducto aperte alludit ad locum Tertulliani, quem *magistrum* suum appellabat, teste Hieronymo in Catalogo, et patet etiam ex unione duorum testimoniorum Joan. x et 1 Joan. v, 7. Quod si Tertullianus loc. cit. locum parallelum allegat ex Joan. x, 30, non ad confirmandum, sed ad interpretandum illud *tres unum sunt* eum adducit. Ceterum observat Scholz, *Proleg.* pag. 155, Tertullianum *negligentius ex memoria contractim ad sensum haud sine mutatione textus citare.*

(2) Loc. cit. § 11. Cfr. etiam de hac Tertulliani citatione Millius. *Proleg. ad N. T. Graec.* pag. LX, edit. Oxonii 1707. Integer vero Tertulliani textus ita se habet: « Ceterum, de meo

84. Ad 4. *Neg.* Satis enim est ad omne dubium tollendum conferre duo testimonia, in quibus s. Doctor commatis nostri mentionem facit. Porro primum desumitur ex epist. *Ad Jubajan.* ubi scribit: *Si templum Dei factus est, quaero cujus Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non credidit. Si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, quia aut Filii aut Patris inimicus est* (1)? Alterum vero exstat in lib. *De unit. Ecclesiae*, ubi ait: *Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitatem, de divina firmitate venientem, sacramentis caelestibus cohaerentem, scindi in Ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari* (2)? Quis porro haec legens, animo anticipatis judiciis vacuo, aperte non videat hic a s. Cypriano adduci versum 7, nec ab ipso fieri a longe petitam allusionem ad versum 8? Cum praeterea dicat: *Divina firmitate, Sacramentis caelestibus*, nonne digito commonstrat verba Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in caelis*, et illa: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (3)?

sumet, *inquit*, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, qui TRES UNUM SINT, non unus; quomodo dictum est, ego et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem » (edit. Pamelii et B. Rhenani, Basileae 1562).

(1) Epist. LXXIII. edit. Maur. Paris. 1726, p. 133.

(2) Pag. 195, 196, ejusd. edit.

(3) Notat autem Millius, *Prol.* loc. cit., mysticam expositionem de tribus terrenis *aqua, spiritu et sanguine*, quibus ex mente veterum significata est Trinitas personarum, non obtinuisse in ecclesia tempore Tertulliani, imo ne auditum quidem fuisse de ea quidquam ante annum Christi 428, quo nempe libros suos contra Maximinum edidit Augustinus. Eadem repetit in prolixa nota, quam attexuit cap. 5, epist. 1. Joan. p. 743; ubi, cum retulisset textum s. Fulgentii ex *Responsione contra Arianos*, sub finem, qui ita se habet: « B. Joannes Apostolus testatur, dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum

85. Ad 5. *Neg.* assertionem, et nego praeterea quod supponitur, Tertullianum nempe et Cyprianum allusisse ad Joan. X, ut patet ex modo dictis. Non minori profecto erga Tertullianum, et s. Cyprianum praesertim, reverentia afficiebantur patres itali et galli, quam africani; nulla igitur est ratio, cur dicantur Tertullianus et s. Cyprianus majorem influxum exercuisse super scriptores africanos quam super ceteros, qui tamen eam clausulam non citarunt, eo quod nempe uterentur recensione citata, prout ea usus est Augustinus, qui propterea nec ipse apophtegma Joannis laudavit (1). Si igitur illud citarunt scriptores africani, unica ratio est, quod isti recensione africana uterentur; et exinde magis confirmatur sententia nostra, ac ruit adversariorum conjectura et conclusio.

et Spiritus Sanctus; et tres unum sunt. Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus, in epistola De unitate Ecclesiae confitetur, dicens, etc.; » subdit: Levis plane momenti esse quod ex Facundo notatur, Cyprianum scilicet haec ex versu octavo allegasse. Unde factum enim ut B. Martyris mentem melius novit Facundus qui 300 post Cyprianum annis floruit, quam Fulgentius, qui Cypriano aliquanto propior? Unde etiam constat aetate Cypriani quemquam *Aquam, Spiritum et Sanguinem* mystico sensu accepisse pro personis Trinitatis? Certe sicut apud graecos, qui versum 7. non legerant, nusquam occurrit explicatio illa mystica, ita nec Latinorum quisquam, ut opinor, per annos a Cypriano plus 100 spiritualis hujus sensus mentionem facit. Sed leg. auctor ipse, loc. cit. et rursum in *Proleg.* pag. 97, col. 1. Attamen Griesbachius non veretur ad haec confugere.

(1) Quod si quis contendat opus, quod sub *Speculi* nomine praefert codex Sessorianus seu Nonantulanus, esse *Speculum* genuinum s. Doctoris, ut nonnulla suadere videntur, quod diversum est a duobus aliis operibus, sub eodem titulo vulgatis a Maurinis, in appendice ad tomum VI opp. s. Doctoris (de quibus cfr. editorum admonitiones eisdem praefixae); tunc dicendus s. Augustinus in ordinariis suis operibus usus recensione itala, e qua versus 7. exciderat; cum vero Speculum rogatu Possidii scripserit, adhibuisse recensionem africanam, in qua hoc comma habebatur. Hoc vero eo verisimilius videtur, quod ipse Griesbachius fateatur ipsum Origenem modo Marci codicem occidentalem, modo alexandrinam recensionem in usum adscivisse, imo Origenem non semper unum tantum eumdemque Novi Testamenti codicem usurpasse. Cfr. ejus *Comment. critic. in textum graec.* partic. II, pag. 30-37. Quidni igitur idem potuerit praestare Augustinus? Quod spectat ad Facundum Hermianensem, qui versum 7. omittit, observandum est eum magnam vitae suae partem Constantinopoli transegisse, ideoque africanam recensionem minime adhibuisse.

86. II. Obj. 1. Si in familia africana Joannis periocha reperitur quî factum est, ut in recensione *itala* non reperiretur, cum tamen ex dictis eadem esset utriusque recensionis seu familiae versio originalis? 2. Quî fieri potuit, ut ab omnibus codicibus graecis reliquisque familiis exularet? 3. Nonne absurdum est supponere primum typum, quem familiae asiaticae et occidentales repraesentant, corruptum fuisse, nec unquam patres seu codicum emendatores, qui recensuerunt codices in utraque ecclesia, ejusmodi corruptionem subodoratos fuisse? neque Lucianum, neque Hesychium, neque Origenem, neque Hieronymum? Ergo.

87. Resp. ad 1. Quia vel casu vel haereticorum fraude excidit, ut dictum est, cum sermo esset de primitivo reliquarum familiarum typo (1).

88. Ad 2. *Neg.* suppositum, deesse scilicet vel defuisse illam periocham in omnibus graecis exemplaribus. Contrarium evincunt omnes voces anomalae, seu codices MSS., qui ad nullam familiam determinatam pertinent, neque pauci sunt, quos Scholz recenset (2).

89. Ad 3. *Neg.* Cum de facto evidentia historica constet, quod spectat ad reddendam rationem silentii aliorum documentorum, satis est ut ratio probabilis assignetur. Ea porro, quam assignavimus, quum et exemplis et documentis firmetur, non est quod ulterius inquiramus, cum ea abunde ad rem nostram sufficiat. Ex horum porro qui nobis objiciuntur censu s. Hieronymus eximendus est, qui v. 7. continet, ut patet ex ejus Bibliotheca divina edit.

(1) Cfr. Millius loc. cit. pag. 747, qui propterea observat vix potuisse tota illa persecutionis periodo codicibus recensendis operam impendi.

(2) Cfr. op. cit. *Proleg.* cap. 6. Satis hic sit commemorare *codicem cyprium*, quem ad nullam ex cognitis familiis pertinere post accuratum examen Scholz ipse pronunciavit, sed ad summum tum ex familia alexandrina, tum ex constantinopolitana coalescere existimat. Cfr. ejusdem *Curae criticae in historiam textus*, etc. Heidelberg 1826, diss. 2. Vid. *Bibliothèque universelle de Genève*, tom. xx, pag. 109 et seqq. 1822.

Vallarsii et ex codice gothico quem supra attulimus. Progressu temporis aliae fortasse invenientur (1).

90. III. Obj. Saltem nulla est ratio, quae ex argumentis intrinsecis adducitur. Haec enim potissimum nititur 1. connexione ac relatione duorum commatum, ac praecise illorum verborum *in terra*; jam vero nemo est, qui nesciat et haec verba excludi a familiis codicum; quo fit ut in recentioribus N. T. graeci editionibus, intra parenthesin includantur verba omnia, quae habentur post *tres sunt qui testimonium dant*, versu 8, usque ad alia: *Spiritus*, etc., ita ut legi debeat integer textus hoc modo: *Tres sunt, qui testimonium dant, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum* vel *in unum sunt*, prout concordes legunt versiones syriaca, arabica Polyglottae atque Erpenii, et aethiopica (2). 2. Nititur verbis illis:

(1) Placet hic in medium adducere verba Bengel, qui loc. cit. § 28, scribit: « Graeca antiqua hujus dicti documenta, si ab iis, quae § 23 aegre corrogavimus, discesseris, nulla adhuc cernimus; sed non vanum est praesagium, fore ut plura aliquando exoriantur. Historia lectionis χωρίς, *Heb.* II. 9, sive lectio placet cuiquam, sive displicet, huc pulchre quadrat. Citat eam Hieronymus; sed Hieronymi editor, Erasmus, eam annotationibus suis ad N. T. non inseruit; deinde mentio ejus apud graecos Patres est eruta, nunc demum etiam graecus accedit codex, et accedent fortasse complures. Quid vetat, similes in dicto Joanneo sperare suppetias, praesertim cum graeci Patres, latino interpreti propiores, hoc dicto caruisse nondum constet? » Ut aliud exemplum proferamus, notum est Clericum ejusque symmistas non paucos ex recentioribus biblicis criticis protestantibus, Semlerum, Morum, Haenstenium, Bretschneiderum, etc. qui Scripturam, ut libet, truncant, rejiciunt, tollunt, evertunt, admittunt pro summo jure, quo gaudent, rejecta nempe ecclesiae auctoritate, historiam mulieris adulterae, quae legitur Joan. VIII, 1 et seqq. rejecisse, argumentis, ut clamabant, extrinsecis ductos. Nunc vero eadem ab ipsis criticis biblicis admittitur ob nova documenta, inter quae satis sit recensere *codicem cyprium*, de quo superius verba fecimus, qui totam hanc pericopem continet. Id ipsum dicatur de historia probaticae piscinae, Joan. V, 4, quem versum adulterinum esse suspicatus est Millius, *Proleg.* § 433, atque fortassis ex hebraeorum evangelio translatum, et turba criticorum, quae eumdem secuta est; attamen nunc admittitur hic versus ut genuinus, et eum exhibet idem codex. Cfr. *Biblioth. univers. de Genève* loc. cit. pag. 118. Id ipsum de pluribus aliis locis dicatur, vel plane rejectis, vel in dubium revocatis, prout est ex. gr. Marci XVI, 9 et seqq. et aliis, quae brevitatis causa praetermittimus; quaeque omnia expungi deberent, juxta istorum criticam, ut plures reipsa illa expungunt.

(2) Cfr. *Polyglotta* Waltoni.

Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; ast, si bene perpendantur, haec non dicunt relationem nisi ad ea, quae habentur in versu 6: *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; vel ut in aliis lectionibus habetur: *Et Spiritus est veritas* (1); vel etiam si placet, relationem dicunt ad versum 8, ubi nomine *Spiritus Sanctus*, prout veteres non pauci intellexerunt, designatur. Quae cum praecipua sint argumenta interna, reliqua per se cadunt; ergo.

91. Resp. *Neg. antec.* Quae enim attulimus, integram omnino periocham exposcunt. Ad 1. itaque argumentum quod spectat, fatemur ab audaculis criticis recentioribus privata auctoritate intra parenthesin laudata verba constringi; quonam autem jure id ipsi praestent, ignoramus (2). Ceterum Bengel codices affert, in quibus deest versus 7, et qui tamen exhibent voces illas *in terra*; affert alios, in quibus verba *in coelo et in terra* desunt, etsi habeant duo commata integra, illis vocibus exceptis (3). Plures sunt codices a quibus exulant voces ex

(1) Ibid. Versio tamen aethiopica eumdem sensum refert ac vulgata latina, Waltonus in variantibus Novi Testamenti citat cod. 9, in quibus legitur *Christus*. Cfr. tom. IV. Sabatier ad hunc locum alios citat.

(2) Sed neque in hoc critici protestantes habent meritum inventionis, siquidem Richard Simon in sua *Histoire critique du Nouveau Testament*, part. II, chap. 9, pag. 110, edit. Rotterdam 1690, id ipsum jam innuerat, ubi conqueritur de eo, quod Robertus Stephanus in sua editione posuerit semicirculum post verba ἐν τῷ οὐρανῷ, cum juxta ipsum ponere debuisset immediate ante verba ἐν τῇ γῇ. Quam audaciam miratur ipse Millius. Griesbachius in sua editione graeca Novi Testamenti, ceteris audacior, omnino verba illa suppressit, qui deinde initio diatribes suae tanquam ex tripode pronunciat: *Quae uncis inclusimus (ex integro textu eidem praemisso) spuria sunt, ideoque e sacro contexu eliminanda*. Quanta securitate!

(3) In recensione variantium ad versus 7 et 8. Latini enim aliqui codices, etsi pericope hac carentes apud Erasmum, Hentenium, Lucam Brugensem, Dorscheum, voces tamen *in terra* habent. Legerunt has easdem voces Facundus Hermian. in lib. I *Defensionis trium capitulorum*, c. 3, pag. 7, edit. Sirmundi, ubi versum 8 bis profert: *Tres sunt, qui testimonium dant* in terra, *Spiritus*, etc.; et rursum: *Tres sunt qui testificantur* in terra; *Spiritus*, etc., et Beda in *Comment.* in hunc locum: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant* in terra, *Spiritus*, etc.; neuter tamen in suo exemplari habebat versum 7. Voculas item *in coelo* et *in terra* non videtur legis-

octavo versu: *Et hi tres unum*, vel *in unum sunt*. Millius censet voces *in terra* ab emendatoribus codicum, a quibus testes coelestes absunt, fuisse sublatas utpote superfluas (1). Si sibi propterea constare vellent critici hi biblici, deberent vel utrumque versum, 7. nempe et 8, eradere, vel utrumque retinere, prout jacent.

92. Ad 2. *Neg.* In hypothesi enim adversariorum sensus mutilus prorsus oriretur et truncus; cum enim versu 6. meminisset aquae et sanguinis et spiritus, Apostolus Joannes consecrasset integrum versiculum 8. testimonio aquae, sanguinis et spiritus, et nihil addidisset de Spiritu Sancto, et pari tamen ratione concluderet: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est*, imo se se extendens circa hoc Dei testimonium, tum addit: *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo;* bene quidem, admisso versu 8; at hoc sublato, vix haec cohaerere possunt. Multo minus admittendum est alterum effugium de *Spiritu Sancto* in versu 7; nam haec non est nisi paucorum codicum lectio, exclusa a censu familiarum. Si his praeterea addantur, quae adduximus in probationibus, patebit, quam vere dixerit ipse Bengel: *Adamantina versiculorum cohaerentia omnem codicum penuriam compensat* (2).

e auctor *Prologi in ep. canonicas.* ed. Schebornianus non habet voces *in terra*, habet tamen *in coelo*. Plures codices carent vocibus *et hi tres unum sunt*, plures legunt *in nobis sunt*, vel etiam *unum sunt in Christo Jesu*, etc. Cfr. etiam Sabatier a hunc locum.

(1) Loc. cit. Cfr. etiam Maran. ec. cit.

(2) Loc. cit § 28. Ex dictis etiam ubet pessima agendi ratio Joan. Georgii Rosenmüller, qui ad hunc locum mala omnino fide refert argumenta contra γνησιότητα seu *genuinitatem* hujus commatis, dum tradit hunc versiculum primo *graece* prolatum fuisse in graeca translatione Actorum Concilii Lateranensis, quod anno 1215 celebratum est; codices *latinos* ante saec. x. exaratos plane cum non habere; a patribus *latinis* non citari, ubi vel maxime ad rem pertineret, atque omnino expectari posset; Vigilium Tapsensem primum videri, qui exeunte saeculo v *clave* ad testes caelestes provocarit, etsi tamen non conveniat ejus allegatio cum textu nostro, nec in verbis, nec in sensu, etc. In quibus

93. IV. Obj. contra alteram propositionis partem. Data etiam *genuinitate* Joannei commatis, nihil tamen inde

omnibus tot pene sunt mendacia quot verba. Etenim 1. Concilium Lateranense loquitur de pericope Joannaea tanquam de re omnibus tunc temporis explorata; ait enim: « Quemadmodum in canonica Joannis epistola legitur: Quia tres sunt qui testimonium dant, etc. *statimque subjungit*: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt, sicut in codicibus quibusdam invenitur »; quae postrema verba referuntur, ut patet, ad postremam clausulam de testibus terrenis: *Et hi tres unum sunt*, de quorum authenticitate etiam dubitavit s. Thomas, ut notum est. Ex hac porro observatione de clausula modo dicta, patet vulgatissimam fuisse tunc temporis lectionem de testibus coelestibus, eo maxime quod concilio Lateranensi interfuerint non pauci graeci, qui tamen de hoc non mussitaverunt. Vid. *Collectio Conciliorum*, edit. Harduini, tom. XI, p. 1. Addatur auctor *Dialogi* seu disputationis *contra Arium*, s. Athanasio tributae, qui Maximus M. vulgo creditur; cum enim in Africam venisset, ibi nactus codices familiae africanae, invenit textum nostrum; redux in orientem ansam sumpsit dialogum scribendi; hic igitur, quicumque demum sit, certe antiquus auctor, sub finem, n. 1-5, cum locutus esset de baptismo, qui *inter beatissima nomenclatura fidelibus datur; adde*, inquit, *his omnibus*, *quod ait Joannes*: *Et hi tres unum sunt*: Οὐκ ἐν τῇ τρισμακαρίᾳ ὀνομασίᾳ δίδοται τοῖς πιστοῖς; πρὸς δὲ τούτοις πᾶσιν, Ἰωάννης φάσκει, καὶ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσίν. (Cfr. inter opp. s. Athanasii edit. Maur. vol. III. pag. 229). 2 Falsum est, quod dicit, patres *latinos* hunc textum non citasse; nos documentis adductis contrarium ostendimus. 3. Falsum est Vigilium Tapsensem omnium primum videri, qui exeunte saec. V. *clare*, etc., ut patet ex dictis, quibus addimus Eucherium, qui floruit anno 434, id est, 50 annis ante Vigilium Tapsensem, et qui in libro *Formularum spiritualis intelligentiae*, cap. 11, n. 3, scribit: « Numerus ternarius refertur ad Trinitatem in Joannis epistola: Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis ». Numquid clarius aliquid proferri poterat? 4. Falsum est allegationem Vigilii cum textu nostro, nec in verbis, nec in sensu convenire; nam lib. I, *De Trinit.* inquit: « Sicut et in hoc exemplo veritatis, in quo nomina personarum evidenter sunt ostensa, et unitum nomen divinitatis clause est declaratum, dicente Joanne Evangelista, in epistola sua: Tres sunt qui testimonium dicunt in coelo, Pater et Verbum et Spiritus; et in Jesu Christo unum sunt; non tamen unus est, quia non est in his una persona ». Judicet lector, an in sensu conveniat et in verbis nec ne cum textu nostro. Rursum sub finem ejusdem libri idem testimonium profert, addendo *Sanctus* nomini *Spiritus*. Et lib. VII, sine vocibus *in Christo Jesu* absolute scriptum dicit a Joanne: *Et hi tres unum sunt*. (*Bibliot. PP.* edit. Lugdun. tom. VIII, pag. 771 et seqq.). Quam bene critici protestantes! 5. Falsum est, quod affirmat de codicibus latinis ante saeculum X. scriptis. Contrarium nos ostendimus ex ipso Richardo Simonio aliisque adductis, nec abnuit Griesbachius, in N. T. edit. Lond. 1818, vol. II, pag. 640. His addimus codicem nuper repertum in monasterio Benedictorum *Carensi*, Neapolim inter et Salernum, quem ante annos 1000 abbas Rozan scriptum censet, Cl. vero Card. Angelus Maj saltem ad saec. VII. pertinere judicavit; legitur vero in hoc codice: « Quia tres sunt, qui testimo-

ir ad distinctionem personarum in unitate essentiae tendam; etenim 1. Pater, Verbum et Spiritus San- *unum* esse dicuntur non essentia, sed unitate seu nsu testimonii; prout 2. exposuerunt doctissimi in- tes; 3. sane id postulat contextus et connexio duo- versiculorum 7 et 8; jam vero etiam de spiritu, et sanguine pariter dicitur: *Et hi tres unum sunt*, amen aliquis adeo desipit ut dicat, haec unum esse *tia*, sed unum dicuntur unitate testimonii; eodem sensu de testibus coelestibus dictum est, eos *unum* nempe unitate testimonii. Ita fere Clericus.

. Resp. *N. A.* Alioquin, ut superius notavimus, adeo solliciti essent unitarii in hoc nobis eripiendo ionio. Nam nonnisi odio veritatis tanto molimine fru- laborant; recolantur dicta in probationibus.

lant in terra, etc. et hi tres unt in Xpo. Ihu. et tres sunt, timonium dicunt in coelo, Pa- erbum et Sps, et hi tres unum . Cfr. Wiseman, loc. cit. pag. eqq. Hunc autem codicem pe- se alium Sessorianum Scholz lit. Cfr. *Prol.* § 44, 47. Sed nec perte mentitur Rosenmüller, ofert argumenta, quae favent textui; suppressis enim ex in- validioribus argumentis, pro- ntum debiliora, quae rursum are nititur. Demum confugit um nunc communem inter ra- tas biblicos, ad historiam nem- elii convicti a Griesbachio, usa finita est. Sed nos liben- is concedimus suos Hezelios et achios et Semleros et Eichhor- e. Vae nobis, si Christus Do- his criticis scripturam custo- m dimisisset! Vix frustula ali- tacta superessent. Attamen Ro- ller non attulit nisi argumen- ndoque etiam nonnisi ipsa ver- iesbachii; ea proinde quae di- nt contra Rosenmüller, aeque adversus Griesbachium, in caeterea livor deprehenditur, ut patet ex ratione, qua excandescit adversus Manuel. Calecam, quem vocat *graeculum latinizantem*, *pseudo-graecum*; et hoc ob duplex ab eodem patratum crimen, 1. quod *excitaverit* versum 7, 2. quod ecclesiam graecam orthodoxam (nempe *schismaticam*), priscam Patrum suorum fidem tuentem (id est, ut inferius ostendemus, a prisca Patrum suorum fide desciscentem), acriter oppugnaverit, eique Pontificis Romani primatum obtrudere, ac decantatum illud *Filioque*, Nicaeno symbolo a latinis adjectum, defendere conatus sit. Gravia haec profecto crimina sunt ac irremissibilia in oculis *tolerantissimi* protestantis, qui alioquin paratus esset eumdem ut magnum virum *proclamare*, si schisma et haeresin fovisset, et non *excitasset* hunc versum ipsi adeo in eo invisum. Ex his specimen habetur *moderationis*, quam adeo decantant protestantes, et libertatis, qua iidem fruuntur in rejiciendis fidei articulis pro lubito; siquidem primi protestantes, cum Catholica Ecclesia dogma de Spiritus Sancti processione etiam a Filio profitebantur.

95. Ad 1. probat. *N.* Nam 1. absurdum est Patrem, Verbum et Spiritum Sanctum *unum* dici, etiam in testimonio ferendo, si infinito intervallo inter se distarent, ut distare perhibentur in hypothesi unitariorum. Solus enim Pater Deus esset, Verbum autem et Spiritus Sanctus vel creaturae forent, vel efficientiae, prout absurdum esset dicere de Deo, et duobus Angelis aliquid testantibus: *Et hi tres unum sunt.*

96. 2. Quia eadem ratione disserere hoc loco debemus de testimonio Patris, Verbi et Spiritus Sancti ac de testimonio Patris, Verbi et Spiritus Sancti, de quo saepe Joannes in evangelio disseruit; jam vero Joan. XV, 26, et XVI, 14, Christus commendat testimonium Spiritus Sancti, ex eo quod a Patre procedit, et ex eo, quod de suo accipiet, nempe ex unitate naturae et essentiae cum Patre et Filio; tum etiam suum proprium commendat testimonium, ex eo quod ipse unum sit cum Patre suo, dicens Joan. X, 30: *Ego et Pater unum sumus.* Non alio igitur sensu hic scribere potuit idem Apostolus: *Et hi tres unum sunt.*

97. 3. Quia hic innuit se magnum proponere mysterium, cum tamen accurate tres distinguat personas et conjungat, imo unum tres esse dicat; sed si una non esset in tribus personis essentia, opus non fuisset tanta contentione et diligentia in distinguendis rebus disjunctissimis; sic nihil mirabile esset, quod tres consentiant in ferendo testimonio. Itaque quaqua versus spectetur Joannis apophtegma, non alium sensum admittit praeter illum, quem in eo tota agnovit antiquitas. Omnes enim patres, qui illud citarunt, constanter ad adstruendam unitatem essentiae in tribus personis eo usi sunt (1).

(1) Cum Rosenmüller refricet argumenta Clerici de consensu voluntatis, etc., addit de suo, hanc interpretationem, si admitti posset, cum contextu et consilio Apostoli non posse conciliari, quod jam *nonnulli veterum perspexerunt*; in margine vero editionis complutensis narrari

98. Ad 2. *D.* Id est, Calvinus aliique ejusdem furfuris, *C.* alii *N.*

99. Ad 3. *D.* Eadem ratione de testibus coelestibus et terrenis pronunciatur: *unum sunt*, quoad pondus et auctoritatem testimonii, relate ad id, quod testantur, *C.* quoad testes inter se *N.* Nempe ejusdem ponderis sunt testes terreni ad veram Christi humanitatem testandam, ac testes coelestes ad testandam ejusdem divinitatem. Adde, ex dictis, in graeco textu de testibus terrenis dici: *Et hi tres in unum sunt*, quod non dicitur de testibus coelestibus, atque ex hac ipsa lectionis diversitate discrimen patet quoad naturam testium inter se (1).

100. Et haec de gravissimo hoc argumento in praesentia dicta sufficiant. Si autem Deus dederit, peculiarem opportuno tempore edemus forsan dissertationem, in qua latius proferemus, quae hic nonnisi contracta oratione, ut fert institutionum indoles, congessimus.

PROPOSITIO III.

Unitas divinae essentiae in tribus personis distinctis ex perpetuo ac constanti ecclesiae sensu traditionali confirmatur

101. Ipsa recta ratio et ars critices docent aptissimam regulam, ad verum dignoscendum tum legis tum cujus-

Abbatem Joachim negasse quod verba commatis 7: *hi tres unum sunt*, ad unitatem personarum spectent, ac traxisse haec verba ad unitatem consensus, atque provocasse ad comma 8, etc. Quod attinet ad marginem editionis complutensis, non abnuimus adnotationem illam ibi reperiri; sed falsum omnino est, quempiam veterum perspexisse agere Joannem de consensu voluntatis vel non posse conciliari cum contextu ac consilio Apostoli; quotquot enim textum illum adducunt ex veteribus, nemine excepto, eum proferunt ad evincendam unitatem essentiae in tribus personis. Provocamus omnes criticos biblicos ac rationalistas, ut vel unum afferant, qui verba illa acceperit de consensu voluntatis, vel affirmaverit cum consilio et contextu Apostoli hunc textum conciliari non posse.

(1) Cfr. Maran op. cit. et loc. cit.

quam antiqui scriptoris sensum, esse usum ipsum et intelligentiam eorum, qui ipsi coaevi fuerunt, vel eos proxime secuti sunt, ac multo magis si ab auctoribus ipsis hunc eumdem germanum sensum fuerunt edocti, quem deinceps posteritati transmiserunt. Jam vero sensum doctrinae Christi Domini circa mysterium sanctissimae Trinitatis et apostolorum, qui tum viva voce tum scriptis eam praedicarunt ac promulgarunt, eum esse, quem tenet ecclesia catholica, certissimis documentis adstruitur, deductis ab aetate apostolica usque ad Justinum M., et a Justino usque ad concilium Nicaenum et Constantinopolitanum 1. Ab hac enim epocha et deinceps hanc fidem in ecclesia universa obtinuisse unitarii et rationalistae ultro fatentur.

102. Ut vero ad certas classes haec documenta revocemus, ne confusionem ingerant, sic ea distribuimus: 1. Sit praxis ecclesiae ejusque agendi ratio cum novatoribus circa hoc mysterium; 2. sint Fidei professiones; 3. Confessiones martyrum; 4. Haeretici; 5. Judaei et pagani; 6. Patres singillatim sumpti; 7. Socinianorum ac rationalistarum impugnandi ratio.

103. 1. Itaque quod attinet ad ecclesiae praxim ejusque agendi rationem cum novatoribus, insigne documentum est perpetuitatis fidei nostrae baptismi collatio in nomine ss. Trinitatis. Ecclesia autem nunquam intendit baptismum conferre in nomine Patris omnium, filii Messiae, et vis divinae; hunc enim sensum, quem recentiores unitarii autumant formulae baptismatis inesse, nullo prolato novae suae interpretationis documento, nunquam agnovit ecclesia; imo ex hac formula refellere consueverat sabellianos, qui divinas personas confundebant (1).

(1) Cfr. s. Joan. Chrys. loc. cit., et ante ipsum Justinus M. *Apol.* 1, n. 61, referens modum regenerationis seu baptismi, scribit: Ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ πνεύματος ἁγίου τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦν-

Aliud documentum hujus praxis est recepta a primis ipsis ecclesiae saeculis doxologia, his fere verbis concepta: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto* (1), qua aperte et aequalitas simul et distinctio personarum exprimitur. Vix autem novatores aliqui impugnare aggressi sunt sive divinitatem alicujus personae sive earum distinctionem, cum ecclesia illico eos damnavit, atque e sinu suo velut haeretica impietate infectos expulit; ita se gessit cum ebionitis et cerinthianis, qui ipso primo ecclesiae saeculo exorti sunt, et Filii, seu Christi, divinitatem ne-

ται· Id est, « Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi et Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc suscipiunt »; *Et Tertull.* Contra Marcion., *lib.* 1, *cap.* 28: « Baptismus, *inquit*, regeneratio est hominis; quomodo regenerat, qui non generavit? iteratio enim non competit ei, a quo quid nec semel factum est. Si consequutio est Spiritus Sancti, quomodo Spiritum attribuet, qui animam prius non contulit? » Ex qua argumentatione constat Tertullianum pro certo sumere, adversus Marcionem, Filium et Spiritum Sanctum, in quorum nomine confertur baptisma, Deum esse, eo quod nemo possit regenerari ab eo, a quo conditus non est. Sed quod frangit audaciam rationalistarum est usus antiquissimus, in primitiva ecclesia receptus, conferendi baptisma per trinam immersionem cum distincta trium personarum invocatione; de quo usu loquuntur canones apostolici antiquissimi, ac praecise canon quinquagesimus. Trinam autem hanc immersionem, quam patres passim ab apostolica traditione repetunt, usurpatam esse ad distinctionem trium personarum clarius significandam, tradit idem Tertullianus, libro *Adv. Praxeam*, cap. 27, ubi sic eum perstringit: « Novissime mandans (Christus), ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in singulas personas tinguimur ». Cfr. Guillelm. Beveregius in *Annot. ad can. quinquagesimum apost.* nec non in *Cod. canonum Eccl. primit.* lib. II, cap. 9.

(1) Cfr. s. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 29, qui testatur se doxologiam, seu glorificationem hac formula: Τῷ Θεῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χρίστῳ σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν, id est, *Deo Patri et Filio D.N.J.C. cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum, amen*, accepisse frequentatam in omnibus orationibus ac libris suis a s. Gregorio Neocaesariensi, Thaumaturgo nuncupato, et a Firmiliano. Eamdem praeterea doxologiam frequentatam fuisse primis duobus ecclesiae saeculis, patet ex *Constitutionibus apostolicis*, lib. VIII, cap. 12; et rursum ibid. cap. 13, et alibi passim; cfr. apud Cotelerium *Scripta ss. Patrum, qui temporibus apostolicis floruerunt*, etc., tom. 1, pag. 199 et seq. edit. Antverpiae 1698; Joan. Bingham, *Origines sive antiq. eccles.* vol. V, lib. XIII, cap. 2, § 1 et seqq., innumera exempla profert ex remotissima antiquitate istius universalis usus apud christianos; cfr. s. Joan. Damasc. in epist. ad Jordan. *De hymno Trisagio*, n. 6, ubi plura lectu digna habentur de recepta in ecclesia doxologia.

garunt; ita postea cum Artemone ac Paulo Samosateno, eadem impietate obstrictis (1); eadem ratione restitit Theodoto coriario, Noëto, Sabellio, patripassianis, reliquis denique omnibus (2). Quod quidem argumentum est indubium verae fidei, quam ecclesia semper professa est.

104. 2. Fidei professiones, quae ab apostolicis temporibus obtinuerunt, ineluctabile aliud suppeditant hujus dogmatis documentum. Harum in censum primo venit ipsum apostolicum symbolum, quod tironibus tradebatur; in hoc autem habetur pariter expressa fides in Deum Patrem, et in Jesum Christum unicum Filium ejus, et in Spiritum Sanctum, ut personas tres distinctas in eadem divina natura (3) eo sensu, quem etiamnum tenet ecclesia; secundo venit alia fidei professio, quae edita est a patribus alexandrinis, in epistola synodica ad Paulum Samosatenum, in qua, exposito fidei dogmate cum hodierna fide consentaneo, de Filii divinitate ac de Trinitate testantur, ita et praedicasse ss. patres, et sibi confitendum profitendumque tradidisse (4); venit deinde sy-

(1) Vid. epistola Alexandri episc. Alexandrini ad Alexandrum episc. Constantinopolitanum, apud Theodoretum, *Hist. Eccles.* lib. I, cap. 3; Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 27, 28; Hieronym. *Proleg. in Matth.* edit. Vallarsii, tom. VII, pag. 5. Cfr. Petavius, *De Trinit.* praef. cap. v, § 1.

(2) Cfr. Petavius ibid.

(3) Unitarii omnia symbola antiqua rejiciunt, ac praesidium suum omne constituunt in symbolo romano, quod sua simplicitate se commendet et unice proponat fidem in Deum Patrem, et Filium ejus unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu Sancto: cum cetera, quae huic symbolo addita sunt, non apostolis, sed patribus platonicis sint tribuenda; ita quidem Simon Episcopius, lib. IV, *Instit.* cap. 23 et seqq. At perperam; symbolum enim apostolicum, etiam prout jacet, evertit omnem impietatem unitariorum. Quid est enim credere in Deum Patrem, in unicum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum, nisi credere in tres personas distinctas? Cum Deus dicatur Pater et Jesus Christus ejus Filius, nonne praedicatur unitas naturae in Patre et Filio, si accipiantur, ut accipi debent, in sensu obvio et absque glossis et explicationibus unitariorum? Addo fideles prius bene instructos fuisse circa verum sensum symboli, antequam ad baptismum admitterentur.

(4) Vid. *Epist.* s. Dionys. episcopi Alexandrini *adversus Paulum samosatenum*. Sic vero se habent ejus verba post expositam doctrinam Trinitatis ac divinitatis Verbi et Spiritus Sancti: Καὶ οὕτως ὡμολόγησαν αὐτὸν οἱ ἅγιοι πατέρες, καὶ παρέδοσαν ἡμῖν ὁμολογεῖν, καὶ πιστεύειν: *Et sic confessi sunt eum* (Verbum)

rior antiochena, adversus eumdem Paulum coa-
qua emittitur verbis his de ss. Trinitate fidei
: *Decrevimus fidem scripto edere, et expo-
uam a principio accepimus, et habemus tra-
t servatam in Catholica Ecclesia usque in ho-
diem a beatis Apostolis.... esse unum Deum
n.... et Filium genitum, unigenitum, sapien-
verbum ac virtutem Dei ante saecula, non
nitione, sed substantia, et hypostasi Deum,
ium*, etc. Concluditur autem: *Et omnes Eccle-
holicae nobiscum consentiunt* (1). Huc demum
fidei professio s. Gregorii Thaumaturgi, quam
ejus vita s. Gregorius Nyssenus, quae ita se
*Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo...
rus veri Patris.... invisibilis ejus, qui est in-
, et incorruptibilis ejus, qui corruptioni non
rius.... Unus Spiritus Sanctus.... imago Filii,
perfecta; Trinitas perfecta, quae gloria,
te ac regno nec divisa est nec alienata* (2).

s, *et ut confiteremur
us nobis tradiderunt* (in
terum Patrum, graec.
pag. 275). Et in fragm.
nos, n. 3. concludit:
καὶ ἡ θεία τριὰς καὶ τὸ
μα τῆς μοναρχίας διασώ-
, *ita scilicet divina Tri-
cta monarchiae praedi-
servabitur*. Apud Atha-
retis, n. 26, part. 1
pag. 231, edit. Paris.
e in *Biblioth. Patrum*
m. III, p. 540.
ν ὑμῖν ἐγγράφειν τὴν πί-
ρχῆς παρελάβομεν, καὶ
δοθεῖσαν, καὶ τηρουμένην
κῇ καὶ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ,
ἡμερον ἡμέρας, ἐκ δια-
μακαρίων ἀποστόλων....
ἀγεννήτος, εἷς.... τὸν δὲ
, μονογενῆ υἱόν, εἰκό-
του Θεοῦ .... σοφίαν καὶ
λόγον καὶ δύναμιν Θεοῦ, πρὸ αἰώνων
ὄντα, οὐ προγνώσει, ἀλλ' οὐσίᾳ καὶ
ὑποστάσει Θεόν, Θεοῦ υἱόν .... Καὶ
πᾶσαι αἱ καθολικαὶ ἐκκλησίαι συμ-
φωνοῦσιν ἡμῖν. *Collect. Concil.* Lab-
bei, tom. 1, col. 844, edit. Paris.
1671.

(2) Εἷς κύριος, μόνος ἐκ μόνου,
Θεὸς ἐκ Θεοῦ .... Υἱὸς ἀληθινὸς ἀλη-
θινοῦ πατρὸς· ἀόρατος ἀοράτου, καὶ
ἄφθαρτος ἀφθάρτου .... Καὶ ἓν πνεῦ-
μα ἅγιον .... εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου
τελεία.. .Τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιό-
τητι, καὶ βασιλείᾳ, μὴ περιζομένη,
μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. Vid. s. Gre-
gor. Nyssen. in *Vita s. Gregorii Thau-
maturgi*, pag. 546, tom. III, opp.
edit. Morelli, Paris. 1638, qui refert
hoc symbolum, manu ipsius exara-
tum, in ecclesia Neocaesariensi as-
servari, et ad plebis instructionem
quotidiano usu celebrari. Cfr. annot.
Ernesti Grabe ad *Defens. fidei Ni-*

Et haec sufficiant; ex quibus discimus 1. quaenam fuerit germana fides ecclesiae tribus prioribus ecclesiae saeculis circa mysterium ss. Trinitatis; 2. hanc fidem ab apostolis ad ecclesias traditione pervenisse.

105. 3. Martyrum confessiones non minus illustre documentum suppeditant fidei de ss. Trinitate receptae in universa ecclesia. Omissis igitur quae expresse et directe spectant ad divinitatem Filii, de qua inferius, in actis martyrum Lugdunensium, qui passi sunt anno 17 Marci Aurelii, legimus s. Epipodium haec verba protulisse coram praeside, qui os martyris elidi pugnorum ictibus jusserat: *Christum cum Patre ac Spiritu Sancto Deum esse confiteor*. Similia leguntur in actis s. Polycarpi, de quo s. Irenaeus ait: *Non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ex eis, qui Dominum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus. Hic docuit semper, quae ab Apostolis didicerat, quae et Ecclesia tradidit, et sola sunt vera*; hic, inquam, in oratione, quam ante martyrium fudit, haec habet: *Propterea et de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu Sancto gloria nunc et in futura saecula saeculorum, amen* (1). In his profecto absque ambagibus absoluta confessio habetur et trium personarum distincta commemoratio in una divina essentia subsistentium. Quid ad haec unitarii et rationalistae cum suis metaphoris et platonicismo?

106. 4. Testes praeterea sunt fidei nostrae ipsi eccle-

caenae Georgii Bulli, in sect. 2, cap. 12, § 4. Huic addi potest symbolum, quod extat in *Constitutionibus apostolicis*, lib. VII, cap. 41, apud Cotelerium, loc. cit.

(1) Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων σὲ αἰνῶ, σὲ εὐλογῶ, σὲ δοξάζω, διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀγαπητοῦ σοῦ παιδός· δι οὗ σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα, καὶ νῦν, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, ἀμήν. Apud Euseb. *Hist. eccles.* lib. IV, cap. 15. Cfr. Maran. op. cit. lib. II, cap. 4; et Ruinart, *Acta martyrum sincera*, pag. 43 edit. Amstelod. 1713.

siae infensissimi hostes; haereticos in primis dico, qui tribus religionis christianae saeculis ab ecclesia expulsi sunt. Hos in duas classes dispertior: in eos nempe, qui intemeratam cum ecclesia catholica fidem de Trinitate servarunt, et in eos, qui eam adorti sunt. Jam vero in priorum censum veniunt nazaraei, quorum secta antiquissima est et apostolis coaeva, nec non docetae et phantasiastae ac gnosticorum quamplures sectae. Ad alteram classem refero ebionitas, cerinthianos, Theodotum coriarium, carpocratianos, gnosticos reliquos, Pauli Samosateni asseclas, sabellianos.

107. Jam vero primae classis haereticos recte sensisse de Trinitate ac divinitate Filii produnt omnes antiqui scriptores, qui eorum errores recensent. De nazaraeis, praeter Justinum, Hieronymum et Augustinum, qui testantur eos recte de divinitate Christi sensisse, et hoc nomine praesertim distingui ab ebionitis (1), testis est locupletissimus auctor Recognitionum et Homiliarum, quae sub nomine Clementis Romani proferuntur et quarum jam meminit Origenes (2). Hic igitur auctor, qui erat ex nazaraeis (3), his verbis docet unum et eumdem cultum ss. Trinitati adhibendum esse: *Ad te enim pertinet aeterna gloria, laus Patri et Filio et Spiritui Sancto in omnia saecula, Amen* (4); item baptismum conferri *ter beata invocatione*, nempe trium divinarum personarum, ut liquet ex verbis nuper citatis; tum ex iis, quae alibi idem auctor scribit: *Ad ultimum autem*, inquit Pe-

(1) Cfr. *Dissertatio* VII *Damascenica* doctissimi P. Le Quien, qui copiosissime prae ceteris egit de nazaraeis, ubi in antecessum confutatus est Moshemius, qui in *Institutionibus historiae christianae antiquioris*, Helmstadii 1737, nonnisi ante saeculum IV eos extitisse autumat.

(2) Tom. III, in Genes. *Philocaliae* cap. 22, et in Matth. XXVI, 6, quod quidem eorum antiquitatem demonstrat. Scripti censentur hi libri saeculo II exeunte, ac post annum 170.

(3) Cfr. Maran. lib. II, cap. VII, §. 4.

(4) Hom. III, cap. 72. Σοῦ γάρ ἐστιν δόξα αἰώνιος, ὑμνὸς πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς σύμπαντας αἰῶνας, ἀμήν. Apud Cotelerium, loc. cit.

trus, *admonui eos, ut, priusquam progrederemur ad gentes praedicare eis agnitionem Dei Patris, ipsi reconciliarentur Deo, suscipientes Filium ejus. Aliter enim nullo modo eos ostendi posse salvari, nisi per Spiritus Sancti gratiam trinae invocationis dilui baptismate properarent* (1). Docetas autem et phantasiastas ac alias gnosticorum sectas solam detraxisse Christo humanam naturam, quod hanc Deo indignam putarent, testes sunt Irenaeus (2), Clemens Alex. (3), Tertullianus (4), Origenes (5), Pamphilus in apologia ipsius Origenis (6), Novatianus (7), ut ceteros recentiores praetermittam; ergo haeretici isti omnes praeter Patrem aliam agnoscebant in Deo personam. Sed eos praeterea Trinitatem agnovisse et admisisse nobis concedunt ipsi unitarii, qui viderunt hos haereticos sibi non favere, et qui principes esse volunt nescio cujus Trinitatis allegorice fingendae (8). Cum autem, ut alibi a nobis observatum est (9), haere-

(1) Ibid. cum dissertatione cit. Guillelmi Beveregii *De trina immersione.*

(2) *Adv. haeres.* lib. III, capp. 17 et 18, edit. Massueti.

(3) *Paedag.* lib. II, cap. 8.

(4) In lib. *Cont. Marcionem.*

(5) *In Joan.* pag. 165, tom. IV, edit. Delarue, Paris. 1759.

(6) In *Bibl. Patrum* Gallandi, tom. IV, pag. 23 et seqq.

(7) Libro *De Trin.* cap. 18.

(8) Cfr. Maran, lib. II, cap. 8. Etenim auctor *Irenici irenicorum* Simonis nugas Justino fucum fecisse declarat. Sic auctor *Platonismi retecti* fatetur gnosticis Verbum praeexistens placuisse (p. 25), alibi vero (nempe p. 74) cerinthianis hunc platonicismum adscribit, postea vero (p. 379) eum adscribit Marco, aiens: « Valentinianus Marcus, ut discimus ex lib. I Irenaei, cap. 12, auctor est allegoricae de Jesu Christi conceptione interpretationis, id est, primus eam ad sensum contemplationis et mysterii extulit ». Si quidem isti nesciunt, ubi pedem figant atque consistant. Ceterum haereticos istos omnes, non secus ac valentinianos, ipsosque manichaeos, ostendit Maran loc. cit. recte de divinitate Verbi sensisse, ac solum circa humanitatem Christi errasse. His si addatur, Praxeam ejusque asseclas accusasse catholicos tritheismi, eo quod ipsi tres personas distinctas colerent, teste Tertulliano *Contra* ipsum *Praxeam*, cap. 3, scribente: « Duos et tres jam jactitant a nobis (catholicis) praedicari, se vero unius Dei cultores praesumunt; quasi non et unitas, etc. » habetur ineluctabile testimonium receptae apud catholicos fidei de unitate naturae divinae et trinitate personarum; ut enim ibidem explicat Tertullianus cap. 2: « Tres sunt unius substantiae et unius status et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo (tres) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti deputantur ».

(9) Tract. *De vera relig.* part. II. proposit. 5, n. 96, tom. I, p. 248.

, in quibus nobiscum consentiunt, nonnisi ab ec-
ı qua vel discesserunt vel expulsi sunt, mutuati
totidem testes sunt fidei, quae obtinebat in ec-
ı aetate, in qua ab ea divisi sunt. Divisi porro
rique ex recensitis haereticis ab ecclesia catholica
ipsis apostolis vel paulo post; ergo.

Nunc facile est idem concludere ex illis haereti-
apostolicam fidem de Trinitate labefactare ac cor-
nisi sunt. Ex his tria habemus: 1. quod eam
dem fuerint, quae in ecclesia obtinebat; alias
nime impugnassent, neque ut haeretici et nova-
ssent ab eadem expulsi; 2. quod adeo firma es-
niversalis antiqua illa fides, ut nullos ferme se-
nacti fuerint harum haereseon architecti, et vix
fecerint, vel in tenebris delituerint (1); 3. quod
mpugnatores ipsis opposuerint perpetuam contra-
ıditionem et consensum omnium ecclesiarum, ita
detegerentur ipsorum errores, ipsi nonnisi clan-
t inter verborum ambages eos proponerent (2).

enim ebionei ab initio ex
divinitatem Christi nega-
ı omnino, quique nume-
nt, et sic permansissent,
lem eamdem impietatem
nt Paulus Samosatenus a-
ıri haeretici, qui vix no-
ıisi Arius, ut videbimus,
is suis totum iterum tur-
stianum orbem. Certe cum
mosatenus novitates suas
, patres concilii Antioche-
tatur Eusebius, *Hist. ec-*
vi, cap. 30, scripserunt
provincias, et antequam
r, sex episcopi conati sunt
sis eum ab errore revoca-
epistola sic de omnium ec-
consensu gloriantur: *Om-*
riae Catholicae nobiscum
t. Et haec quidem saecu-

loratum est haereticos et
novatores omnes quovis tempore, et-
si novitatem in doctrina inducere ten-
tarent vel tentent, affectasse tamen
atque affectare similitudinem sermo-
nis, qui obtinet in ecclesia catholi-
ca, ne, si aperte traderent novitates
suas, statim, in ipso exordio catho-
licorum impetu opprimerentur. Hoc
vero factum praecise etiam novimus
ab haereticis antiquis, doctrinam de
divinitate Christi vel Spiritus Sancti
labefactare tentantibus. Errores enim
suos quibusdam veluti integumentis
obvolvebant, tum ut episcopos et pres-
byteros laterent, tum ut imperitis
venenum suum callide propinarent:
« Et propter hoc, *inquit presbyter*
apostolorum discipulus, *apud Ire-*
naeum. lib. IV, *cap.* 32, hi, qui alienas
doctrinas inferunt, abscondunt a no-
bis, quam habent de Deo sententiam,
ne victi salvari periclitentur ». Quam-
obrem recte concludit Maran. lib.

Sectae igitur omnes antiquae, sive illae, quae intactam ss. Trinitatis fidem retinuerunt, sive illae, quae contra ipsam insurrexerunt, totidem testes sunt fidei, quam a Christo et ab apostolis ecclesia catholica incolumem servavit usque ad Nicaenam synodum, quaeque a Nicaena synodo ad nos usque pervenit de tribus divinis ac distinctis personis in eadem essentiae unitate.

109. 5. Sed testes praeterea sunt ipsi judaei et pagani. Etenim semper in eo controversiae cardo fuit inter Christianos et inter judaeos et paganos, quod judaeis fuerit scandalum praedicatio Dei crucifixi, gentibus autem stultitia, ut patet ex epistola, quam adversus judaeos scripsit Barnabas, seu saltem antiquissimus auctor sub ejus nomine; ex dialogo s. Justini cum Tryphone, qui hoc perpetuo objicit; ex difficultatibus, quas promovet in persona judaei Celsus apud Origenem lib. II, contra ipsum. Quod spectat ad ethnicos, patet ex disputationibus Arnobii, Cypriani, Tertulliani, Lactantii, etc. adversus eosdem; ex irrisionibus et exprobrationibus praesidum, dum martyres ab hac insania, ut ipsi vocabant, retrahere adniterentur. Sed praeclarissimum documentum communis hujus fidei inter christianos illud est, quod exhibet Lucianus, seu quivis alius est auctor dialogi, qui *Philopatris* inscribitur (1); hic enim christianorum mysteria et catechumenorum instituendorum rationem satis apte describit. In hoc porro inducitur Critias jurans per varios ethnicorum Deos, quos respuens Triephon, vult ut Critias ju-

II, cap. 5, §. 4: Testes sunt ipsi haeretici doctrinam apostolicam, quae ab eis nefarie violata fuerat, omnibus catholicis, sive doctis sive indoctis, ratam et exploratam esse.

(1) De auctore hujus dialogi magna est inter eruditos controversia. Sunt enim qui eum Luciano anteriorem faciunt; alii eum protrahunt usque ad aetatem Juliani imperatoris, futilibus, ut nobis videtur, conjecturis ducti, sicut Gesnerus in dissertatione mox citanda. Alii volunt auctorem hujus dialogi esse ipsum Lucianum. Cfr. *Dissertatio Matthiae Gesneri, de aetate et auctore dialogi Lucianaei, qui* Philopatris, *inscribitur*, ad calcem vol. IX, opp. Luciani, edit. Joan. Theoph. Lehmann, Lipsiae 1831.

vet per *Deum alte regnantem*, *magnum*, *immortalem*, *Filium Patris*, *Spiritum ex Patre procedentem*, *unum ex tribus et ex uno tria* (1). *Haec tu Jovem puta*, *hunc existima Deum* (2). Quibus verbis apertissime continetur christianorum fides de tribus personis distinctis, in eadem divina essentia subsistentibus, et per quam ab ethnicis ipsi discrepabant.

110. 6. Testes sunt, pâtres singillatim sumpti. Cum vero contendant unitarii Justinum Martyrem, utpote Platonis institutis enutritum, omnium primum hanc personarum Trinitatem in ecclesiam intulisse ac omnes infecisse (3), ut ostendamus eos impudentissime esse mentitos, patres et scriptores in medium afferemus Justino anteriores. Anterior itaque Justino est auctor epistolae s. Barnabae inscriptae; hic porro Christum vocat *Dominum orbis terrarum*, *cui dicit Deus ante constitutionem mundi*: *Faciamus hominem*, etc. (4); et rursum affirmat: *Deum non venisse vocare secundum personam*, *sed super quos Spiritum praeparaverat* (5); en igitur tres personas: Patrem, qui dixit Filio *faciamus*, et Filium, *vocantem eos*, *super quos Spiritum Sanctum praeparaverat*, et quidem consubstantiales, cum Filium Dominum seu Deum vocet subsistentem in sinu Patris, et

(1) Ethnico homini haec permittenda et irrisori christianorum. Ceterum catholici non dicunt *tria*, sed *tres*.

(2) Ὑψιμέδοντα θεόν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα,
Υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον,
Ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία,
Ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν.
n. 12, pag. 232 cit. edit. Alia testimonia judaeorum et ethnicorum vid. apud Maran. lib. II, cap. 2.

(3) Ita quidem auctor *Platonismi refecti*; Steph. Curcellaeus in *Quatern. diss.*; Clericus, op. cit., aliique passim sociniani, quibus assentiuntur rationalistae, ut Wegscheider, §. 88.

(4) Capite 5. Cfr. de hoc testimonio Georgii Bulli *Defensio fidei Nicaenae*, sect. I, cap. II, §. 2, vol. in fol. Lond. 1703, cum annotatis Joan. Ernesti Grabe, ubi plura alia ex eadem epistola in rem nostram testimonia proferuntur.

(5) Capite XIX. Sic in greco textu haec verba sonant: Ὅτι ἦλθεν οὐκ ἐπὶ πρόσωπον καλέσαι, ἀλλ' οὓς τὸ πνεῦμα ἡτοίμασε. In nonnullis enim hujus epistolae partibus originalis textus desideratur, nec superest nisi versio.

Spiritum Sanctum, *praeparatum* seu missum a Filio. Anterior Justino est Hermas, qui dicit: *Filium Dei omni creatura antiquiorem esse, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam*; et paulo infra meminit Spiritus Sancti, subdens: *Qui crediderunt Deo per Filium ejus, induti sunt Spiritum hunc* (1). Anteivit Justinum s. Clemens Romanus, qui *Vivit*, inquit, *Deus et Dominus J. C. et Spiritus Sanctus* (2); tum: *Beatus vir, qui cognoscit Patris donum per processionem sanctissimi Spiritus* (3); qui rursum in epistola I. ad Corinthios, cap. II, meminit passionis Dei et effusionis Spiritus Sancti. Praecessit s. Justinum s. Polycarpus, cujus loculentissimum testimonium de ss. Trinitate superius posuimus; praecessit s. Ignatius Martyr, qui in epistola ad Magnesianos: scribit *Studete igitur, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum... in Filio et Patre et Spiritu Sancto* (4); et rursum: *Subjecti estote episcopo et vobis muluo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui* (5). Anteriora sunt s. Justino acta martyrii ipsius s. Ignatii, quae clauduntur hac ratione: *Cursum perfecit* (Ignatius) *in Christo Jesu D. N., per quem et cum quo Patri gloria et potentia cum Sancto Spiritu in saecula. Amen* (6). Quibus profecto non poterat clarius dogma adstrui ss. Trinitatis.

(1) Lib. III, simil. IX, cap. XII et XIII, in *Bibliot. Patrum min.* Gallandi tom. I.

(2) Ζῇ ὁ Θεός, καὶ ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. s. Basil. lib. *De Spiritu Sancto*, cap. 29, n. 72, pag. 61, tom III, opp. edit. Maurin.

(3) Μακάριος ἀνὴρ ὁ γινώσκων τὴν τοῦ πατρὸς δόσιν δι' ἐκπορεύσεως τοῦ παναγίου πνεύματος. Inter fragmenta in *Bibliot. Patrum* Galland. pag. 44, tom. I.

(4) Cap. XIII. Σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ κυρίου, καὶ τῶν ἀποστόλων.... ἐν υἱῷ καὶ πατρὶ καὶ ἐν πνεύματι.

(5) Ibid. Ὑποτάγητε τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ ἀλλήλοις, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ κατὰ σάρκα, καὶ οἱ ἀπόστολοι τῷ Χριστῷ καὶ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πνεύματι.

(6) Cap. VII. Τελειώσαντι δρόμον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ τῷ πατρὶ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς αἰῶνας. Ἀμήν.

111. His accedit auctor carminum sibyllinorum, quae citantur a s. Justino. Porro vetustissimus ille scriptor lib. VII haec scribit:

Potens genitus est Verbum Patri, et Spiritu Sancto
Carnem indutus; cito evolavit in Patris domos (1).

112. Demum, ceteris omissis, impudentiam unitariorum frangit ipse s. Justinus, qui narrat se a sene presbytero, cui acceptam refert conversionem suam, didicisse Spiritum Sanctum regiam mentem esse, qua anima humana non exornata Deum videre non potest, tum Christum verum et aeternum esse Dei Filium a prophetis denunciatum una cum Patre invocandum (2).

113. 7. Demum testes hujus veritatis, vel inviti, sunt ipsi unitarii ac rationalistae sua ipsa agendi ratione; nam in primis nobis dant a Nicaenae synodi aetate universam ecclesiam pervasisse doctrinam de ss. Trinitate; cum autem perspicua a catholicis adducta essent documenta fidei nostrae synodo Nicaena anteriora, confugerunt ad Justinum Martyrem, eumque primum hujus dogmatis auctorem ex praeconcepto platonismo affirmarunt; cum tamen adhuc luculenta sint documenta Justino antiquiora, recurrerunt ad nescio quam Trinitatem ab ebionitis allegorice excogitatam; sed neque hic consistere potuerunt, opponentibus catholicis documenta virorum apostolicorum, qui maxime ebionitas exagitarunt; tandem deposita larva tradere non erubuerunt apostolum Joannem aliosque scriptores sacros ex Platone vel saltem ex hebraïca cabalistica doctrina didicisse dogma istud, ac praeconceptas opiniones suas Christi effatis affinxisse (3). Ergo no-

(1) Αὐθέντης γένετο λόγῳ πατρὸς (vel ut corrigit Maran γεννᾶτο λόγος πατρὶ) πνεῦματι δ' ἁγίῳ Σῶμάτε δυσάμενος ταχὺς ἔπτατο πατρὸς ἐς οἴκους. Plura alia ibidem videantur testimonia, quae in eamdem doctrinam conspirant, lib. II, cap. I, § 5.

(2) Vid. *Dial. cum Tryph.* a num. IV ad VII.

(3) Ne haec exaggerata atque amplificata videantur, proferam nonnulla testimonia, ex quibus perversa istorum rationalistarum sentiendi ratio omnibus palam fiat. Sic igitur scribit Wegscheider, § 83: « Joannes quidem, postquam alexandrine-

bis dant ab apostolis usque ad Justinum Martyrem, a Justino usque ad Nicaenam synodum, a Nicaena synodo usque ad nos profluxisse doctrinam de una divina essentia ac Trinitate personarum. Nunc restat inquirendum, an socinianorum ac rationalistarum commentis majorem fidem adhibere debeamus quam universae ecclesiae, quam toti antiquitati sacrae et profanae, juxta dicta, quam ipsis apostolis et evangelistis. Ferant ipsi sententiam.

DIFFICULTATES

114. 1. Obj. 1. Patribus apostolicis, qui quidem sicut plerique prioris aevi christiani Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum profitebantur, dogma illud de Trinitate plane ignotum fuit. 2. Sed jam inde ab ipsis rei chri-

rum Judaeorum quibusdam philosophematibus, quorum vestigia in ipso Veteri Testamento atque apocryphis exstant, imbutus erat, magistri summe admirandi virtutem ex oculis sublatam sublimioribus phantasiae imaginibus sic exornavit, etc. » Huic praeiverat Gottlob Paulus, *Comment.* IV, pag. 8 et seqq.; Eichhorn, *Einleitung in das N. T.*, seu *Introductio in libros N. T.* tom. II, p. 158 et seqq.; Berthold. I, *Christologia Judaeorum* p. 104 et seqq. et Kuinoel in *Comment. in lib. N. T. hist.* tom. III, pag. 63 et seqq., quibus ideae λόγου a Philone et a Joanne adumbratae, si non plane easdem, simillimas tamen, substratas fuisse notiones, ex eodemque Veteri Testamento et librorum apocryphorum fonte profectas, plurimis jam probatum est. Rursum Wegscheider, § 85: « Luce clarius patescit, scriptores sacros sancta quadam magistri reverentia commotos esse, ut ad summam ejus virtutem atque excellentiam commendandam, ex Judaeorum et alexandrinorum et palestinensium de virtutibus, seu viribus quibusdam divinis, sub personarum specie cogitatis..,. in Jesum transferrent, quaeque pro suo quisque ingenii scientiae et phantasiae modulo aptissima duxisset, etc. » Sic Baumgarten-Crusius, *Bibl. theol.* pag. 382. inquit: « Diversitas notionis seu ideae (quae nempe in Apostolis reperitur), dum tamen eadem in ipsis viguerit persuasio excellentiae Christi, jam ostendit, Apostolos nec intendisse, nec potestate fuisse donatos hac in re dogma aliquod proponendi ». Dum haec leguntur in profanis istis hominibus, statim mentem subeunt, quae s. Irenaeus, *Cont. haeres.* lib. III, cap. 12, n. 12, de antiquis haereticis scribit, quaeque apprime quadrant in haereticos nostri temporis, siquidem idem spiritus omnium haereticorum est, ac praesertim in eos, quos recensuimus, rationalistas: « Putaverunt, *inquit s. Doctor*, semetipsos plus invenisse, quam Apostoli..... et Apostolos quidem adhuc quae sunt Judaeorum sentientes annuntiasse evangelium, se autem sinceriores et prudentiores Apostolis esse ».

ianae primordiis alii Jesum pro homine tantum eximio ıbuere, quorum in numero sunt ebionitae, cosque se- ıti Theodotus Byzantius et Artemon; alii, docetismum aeseferentes (cfr. Joan. IV, 2; II Joan. 7), uti gno- ici, qui ad cabalistarum de *emanatione* quadam virium vinarum sententias accessissent, aeonem, scilicet vim ıamdam, quae a divina natura promanasset, cum Je- ı conjunctam fuisse statuere (1). Ergo.

115. Resp. ad 1. *D.* Ignota erat *terminologia* hujus ›gmatis, *Tr.* dogma ipsum *N.* Voces *naturae*, *perso- ze*, *Trinitatis*, etc. serius fortasse inductae sunt, quod ›n abnuimus; neque adhibitae ab ecclesia, neque in ıum adscitae a patribus, nisi cogentibus haereticis, qui ınfusione verborum summopere delectantur ad facilius as novitates ac impietates propinandas; ast ex hoc in- rre non licet incognitum fuisse dogma ipsum, cum, adversarius fatetur, patres apostolici ac plerique prio- ; aevi christiani professi fuerint Deum Patrem et Fi- ım et Spiritum Sanctum, quos certo ut Deum habue- ınt, distinxerunt tamen Filium a Patre, et Spiritum ınctum ab utroque, non multiplicando divinitatem, in ›c vero praecise dogma consistit. Ex ignoratione autem rminorum seu vocum, concludere ignorationem rei, ;rinde esset ac concludere quempiam ignorare existen- ım Petri ex. gr. ac Pauli, ex eo quod eorum nomina ;noret. En dialecticam rationalistarum, qui apicem sa- ;entiae attigerunt, prae quibus ceteri omnes plebs ac ›pulus sunt (2).

(1) Ita Wegscheider, § 88.

(2) Apposite s. August. *De Trin.* ·. VII, cap. 4, n. 7: « Loquendi usa, *inquit*, de ineffabilibus, ut ri aliquo modo possemus, quod ef- ri nullo modo possumus, dictum est nostris graecis una essentia, tres hsistentiae; a latinis autem una sentia vel substantia, tres perso- nae... et dum intelligatur, saltem in aenigmate, quod dicitur, placuit ita dici, ut diceretur aliquid, cum quae- reretur, quid tria sint, quae tria es- se fides vera pronunciat, cum et Pa- trem non dicit esse Filium et Spiri- tum Sanctum, quod est donum Dei, nec Patrem dicit esse nec Filium »; et num. 9: « Quid igitur restat, nisi

116. Ad 2. *D.* Et ideo quia recederent a recepta ecclesiae fide damnati sunt et ab ecclesia expulsi, *C.* quasi dubia esset vera ecclesiae fides *N.* Eadem nempe ratione peccat adversarii nostri ratiocinium, qua peccaret argumentatio illius, qui inferret incertum in ecclesia esse, utrum adulteria aliaque infanda facinora honesta sint nec ne, ex eo, quod aliqui methodistae et fanatici negaverint ea esse inhonesta. Addo praeterea memoratos haereticos non errasse directe contra Trinitatis dogma, sed potius contra divinitatem Christi Jesu, eo quod negarent Filium Dei assumpsisse in unitate personae humanitatem, et contenderent illum huic non fuisse conjunctum nisi in baptismate, vel quacumque alia ratione sua commenta exponerent. Id patet ex patribus, qui eos impugnarunt (1), et ex iis quae nos exposuimus in probationibus; neque adversarius diffitetur, ut ex allatis ejus verbis non obscure deprehenditur, etsi illorum theoriam non satis apte ac fideliter exponat (2).

117. II. Obj. 1. Sententia vindicans Filio et Spiritui Sancto hypostasin, qui tamen Patri subessent, praeeuntibus Justino Martyre et Theophilo Antiocheno, qui Verbum, seu λόγον ἐνδιάθετον et προφορικόν (*immanens* et *prolatitium*) distinguit, Irenaeo, Clemente Alex., doctrinae de *emanatione* Verbi et Spiritus Sancti auctore, praevaluit. 2. Hae namque duae sententiae praecipue aevo ante-nicaeno per ecclesiam maxime propagatae cernuntur. Doctrina autem de Trinitate hypostaseon a Tertulliano potissimum amplificata atque exornata est, et ab Origene, qui notionem generationis aeternae proposuit, itemque a

ut fateamur loquendi necessitate parta haec vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores haereticorum? » Quod quidem ibidem et cap. 6, n. 11, pluribus exemplis confirmat.

(1) Cfr. Petav. *De Incarnatione*, lib. VII, capp. 2 et 3.

(2) Cfr. Maran. op. cit. lib. 2, a cap. 7 ad cap. 13, ubi fuse ostendit sectas omnes totidem testes esse receptae in universa ecclesia catholica fidei de mysterio ss. Trinitatis.

, episcopo Romano, qui consubstantialitatem Fi-
cet substantiam Filii eamdem esse cum substan-
, ejusque subsistentiam in Patre defendisse, pro-
ad sententiam formulae orthodoxae postea defini-
ssisse perhibentur (1). 3. Ceterum formulam hanc
receptam neque scriptores sacri diserte tradide-
que ecclesiae doctores affinxerunt ante saeculi III.
4. quo quidem tempore ad *paganismi* errores su-
s procliviorem fuisse ecclesiam constat (2). Ergo.
Resp. ad 1. *Neg.* Hoc est gratuitum mendacium.
trarium ostendimus in probationibus, quas ab ae-
stolica deduximus usque ad ss. Justinum et Theo-
3). Restat praeterea explicandum adversariis, quî

scheider, loc. cit.

§ 97.

et, ad pleniorem ratio-
confutationem, verba hic
quibus s. Irenaeus testa-
iam Trinitatis ab univer-
receptam saeculis eccle-
1 ab apostolis: Ἡ μὲν ἐκ-
αίπερ καθ' ὅλης τῆ οἰκου-
περάτων τῆς γῆς διεσπαρ-
ά δὲ τῶν Ἀποστόλων, καὶ
ν μαθητῶν παραλαβοῦσα
Θεὸν, Πατέρα παντοκρά-
. καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰη-
υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν σαρ-
ἐρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας·
εῦμα ἅγιον, τὸ διὰ τῶν
εκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας,
λεύσεις .... Τοῦτο τὸ κη-
ειληφυῖα, καὶ ταύτην τὴν
: προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία,
λῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη,
φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον
εἰ ὁμοίως πιστεύει τούτοις,
υχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχου-
, καὶ συμφώνως ταῦτα
καὶ διδάσκει, καὶ παρα-
ς ἓν στόμα κεκτημένη. Καὶ
τὰ τὸν κόσμον διάλεκτοι
ἀλλ' ἡ δύναμις τῆς πα-
ία καὶ ἡ αὐτή. Καὶ οὔτε
κνίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι
ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως πα-
ραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις,
οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνα-
τολὰς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν
Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κο-
σμου ἱδρυμέναι· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἥλιος,
τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κό-
σμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτος· οὕτω καὶ τὸ
κηρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῇ φαί-
νει, καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους
τοὺς βουλομενους εἰς ἐπίγνωσιν ἀλη-
θείας ἐλθεῖν. Id est, « Etenim ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem... et in unum Jesum Christum Filium Dei, nostrae salutis causa incarnatum, et in Spiritum Sanctum, qui per prophetas Dei dispensationes et adventus praedicavit... hanc praedicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loque-

factum fuerit, ut nemo catholicorum restiterit Justino et Theophilo, restiterint autem Praxeae, Noëto, Sabellio, Paulo Samosateno et Beryllo Bostrensi personas confundentibus. Nos facile id explicamus, quod nempe primi tradiderint doctrinam in ecclesia receptam, alii innovaverint.

119. Irenaeus autem, Clemens Alex. ac Tertullianus ideo clarius et novis formulis expresserunt vetus dogma, quod impugnaverint novatores ejusdem dogmatis hostes, ut fit. Idem dicatur de Dionysio Romano, qui se opposuit Paulo Samosateno, eumque damnavit, prout jam damnatus fuerat a synodo Alexandrina, aliisque duabus synodis Antiochenis, adversus alias impietates ac novitates coactis (1).

120. Ad 2. *Neg.* doctrinam, seu sententiam patripassianorum unquam *per ecclesiam* propagatam cerni. Vix exorta est ac vix innotuit haec haeresis, quum undique contra ipsam conclamatum est. Et en fraudem delicati nostri rationalistae, qui in eodem censu collocat doctrinam catholicam et doctrinam illorum nebulonum, quasi eadem utriusque ratio fuerit.

121. Ad 3. *D.* Scriptores sacri formulam Trinitatis diserte non tradiderunt, neque ecclesiae doctores affinxerunt ante saeculi III. exitum quoad sonum materialem, si sermo sit de scripturis sacris, *C.* si de ecclesiae doctoribus *Tr.* (2); non tradiderunt rem postea formula il-

lae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae, quae in Hiberis, neque hae, quae in Celtis, neque hae, quae in Oriente, neque hae, quae in Aegypto, neque hae, quae in Lybia, neque hae, quae in medio mundi constitutae (Hierosolymitana scilicet aliaeque in Palaestina constitutae juxta veterem christianorum opinionem); sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic praedicatio veritatis ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire ». Sic contra veteres haereticos Irenaeus, lib. 1, cap. 10, p. 48, edit. cit.

(1) Vid. *Collect. concil.* Labbei, tom. 1, col. 827, tum etiam col. 831 et 832.

(2) Transmisimus quod dicitur vocem *Trinitatis* non ante saeculum III usurpatam fuisse. Verum quidem est

la expressam *N*. Controversia autem non est de verbis, nec verba materialiter in se spectata sunt objectum fidei nostrae, sed res per verba expressa; dum igitur constat de re et sensu, quid refert si formula serius inducta fuerit?

122. Ad 4. *Neg.* suppositum. Ridiculum sane est dicere ecclesiam procliviorem fuisse ad paganismi errores suscipiendos ad finem saeculi III, quando innumeri ex ipsius filiis, ne se contaminarent paganismi erroribus, inter acerbissimos cruciatus sanguinem et vitam profundebant (1). Ridiculum praeterea est ex eo, quod nova formula introducta fuerit ad rem antiquam magis expresse enunciandam, concludere id factum esse ex proclivitate ad errores paganismi. Hoc est transire de genere in genus.

123. III. Obj. Plura suadent ab ecclesiae primordiis incognita fuisse non solum formulam, sed et dogma ipsum Trinitatis. Nam 1. Tertullianus, saeculo II. exeunte, de Dei Trinitate quamdam doctrinam plurimis novam et heterodoxam visam esse profitetur (*Adversus Praxeam*,

hanc vocem primum occurrere apud Theophilum Antiochenum saeculi III scriptorem; sed non inde inferri potest vel debet hanc vocem illum omnium primum induxisse, eo magis quod ipse eam non ut novam proferat, sed tanquam usu receptam ac tritam. Ex hoc ad summum deduci posset, primum documentum, in quo haec vox occurrit, pertinere ad saeculum III. Dixi *ad summum*; nemo enim est qui nesciat hanc vocem occurrere in actis s. Andreae apostoli, conscriptis, ut fertur, a presbyteris Achaiae saec. I vel II. In his vero, cap. II, legitur: Εἰρήνη ὑμῖν καὶ πᾶσιν τοῖς πιστεύουσιν εἰς ἕνα Θεὸν τέλειον ἐν Τριάδι, ἀληθῆ πατέρα, γεννήτορα, ἀληθῆ υἱόν μονογενῆ, ἀληθὲς πνεῦμα ἅγιον ἐκπορευόμενον ἐκ πατρός, καὶ ἐν υἱῷ διαμένον. Id est, « Pax vobis et omnibus, qui credunt in unum Deum perfectum *in Trinitate*, verum Patrem qui genuit, verum Filium unigenitum, verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et in Filio permanentem ». Haud ignoro ejusmodi acta passim rejici ab eruditis tanquam supposititia; verum et illud scio, ea ab aliis eruditis adhuc ut sincera defendi, nec solum a catholicis, sed et ab ipsis Protestantibus, Cfr. Galland. *Bibliot. Patrum*, tom. I, proleg. cap. 4. Illud certum est, ea esse monumentum antiquissimum, pertingens saltem ad saeculum IV.

(1) Spectat huc quod Faustus Manichaeus objiciebat catholicis, eos vertisse idola gentium in martyres, quos votis similibus colerent. Sed de hac accusatione, ex qua luculenter patet antiquitas cultus Sanctorum in ecclesia catholica, nempe saeculo III, suo loco agemus.

lib. I, cap. 3): *Simplices quique*, scribit, *ne dixerim imprudentes et idictae, quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis saeculi ad unicum et verum Deum transfert,.... expavescunt ad oeconomiam, numerum et dispositionem Trinitatis... itaque duos et tres jam jactitant a nobis praedicari; se vero unius Dei cultores praesumunt.* Hinc 2. factum est, ut alii Verbum ipsam Dei *rationem* dixerint, seu sapientiam in ipso existentem, prout Athenagoras in *Legatione pro Christianis*, Tatianus in *Oratione contra Graecos*, et Theophilus Antioch. lib. II *Ad Autolycum*; 3. nec nisi paulatim de Christi seu Verbi natura subtilius quaeri coeptum est, rarius vero de Spiritu Sancto, quem *plurimi* aut vim divinam aut hypostasin judicabant, a Filioque Dei non satis distinguebant, ut in primis Hermas, *Simil.* V, 4 et seqq.; Justinus Martyr. *Apolog.* I, n. 36; Theophilus, loc. cit. pag. 335; Lactantius, *Inst. divin.* lib. IV, cap. 6-9, coll. Hieronymi epist. 49 et 65. Quod si Origenes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum tres singulares censet esse hypostases, monet tamen opportune Guerike (1) Origenem diversae eas posuisse dignitatis, ejusdem vero naturae divinae. Hanc autem naturae unitatem *innuit* tantum, in primis de Spiritu Sancto, obscurius. Quare veram *precationem* (προσευχὴν) Christo non deberi ipse Origenes fusius docet libro *De oratione* (2). Ergo.

124. Resp. *N. A.* Nos enim contrarium ostendimus. Ad 1. itaque prob. *D.* Doctrina de Trinitate nova visa est et heterodoxa plurimis *haereticis*, *C.* catholicis *N.* Praefatus enim est Tertullianus, cap. II, doctrinam catholicam de Trinitate ex Scriptura et traditione praescribere novitatibus haereticorum, et loc. cit. affert argumenta patripassianorum, qui ea ratione dicebant novam

(1) *De scholae Alexandrinae catechetica theologia*, Halae 1825, p. 211.

(2) Sic Wegsch. § 88, n. *a*.

esse de Trinitate doctrinam, qua postea protestantes novam dixerunt ecclesiae catholicae doctrinam de septem sacramentis, de necessitate bonorum operum, ceterorumque articulorum, quos ipsi utpote *emendatores sacrorum* sustulerunt (1). Una semper eademque extitit vafrities haereticorum. Et hic novum habetur specimen candoris rationalistarum in seligendis auctoritatibus, quas proferunt.

125. Ad 2. *D.* Rationem dixerunt Dei, at hypostaticam et subsistentem in Patre, *C.* absque hypostasi propria *N.* Nam ipse Tertullianus in libro citato, λόγον vocat rationem Patris, sed praecise adnotat eam a Patre distingui, etsi natura idem sit cum Patre; nec alio sensu loquuntur Athenagoras, Tatianus et Theophilus, alioquin non posuissent in Deo Trinitatem, quam expresse nominat Theophilus (2).

(1) Sic enim loquitur Tertull. cap. 2, *Adv. Prax.*: « A Patre Spiritum Sanctum paracletum, Sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Hanc regulam ab initio evangelii decurrisse, etiam ante priores quosdam haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni, etc ». Poterant ne rationalistae impudentius mentiri? Ut autem magis pateat eos bona fide lectorum abuti, juvat proferre ea, quae post citata ab adversario verba immediate Tertullianus subdit: « Se vero (haeretici qui haec nobis opponunt) unius Dei cultores praesumunt, quasi vero non et unitas irrationaliter collecta (prout colligebatur a Praxea, Sabellio eorumque asseclis, qui distinctionem personarum tollebant) haeresim faciat, et Trinitas rationaliter expensa veritatem constituat, monarchiam, inquiunt, tenemus, etc ». Hinc pergit disputare adversus hos, quos vocat *monarchianos*, et quidem *vanissimos*, cap. 10; et postea semper de iisdem loquens, sub finem capitis subdit: « Potuit (Deus) Praxeam et omnes haereticos statim extinxisse; non tamen, quia potuit, extinxit. Oportebat enim et milvos esse et haereticos ». Sed notetur praeterea rationalistarum incohaerentia: paulo ante, ut vidimus ex objectione 2. loco posito, opponebant nonnisi sub saeculi III exitum inductam formulam Trinitatis, nunc nobis opponunt sub finem saeculi II Tertullianum accusatum fuisse novitatis, eo quod Trinitatem induxerit. Quomodo haec inter se componantur ipsi viderint.

(2) *Ad Autolycum*, lib. II, § 15, scribens: Ὡσαύτως καὶ αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, Id est, *Similiter tres illi dies, qui ante luminare fuerunt, imago sunt* Trinitatis, *Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiae*. Et hic obiter notetur, quod infra uberius ostendemus, a veteribus Spiritum Sanctum vocatum interdum fuisse *sapientiam*. Trinitatis vocem post Theophilum usurpatam videmus a Dionysio Alex. apud Athanasium, *De sent. Dionysii*, tom. I, pag. 255, et apud Basilium, *De*

126. Ad 3. *D.* Propter novas insurgentes haereses, *Tr.* quasi ignorarent veram Christi seu Verbi naturam *N.* Nempe in clariori lumine posuerunt quod ex Scriptura ac traditione ecclesiarumque consensu acceperant. Cujus rei veritatem factum ipsum ostendit; ut enim quaelibet haeresis adversus aliquod dogma prodibat in lucem, statim in illam omnes insurgebant. Cum vero serius divinitatem Spiritus Sancti directe aliqui impugnaverint, hinc nonnisi serius eadem ratione, qua factum est de divinitate Verbi seu Christi, in tuto seu in propatulo posuerunt divinitatem Spiritus Sancti, in quam universa semper credidit ecclesia, ut ex adductis documentis patet, et clarius adhuc ex dicendis manifestum fiet.

127. Ad 4. *Neg.* Imo nemo unus ex patribus unquam confudit Spiritus Sancti hypostasin cum hypostasi Filii. Non inprimis Hermas, qui in objecto loco non dicit Filium Dei secundum hypostasin esse Spiritum Sanctum, sed filium fundi, cujus explicatur similitudo, declarat esse Spiritum Sanctum; servum vero, seu Verbum servili forma indutum, esse Filium Dei (1). Atque hoc ipso in loco Hermas distinguit tres personas, Patrem, possessorem et Dominum fundi, Filium, cultorem fundi, et Spiritum Sanctum, filii familias personam sustinentem in fundo seu in ecclesia. Non Justinus, qui loc. cit. solum affirmat, Verbo Dei movente, sacros scriptores plura locutos fuisse, non ex persona sua, sed ex persona vel Patris, vel Christi, vel populorum, etc. Passim vero Spiritum Sanctum a Verbo s. Justinus distinguit (2). Non

Spiritu Sancto, cap. 29, opp. tom. III, pag. 61, atque a Gregorio Thaumat. eidem Dionysio coaevo, in *Expositione fidei*, et ab Origene, qui utroque antiquior est, *Comment. in Matth.* tomo XV, n. 31, edit. Maur. opp. vol. III, pag. 698, et a Clemente Alex., qui Origene vetustior est, *Stromatum*, lib. V, pag. 710, edit. Oxon. 1715.

(1) Cfr. Cotelerius, *Scripta Patrum Apostolicorum*, tom. I, pag. 105. Sed de hoc argumento iterum sermo erit, cum agemus de persona Spiritus Sancti.

(2) Attamen cfr. *Apoloq.* I, n. 6, et iterum n. 13, ubi ait; Υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντος Θεοῦ μαθόντες, καὶ ἐν ἐν

Lactantius; siquidem Lactantius in citatis capitibus nec verbum nec syllabam habet de Spiritu Sancto, de quo ibi non agit, sed solum de Filio Dei, quem Spiritum vocat, quia Deus spiritus est, et Verbum seu sermo aut λόγος de Patre procedit, ut ibi exponit idem Lactantius (1). Multo minus s. Hieronymus, qui in *Epist.* 49, edit. Maur. nihil aliud dicit, nisi Deum spiritum esse, et quod spiritus ubi vult spirat; in quo nihil est quod innuat confusionem Spiritus Sancti cum persona Filii; in alio autem loco nihil pariter ad rem, cum illa sit epistola s. Augustini ad Hieronymum de alio argumento (2). Ex his omnibus palam fit, quam infideles sint rationalistae sub illo eruditionis velamine, et quam falsa affingant antiquis scriptoribus contra expressam illorum mentem.

128. Ad Origenem quod spectat, ipse posuit tres hypostases distinctas, non *dignitate*, ut vult Guerike, sed *ordine* sive *origine*, ut omnes catholici sentiunt; nec alio sensu potuit eas hypostases distinctas ponere, eo ipso quod ejusdem eas esse naturae et essentiae affirmet, ipso Guerike fatente; non enim adeo rudis Origenes erat ut vellet ejusdem esse naturae divinas hypostases, et tamen eas diversae dignitatis assereret eo sensu quo adversarii autumant (3).

τέρα χώρα ἔχοντες, πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, id est, *Quem ipsius Dei Filium esse edocti secundo loco habemus, et tertio ordine Spiritum propheticum.* Iterum ibid. n. 61 et n. 65 et alibi. En rursum sinceram agendi rationem adversariorum!

(1) *Deus*, inquit,... *sanctum et incorruptibilem Spiritum genuit, quem Filium nuncuparet*, initio cap. 4. Judicent vero lectores, num hoc sit confundere Filium cum Spiritu Sancto.

(2). In edit. Vallarsii epist. LXV. Tempus tereremus afferendo s. Hieronymi testimonia, quae ostendant agnitam a s. Doctore in Deo trium personarum distinctionem. Celebris est ipsius epistola ad Damasum, in qua petit, utrum unam an tres hypostases in Deo dicere deberet. Orta nempe Antiochiae contentio erat ex ambiguitate et vario sensu vocis ὑποστάσεος, ut suo loco dicemus. De hac controversia vid. Natalis Alexander, diss. XXXV, in saeculum IV.

(3) Ad ostendendum Origenem aequalitatem divinarum personarum agnovisse, satis sit in medium adducere quae scribit, *In Matth.* tom. XII, n. 20, p. 539, de beneficio quod per Christum consequuntur qui baptizantur: Εἰς ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ

129. Ad id quod additur : Origenes naturae unitatem *innuit* tantum *D.* Quia res ipsi erat adversus Noëtum, confundentem tres hypostases unamque asserentem, *Tr.* quasi dubitaret, an una esset trium personarum natura *N.* Perpetuo insistebat Origenes in distinctione personarum ob haeresim tunc exortam, nunquam tamen dubitavit, an una trium personarum natura esset; sic inter cetera scribit Patrem, Filium et Spiritum Sanctum unam esse nubem, quae justos obumbrat : *Quaenam*, inquit, *lucida ea nubes et justos obumbrans? .... An paterna forte virtus est, a qua Patris vox exit? .... Forsitan vero et Spiritus Sanctus nubes lucida est? .... Quin et audacter Salvatorem nostrum lucidam esse nubem pronunciabo .... lucida quippe Patris et Filii et Spiritus Sancti nubes veros Jesu discipulos obumbrat* (1).

130. Similiter resp. ad illud quod subjungitur : veram *precationem* Christo non deberi Origenes docet. *D.* Quatenus contendebat fideles debere in precibus suis conformari praxi ecclesiae, *C.* quatenus in Christo veram non agnoverit divinitatem, *N.* Ecclesia enim consuevit tum in publica liturgia tum in aliis publicis precibus orationem et sacrificium offerre Patri, ut fonti totius divinitatis, per Pontificem summum animarum nostrarum ac mediatorem Christum. Hoc ipsum contendit Origenes praestandum esse a fidelibus omnibus ad unam eandemque orandi rationem servandam. Ceterum cum ibidem doceat Origenes fieri Filio *obsecrationem*, *postulationes* et *gra-*

τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἅπερ τρεῖς ὑπέραι εἰσὶν ἅμα ἐνεστηκυῖαι αἰωνίως τοῖς δὶ αὐτὰς υἱοῖς τοῦ φωτός. Id est, *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui quidem tres dies sunt. aeternum simul existentes his, qui per eas filii sunt lucis*, et tom. xv, n. 51, vocat ἀρχικὴν Τριάδα, *imperatricem Trinitatem. Adorandam Trinitatem*, tom. vi, *In Joan.* pag. 124, et alibi passim.

(1) Tom. xii. *In Matth.* num. 42, p. 565 : Φωτεινὴ γὰρ πατρὸς, υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος νεφέλη ἐπισκιάζει τοὺς γνησίους Ἰησοῦ μαθητάς. Cfr. etiam tom. vi. *In Joan.* n. 23, pag. 138 et Hom. xviii. *In Jerem.* n. 9, p. 251 edit. Delarue.

tiarum actiones, quae profecto uni Deo debentur, patet quaenam fuerit ejus mens (1).

PROPOSITIO IV.

Mysterium sanctissimae Trinitatis rectae rationi adversari nullo modo ostendi potest

131. Hanc propositionem adstruimus tum adversus incredulos tum adversus socinianos et rationalistas, qui cum illis causam communem faciunt, et eo nervos omnes intendunt, ut evincant Trinitatis dogma repugnantiam involvere, ideoque rectae rationi adversari. Ast perperam. Quod sic evincimus:

132. 1. Indirecte: Ex dictis certum est dogma Trinitatis a Deo revelatum esse; ergo, concludimus, impossibile est, ut rectae rationi adversetur. Deus enim sibi adversari non potest, nec proinde tradere per revelationem contrarium ei, quod nos docet per rationem, cum utriusque auctor sit.

133. 2. Directe: Nullam possunt adversarii evincere repugnantiam in dogmate Trinitatis, nisi ostendant unitati essentiae repugnare distinctos existendi modos, cujusmodi esse diximus divinas hypostases seu personas; sed hoc nunquam ostendere poterunt; 1. quia repugnantia ostendi non potest nisi per comparationem duarum idearum, quae sese invicem excludant, ex. gr. circuli et quadrati; atqui ipsi adaequatam divinae essentiae ideam non habent, neque adaequatam ideam modorum seu personalitatum, quae afficiunt divinam essentiam; ergo.... 2. quia ipsi judicium ferre non possunt nisi de iis, quae subsunt naturali rationi; atqui dogma ss. Trinitatis est

(1) Cfr. Maran. op. cit. lib. IV, cap. 16, n. 8. Verum de hoc argumento iterum instituetur sermo ex occasione canonis cujusdam africani, qui pariter objicitur.

supra naturalem rationem; ergo impossibile unitariis est ostendere mysterium ss. Trinitatis rectae rationi aliquo modo adversari.

DIFFICULTATES

134. Obj. 1. Dogmate Trinitatis ad sanae rationis principia revocato, neminem fugit *primo* omnem in Deo pluralitatem rationi aperte repugnare, 2. *deinde* quamlibet Trinitatis explicationem philosophicam, 3. sive unum subjectum et triplicem ejus rationem aut operationem, sive tria subjecta intelligendi et volendi (cfr. Matth. XXVI, 39.) facultate praedita defendat, 4. necessario abire vel in *sabellianismi* (*modalismi*) vel in *tritheismi* aut *arianismi* decreta, ab ecclesiis olim damnata. 5. Semina propterea varia hujus dogmatis, quae in libris sacris reperiuntur, explicari debent *partim* e philosophematibus quibusdam judaïcis et platonicis, quae quidem aevi incultioris indolem redolentia jam ante religionis christianae originem divulgata erant, *partim* ex pio quodam in magistrum divinum reverentiae sensu, quo imbuti sacri scriptores Jesu ipsius de messiana sua dignitate sententias exornarunt et amplificarunt (1). Ergo.

135. Ad 1. *D.* Neminem fugit omnem in Deo pluralitatem rationi aperte repugnare in divina natura vel essentia, *C.* in personis *N.* Hoc postremum ostendere deberent adversarii, quod tamen non praestant, sed mera assertione contenti sunt (2). Monotheismus, non obstante dogmate Trinitatis, semper fuit doctrinae christianae fundamentum.

136. Ad 2. *Neg.* suppositum, hic nempe inquiren-

(1) Wegsch. § 92 et 98.

(2) Sane adversarius, quem confutamus, ut evincat hanc inesse apertam repugnantiam cum sana ratione, remittit ad ea, quae scripsit § 59, at illic ne verbum quidem habet, quo ejusmodi repugnantia adstruatur. Hac ratione abutitur lectoris credulitate.

dam esse explicationem philosophicam, quae locum nullum habet in hoc dogmate, ubi non agitur nisi de sola fide, qua credere jubemur tres distingui personas subsistentes in eadem numerica essentia divina. Explicatio philosophica non adsciscitur nisi ad ostendendum in dogmate nullam inveniri repugnantiam (1).

137. Ad 3. *D.* Si pro subjecto habetur essentia divina, utique unum est, cujus una naturalis est operatio, voluntas, etc. et triplex, seu potius trina ratio subsistendi; sin vero pro subjecto habeantur personae, tunc tria subjecta in Deo inesse dicimus, et in quolibet eorum propriam esse personalem intellectionem et volitionem, quae *notionales* etiam dicuntur. Locus autem citatus ex Matth. XXVI, 39: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, solum evincit duas esse in Christo voluntates, divinam et humanam, pro utraque ipsius natura.

138. Ad 4. *Neg.* Ecclesia enim catholica, quae semper professa est dogma Trinitatis, neque in *sabellianismi* aut *modalismi*, neque in *tritheismi* aut *arianismi* decreta abivit; sed et antiquitus et nunc etiam ejusmodi decreta damnavit ac damnat. Quin potius dogma catholicum de Trinitate est sola ratio, qua possimus illis scopulis non impingi (2).

139. Ad 5. *Neg.* Sed ex doctrina ipsius Christi ejusque sensu traditionali, qualis semper in ecclesia viguit, *semina* illa explicari debent, si tamen semina et non potius expressae et apertae sententiae vocandae sunt. Neque patres neque ecclesia, multo minus scriptores sacri quidpiam e philosophematibus judaïcis aut platonicis mutuati sunt. Non est satis haec affirmare, sed praeterea osten-

(1) Recolantur superius dicta cap. 2.

(2) Cons. Petav. *De Deo*, l. b. II, capp. 3 et 4; in hoc posteriori capite § 8 et seqq. illustrat nonnullorum patrum doctrinam, qua ex distinctione divinarum personarum iidem ita deducunt summam Dei simplicitatem, ut Deus non esset summe simplex, nisi tres realiter in eo distinguerentur personae.

dere factum istud deberent rationalistae ad efficiendum quod intendunt, nec tamen probant. Contra vero haec tria explorata sunt: 1. non aliunde veteres haereses circa hoc mysterium ortas esse, quam ex eo quod voluerint earum auctores ad philosophorum placita revocare simplicitatem fidei (1); 2. veteres patres, qui passim pla-

(1) Cfr. Petav. *De Trin.* lib. 1, capp. 1, 2; ac rursum cap. 8, ubi fuse ostendit nihil plane habere commune Platonis doctrinam in illa fucata Trinitate, quam insinuat, cum dogmate christianae religionis, ac toto coelo differre; quinimo merito adstruit omnes errores, qui circa dogma Trinitatis in ecclesia profluxerunt, ex Platonis et Aristotelis commentis profluxisse, quibus magis addicti erant illi haeretici quam doctrinae a Christo traditae. Id ipsum praestitit Dominus Prud. Maran, in *Praef.* editionis opp. s. Justini, p. 1, cap. 1, ubi ostendit nec Platonem neque ejus discipulos quidpiam de Verbo, Dei Filio, suspicatos fuisse. Cfr. etiam idem auctor in opere *De Divinitate Christi*, lib. IV, cap. 1, § 8. Frustra Cudworth. *System. intellect.* cap. 4, § 36, nititur vindicare Platoni germanam de Trinitate sententiam. Quoniam vero incidimus in Trinitatem platonicam, juvat observare, adversarios nostros, qui neque in Scripturis neque in primaeva traditione inveniunt dogma de Trinitate, idem postea offendere fere apud omnes populos. Sane Ammon, *Bibliot. Theol.* tom. 1, pag. 160, ejusdem semina antiquis populis haud ignota esse perhibet. Pfanner, *Syst. theol. gent.* cap. 3, fuse disserit de Trinitate Aegyptiorum, perinde ac Iablonsky in *Pantheo Aegypt.* Sic Vogel, *Uber die Religion der alten Aegypter*, etc. seu, *De religione veterum Aegyptiorum et Graecorum*, Norimb. 1793. De Trinitate Indorum scripsit Anquetil du Perron, *Oupnekhat*, hoc est, *Decretum tegendum*, 2. vol. Argent. 1801, in 4, tom. 1, pag. 8 et seqq. Sic pariter Schlegel, *Weisheit der Indier*, seu *Sapientia Indorum*, pag. 108; Mayer, *Brahma, oder die Religion der Indier*, id est, *Brahma*, seu *religio Indorum*, quae est brahmaismus, Lipsiae 1818, pag. 37. De Trinitate platonica vidimus egisse Cudworth loc. cit. scripserunt praeterea Tiedemann, *Geist der speculative Philosophie*, seu *Spiritus speculativae philosophiae*, cap. 2, pag. 118 et seqq.; Tennemann, *De divina mente ex platonica philosophia*; in Paulus *Memorabil.* p. 1; Wundemann, *Geschichte der Christlichen Glaubens-Lehre*, id est, *Historia doctrinae christianae fidei* etc. tom. 1, pag. 186. et seqq. De Trinitate cabalistarum plura habet Eichhorn, hoc titulo: *Secreta doctrina veterum Orientalium et Hebraeorum*, Lipsiae 1805, pag. 93 et seqq et p. 165 et seqq. *Bibliot. biblicae litterat.* III, part. 2. (Hallenberg). Wundemann vero lib. 1, pag. 194 et seqq. et Stahl apud Eichhorn, *Bibl. bibl. litt.* tom. IV, pag. 814 et seqq. scripserunt super originem, quam (juxta ipsos) christianum de Trinitate dogma et Philonis de Θεῷ λόγῳ καὶ πνεύματι θείῳ, seu *De Deo Verbo et Spiritu Divino* doctrina duxerit; apud Wegscheid. l. c. Plura alia de Trinitate, quam quidam visi sunt sibi deprehendere apud ethnicos, vide in Joan. Alberti Fabricii, *Bibliographia antiquaria*, cap. 8, n. 10, pag. 337, edit. 3. Hamburg. 1760.

Ceterum Cl. Dr. Joan. A. Möhler, in opere quod inscribitur *Athanasius der grosse*, etc. seu, *Athanasius Magnus et ecclesia sui temporis*, etc.

d adversariis nostris accusantur, summopere ab-
in rebus fidei ab illis placitis (1); 3. eos doc-
e Trinitate constanter repetere ex traditione di-
sacris litteris fundata (2).

Ad 6. *Neg.* Haec pariter gratuita assertio est,
asphema atque injuriosa sacrorum scriptorum ve-
quasi nempe ipsi voluerint omnes in gravissi-
orem et idololatriam inducere ob pium suum af-
rga Christi personam. Hoc tamen lucri habemus
dversariorum confessione, doctrinam Trinitatis

1827, pag. 56 et seqq.
servat, 1 distinguendam
eclesiae circa Trinitatem
mibus individuorum. Fi-
criptura et traditione, et
s unanimiter conveniunt.
ro fides componatur cum
s, id non spectat ad ec-
m. Discrepantia opinio-
et errores individuorum
ordia instituenda non of-
. Si apologetae christia-
is fidem in Trinitatem vel
Filii invexissent ipsimet
it difficultatem adversus
lem, quam defendendam
Nemo vero, qui alicui
ocinetur, eamdem sibi
efficit. Si igitur tueban-
em Christi, ideo tueban-
hanc fidem invenerunt.
distinguendam fidem Tri-
nimi notione seu mentis
eadem. Illa semper fir-
icussa manet; at si ob-
ntis conceptus circa eam-
itur obscuritates in ejus
ac vacillatio. Hic conce-
adhuc debebat, et ad hoc
ntradictione haeretica, et
etica contradictione ejus-
otio seu conceptus evasit
is et determinatus. 3. Ad
iones speculativas specia-
inet, Patres juxta ipsum
duci passi sunt ideis pla-
i visi sunt aliquam myste-
rii Trinitatis explicationem deprehendisse in ideis platonicis, etsi obscuriora sint, quae Plato de his protulit, ipso dogmate christiano, adeo ut dissenserint ipsi platonici in magistri mente exponenda (Petav. *De Trin.* lib. 1, cap. 1). Quod innocenter a patribus factum esse quisque fatebitur, qui recordetur, non ita pridem gravissimos theologos gavisos esse philosophia naturali ac gloriatos se in ejus nonnullis considerationibus invenisse argumenta evidentissima Trinitatis, Incarnationis, etc. Male tamen quispiam contenderet universam ecclesiam catholicam fuisse philosophiae naturali innixam. Ejusmodi ideae in paucis inveniebantur, et ecclesia ipsis extranea omnino erat. Id ipsum dicatur de patrum aetate. Ecclesia profitebatur in simplicitate ac fide redemptorem, ut Deum, ac beata erat in hac fide. Quod sane patet ex confessione martyrum. Hinc patrum sensus in hac parte erat individualis. Haec discussio pro catholico exhibet quidem valorem *historicum*, non autem *ecclesiasticum*. Eo magis quod ipsorum discrepantia in ejusmodi conceptu, Irenaeo teste, molestiam ipsa aetate sua ingesserit.

(1) Cfr. Baltus, *Défense des saints Pères accusés de Platonisme*, liv. II, cap. 3.

(2) Vid. Petav. in *Praef.* ad libros *De Trinit.*

in Scripturis contineri ; quibus tamen ipsi fidem adhibere detrectant, licet profiteantur se Scripturas assumere tanquam unicam fidei regulam, ut indulgeant privato suo sensui. Videant hinc protestantes, quo ducat ipsorum principium fundamentale.

141. I. Inst. 1. Axioma philosophicum est : *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Huic vero principio directe opponitur mysterium Trinitatis ; etenim Deus et persona realiter inter se minime distinguuntur ; ergo si unaquaeque persona idem est cum natura divina, divinae personae eaedem erunt inter se. 2. Hinc sic licet argumentari ex illo axiomate : Pater est Deus, Filius est Deus ; ergo Pater est Filius, et vicissim ; et en nos in *sabellianismum.* 3. Quod si dicatur personas realiter distingui inter se, concludi pariter debet jam realiter distingui divinam naturam, ut patet ex ipsa personae definitione tradita a Boëtio et ab omnibus theologis admissa, quae est *rationalis naturae individua substantia.* 4. Itaque, qua ratione valet haec inductio : Pater est persona divina, Filius est persona divina, Spiritus Sanctus est persona divina, ergo tres sunt personae divinae ; eadem ratione valet et ista : Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus : ergo sunt tres Dii ; 5. imo et alia non minus absurda : Deus est trinus in persona ; atqui quaelibet persona divina est Deus ; ergo quaelibet persona divina trina est in personis. 6. Confirmatur ex eo, quod nomen personae in se substantiam includit, ergo, multiplicatis personis, multiplicatur divina substantia ; et en nos in *tritheismum* delapsos. 7. Restat igitur ut unicam admittamus in Deo personam, prout unicam in ipso agnoscimus naturam, quod exprimit ipsa vox et notio Dei, quae indicat naturam subsistentem, ideoque personam unicam et singularem, 8. utpote infinitam et indivisibilem, 9. ac omnino simplicem, quae nec patitur compositionem, quae ex numero personarum

exsurgit, 10. nec aggregationem ex pluribus entibus perfectis diversa existentia donatis, cujusmodi sunt personae; 11. et sic illud evitatur incommodum, quod una persona divina careat ea perfectione, qua ab altera distinguitur. Ita fere nugatur Crellius.

142. Resp. ad 1. *Dist. maj.* In quo sunt eadem, *C.* in quo non sunt eadem, *N.* Hinc *neg. min.* Personae enim divinae idem sunt cum natura divina, et sub hoc respectu sunt pariter idem inter se, eadem siquidem in omnibus est divina natura; at idem non sunt in modo subsistendi, seu in personalitate, qua inter se relative distinguuntur. Nam paternitas non est filiatio; et idem dicatur de spiratione. Sic ex. gr. longitudo idem est cum spatio quod afficit, altitudo pariter idem est cum spatio, id ipsum dic de magnitudine, quae ex utraque exsurgit; longitudo tamen non est latitudo, nec vicissim; quod aeque valet in magnitudine, quae praecise neque altitudo est neque longitudo, sed ex utraque coalescit. Ac propterea negatur consequentia (1).

143. Ad 2. *Neg.* Sed solum ex dictis inferri potest: ergo Pater et Filius sunt Deus; cum in natura tantum divina unum sint, non in modo subsistendi; et en quomodo evadamus sabellianismum.

144. Ad 3. *Neg.* Ad probat. autem *D.* Persona est rationalis naturae individua *substantia*, id est, *subsistentia*, *C.* substantia simpliciter *N.* Nec alium sensum patitur Boëtiana definitio, neque alio sensu admittitur a theologis (2).

145. Ad 4. *Neg.* et nego paritatem illationis; in prima enim argumentatione vox *persona* denotat modum

(1) Cons. Card. Albarus Cienfuegos S. J. *Aenigma theologicum*, 2 vol. in fol. Vien. 1717, cujus scopus est ostendere dogma Trinitatis nullatenus contradicere huic vulgato principio per se noto: *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

(2) Cfr. Suarez, tom. II. *Metaph.* disp. XXXIV, n. 13, et in *Comment. in 3 part. s. Thomae*, disp. XIII, sect. 2.

subsistendi, qui distinctus et proprius in unaquaque persona est, ac proinde multiplicatis personis multiplicatur et modus subsistendi proprius; at in altera argumentatione vox *Dei* denotat naturam, quae eadem in unaquaque persona est, ideoque multiplicatis personis seu modis subsistendi non multiplicatur natura, quae eadem semper est, licet diversis modis affecta.

146. Ad 5. *Neg.* Haec enim argumentatio non est nisi merus paralogismus; diverso enim sensu vox *Deus* sumitur in majori propositione ab eo, quo sumitur in minori; in majori enim usurpatur ad naturam significandam in concreto, prout in tribus personis subsistit; in minori autem prout contracta ejusmodi vox est ad unam subsistentiam seu personam designandam.

147. Ad 6. *D.* Nomen *personae* substantiam includit indirecte, *C.* directe *N.* nam directe nonnisi subsistentiam significat illius ejusdemque naturae, quae in divinis a ceteris personis possidetur per propriam subsistentiam; ac proinde negatur consequentia. Et en rursum quam facile catholici se a labe tritheismi mundos servent.

148. Ad 7. *Neg.* Vox autem et notio *Dei* indicat naturam subsistentem *D.* Una vel multiplici, id est, trina subsistentia, *C.* unica tantum ac singulari *N.* Ex divina enim revelatione novimus naturam divinam trina subsistentia affici.

149. Ad 8. *D.* Et hoc ipso, quod infinita sit natura divina, plures admittit subsistentias, quarum capax non est natura finita, *C.* obstat personarum pluralitati *N.* Hinc est quod in creatis pro multiplicitate personarum multiplicentur naturae et individua, non autem in Deo, qui utpote infinitus potest sub diverso respectu affici, et plures subsistendi modos admittere. Ex eo autem quod natura divina indivisibilis sit, sequitur tantum personas esse indivisas, non autem indistinctas.

150. Ad 9. *D.* Si numerus qui exsurgeret ex partibus divinae naturae, induceret compositionem, *C.* si ex diverso tantum modo subsistendi ejusdem naturae *N.* Eo magis quod modi isti non distinguantur inter se nisi relative, et identificentur cum ipsa natura divina.

151. Ad 10. *Neg.* Juxta nuper dicta; divinae enim personae, non diversa, sed eadem existentia fruuntur, etsi modus existendi distinctus sit in qualibet persona (1), ut saepe diximus, nec tres personae, proprie loquendo, sunt tria entia, sed idem ens divinum trina subsistentia donatum.

152. Ad 11. *Neg.* suppositum, tum quia adhuc quaestio est, num proprietas personalis possit dici perfectio; ad summum enim dici potest eam esse perfectionem relativam, ac mixtam eo sensu quo expositum est in tractatu de Deo (2); tum quia ex identitate hujus proprietatis cum natura, quam unaquaeque persona totam possidet, mediate saltem perfectiones et proprietates aliarum personarum secum habet.

153. II. Inst. Quo prosperiore successu aetas recentior historiae, philosophiae et philologiae studiis operam dedit, eo difficilius sibi persuadere potuit de veritate dogmatis Trinitatis. Itaque factum est, ut et philosophi et ipsi theologi plus minusve ab eo deflecterent. Imo eorum, qui formulam publicam tueri volebant, haud pauci variis modis eam sic explicare studebant, ut natura et usus dogmatis intelligerentur. Demum alii doctrinam istam nec cum libris sacris, nec cum sana ratione conciliari posse libere professi sunt. Cum igitur omnino dogmatis de Trinitate historia doceat, quicumque fuerint subtilius illud explicandi conatus, his vel ad *arianismum* vel ad *tritheismum* vel ad *sabellianismum* theologos abductos fuisse, praestat eo dimisso ad saniora nos convertere (3).

(1) Cfr. Petav. *De Trin.* lib. IV, cap. I § 5 et seqq.

(2) Num. 187, hujus voluminis.

(3) Wegsch. § 91. Quid sentiant sansimoniani de Trinitate, expositum a nobis est in tractatu de Deo, quid

154. Resp. *Neg. cons.* Nam historia dogmatis de Trinitate, prout a rationalistis traditur, non evincit nisi 1. absolutam necessitatem subjiciendi rationem nostram in obsequium fidei; 2. protestantismum suo fundamentali principio de omnimoda independentia rationis a legitima auctoritate divinitus constituta viam aperuisse omnibus recensitis aberrationibus; 3. theologos, quorum adversarius meminit, non esse nisi protestantes, qui hac in parte ipsorum *Emendatorum sacrorum* vestigia secuti sunt, et facto ipso ostenderunt, unicam viam ad tuendam fidem esse ecclesiae auctoritatem; 4. omnes plus minus errasse, quo longius a tali auctoritate deflexerunt, ut spiritus privati commenta sectarentur; nec posse nisi per reditum ad eam ecclesiam, quam eorum majores reliquere, fidem, quam amiserunt, recuperare; 5. non

vero sentiant ipsorum fratres nuperi templarii, placet hic exponere ex ipsorum codice, cui titulus *Levitikon, ou Exposé des principes fondamentaux de la doctrine des chrétiens catholiques primitifs*, Paris 1831, (sic enim impii hi homines se vocant, non contenti profiteri cum sansimonianis pantheismum et autotheismum). Pag. 65, legitur: « Dieu est composé de trois puissances, savoir: Père, Fils et Esprit. Dieu Père est l'être infini, composé de tout ce qui est. Dieu Fils est l'action, produit de la puissance éternelle du Père ou de tout ce qui est, produit infini, qui se manifeste sans cesse en tout, pour tout et par tout, et dans l'ensemble de tout ce qui est, et dans les modifications infinies et perpétuelles que subissent les parties de tout ce qui est. Dieu Esprit est l'intelligence, produit de la puissance du Père et de la puissance du Fils, produit infini, qui constitue l'intelligence de l'ensemble ou réunion de tout, et les modifications infinies d'intelligence de l'infinité des parties dont se compose cet ensemble ou grand tout, etc. Les trois puissances dont je viens de parler, ne pouvant pas exister l'une sans l'autre, forment dans leur trinité une puissance infinie, une et indivisible, qui est la *puissance universelle* ou Dieu. Conséquence: chaque portion du grand tout, ou Dieu, devant nécessairement participer aux puissances de ce même grand tout, ou Dieu, chacune des portions infinies du grand tout doit nécessairement jouir d'une portion de son *existence*, de son *action* et de son *intelligence* infinies, quelles que soient d'ailleurs les modifications auxquelles peut être soumise à l'infini, chaque portion du tout, tant par rapport à sa manière (état ou puissance) d'être, que par rapport à son état ou sa puissance d'action ou d'intelligence. Je crois à la vérité de la religion catholique, qui nous a été transmise par Jésus, etc ». En novum philosophema, quod valde arridere dicit nostris rationalistis, si quidem et templarii protestantur se credere in Deum et Jesum Christum, sed ad *saniora* se converterunt, nempe pantheismum, et in hoc agnoscunt Trinitatem. En quo deveniat humana ratio sibi relicta!

studium historiae, philosophiae ac philologiae aetatem recentiorem (protestantismi) ad incredulitatem circa hoc mysterium aliaque christianae religionis dogmata deduxisse, sed abusum ejusmodi studii, et malam fidem eorum, qui eam historiam consectati sunt, prout ostendimus.

CAPUT III.

DE VERBI SEU FILII DIVINITATE ET CUM PATRE CONSUBSTANTIALITATE

155. Etsi valde affines sint errores veterum arianorum et socinianorum, aliquod tamen inter eos discrimen est. Etenim veteres ariani directe impugnarunt divinitatem Verbi seu Filii, ejusque cum Patre consubstantialitatem, ideoque indirecte divinitatem Christi; recentiores autem sociniani directe impugnant divinitatem Christi, indirecte autem divinitatem Verbi.

156. Rursum ariani, prout omnibus haereticis contigit, nunquam sibi constiterunt; ab initio enim Verbum creaturam dixerunt, et in tempore conditum; postea vero creaturam quidem, sed ab aeterno procreatum ex non extantibus autumarunt; magis deinde magisque a primaevo errore deflectentes, divinitatem etiam ei tribuerunt, sed inferioris dignitatis, et diversam ab ea, quam Pater habet; sed nunquam adducti sunt, ut ipsum Patri consubstantiale profiterentur (1).

157. Semiariani juxta recentiores criticos veram fidem circa Filii divinitatem tenuerunt; sed in eo peccabant, quod abhorrerent a voce ὁμοουσιον seu *consubstantialis*; ceterum circa dogma recte sentiebant. Hinc est quod inter orthodoxos passim jam recenseantur (2); etsi a per-

(1) Cfr. Petav. *De Trin.*, lib. 1, cap. 7 et seqq. Vide etiam Chr. Lupi *dissertationem prooemialem ad Syn. Nicaen.* tom. 1, opp. cap. 12 et seqq.

(2) Cfr. Nat. Alex. diss. 14, in sacc. 4, *De voce* ὁμοιούσιον, ubi exponit

vicacia excusari nequeant in rejicienda fidei tessera, ab ecclesia consecrata ad secernendos catholicos ab haereticis (1).

158. Rationalistae et biblici neoterici omnem arianam impietatem et socinianismum non solum amplexati sunt, sed extenderunt, ita ut ariani et sociniani prae istis pii ac religiosi videri aliqua ratione possint. Nam non solum Christum ut purum hominem cum photinianis et samosatenis traducunt, sed eo progressi sunt, ut dicant, Verbum seu Dei Filium non aliud esse nisi quoddam Dei attributum, non autem personam subsistentem; Christum vero ut *Theurgum* passim habent, qui se accommodavit praeconceptis populi sui ideis, nec valuit ab omnibus erroribus popularibus contribules suos abducere; aliaque his similia blasphemantes effutiunt.

159. Quae directe spectant ad Christum ejusque divinitatem reservantes ad tractatum de Dominica Incarnatione, hic nos tuendam tantum suscipimus Verbi seu Fi-

diversum sensum, quo vox ista accepta est; tum addit, per eam exprimi fidem Nicaenam aeque ac voce ὁμοούσιον quosdam episcopos contendisse, ac semiarianos dictos hac de causa, quod vocem ὁμοούσιον respuerent. Hos ait recte de fide sensisse, ac proinde catholicos fuisse. Cons. etiam Maran. op. cit. lib. II, cap. 6, num. 5 et lib. IV, cap. 32, ubi ostendit falso cognomine semiarianos dictos fuisse episcopos illos, qui vocem ὁμοούσιον rejiciebant, quum in dogmate catholico adstruendo cum ceteris omnino convenirent. Hic ipse doctissimus auctor jam pridem, nempe anno 1722, dissertationem ediderat *Sur les semiariens*, in qua novam editionem operum s. Cyrilli Hierosolymitani, a P. Toutté adornatam, defendit adversus censuram PP. Trevoltiensium, in iis quae ille scripserat in diss. III, praemissa operibus s. Cyrilli, praesertim cap. 3.

(1) Res semper periculi plena est, velle a recepta et consecrata ab ecclesia loquendi formula recedere. Haec enim unica fuit ratio, quare in suspicionem arianae haereseos venerint apud non paucos Patres episcopi illi, qui nunquam vocem *homousion* adoptare voluerunt etsi dogma per vocem illam expressum, ut dictum est, profiterentur. Quanquam enim verum sit, quod s. Hieronymus scribit in *Dialogo adversus Luciferianos*, num. 34: *Non erat curae episcopis de vocabulo, cum res esset in tuto*, quia, ut optime animadvertit s. Gregorius Naz. *Epist.* XXVI, non in verborum sono, sed in sententiis veritas est; attamen certum est, ecclesiam semper sollicitam fuisse in sartis tectisque custodiendis nonnullis formulis, juxta Apostoli monitum, II. ad Tim. I, 13: *Formam habe sanorum verborum*: eo vel maxime, quod haeretici et novatores omnes sub ambiguitate quarumdam vocum, quae optimum sensum praeseferunt, soleant se tegere, et sic incautis venenum propinare.

ivinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem, ob materiae necessitudinem nonnulla dicere cogamur, directe ad Christi divinitatem pertinent.

30. Ne vero propositiones absque necessitate multimus, in tuto posita veritate fundamentali divinitatis nsubstantialitatis Verbi seu Filii, sive ex Scriptura, ex sensu traditionali, per modum corollariorum demus ipsius peculiarem subsistentiam, et veritatem ac udinem Nicaenae definitionis. Sit igitur

PROPOSITIO I.

rbum est vere ac proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantiale

1. Haec propositio de fide est, ut patet ex symboicaeno, quo jubemur credere *in Filium Dei unige-*, *ex Patre natum ante omnia saecula, consubialem Patri.* Sic vero ejus veritatem evincimus: 1. Ex nstratis, in praecedentibus propositionibus tres sunt a eademque divina essentia personae distinctae, Pa-Filius et Spiritus Sanctus. Ergo, concludimus, Ver-est vere et proprie Deus et Filius Dei ac Patri conntiale. Hinc illa omnia, quae illic adduximus, tum riptura, tum ex traditione ad demonstrandum dog-. Trinitatis, Verbi pariter seu Filii divinitatem, ejuscum Patre consubstantialitatem pariter demonstrant. 2. 2. Directe praeterea id evincimus ex iis, quae m peculiariter afficiunt, quibus jam allata majus roccipiunt ac firmitatem. Ac primo quidem huc spenitium Evangelii s. Joan: *In principio erat Ver-, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-; hoc erat in principio apud Deum; omnia per a facta sunt.* Ex his habemus quatuor: Verbi aeatem, *erat* enim *in principio* seu ante omne tem-

pus; habemus Verbum distinctum a Patre, siquidem *erat apud Deum*; habemus ejus divinitatem, nam *Deus erat Verbum*; habemus denique virtutem ejus creatricem, etenim *omnia per ipsum facta sunt.*

163. Huic evangelii initio congruunt omnia, quae in ipsius evangelii decursu de eodem Verbo carne facto dicuntur et ita connexa inter se sunt, ut illo posito in nativa sua significatione, omnibusque metaphoris remotis, omnia cohaereant, illo sublato, cetera intelligibilia fiant; ut cum dicitur, Filius *unigenitus*, *qui est in sinu Patris*, (Ib. v. 18), unigenitus Filius Dei (III, 16); qui sit in coelo, dum loquitur in terra (Ib. 13), qui faciat quaecumque Pater suus facit (v. 19), qui Patrem suum dicat Deum, aequalem se faciens Deo (Ib. 18), qui sibi tribuat potestatem homines ad vitam resuscitandi (VI, 40 et alibi passim), qui aperte profiteatur, se e coelo descendisse (ib. 38), exivisse a Deo (XIII, 13; XVI, 27), exivisse a Patre (ib. 28), unum esse cum Patre (X, 30), se in Patre esse et Patrem in se (ib. 38), se praeextitisse non solum Abrahamo (VIII, 58), sed et mundi creationi (XVII, 5), qui praedicet se esse viam, veritatem et vitam (XIV, 6), qui fidem in se tanquam in Filium Dei exigat (IX, 35; XI, 26 et 27), et adorationem admittat (ib. 38); qui ut credatur filius Dei, totum Evangelium scriptum est (XX, 35). Unde sic ratiocinamur: Ille vere et proprie Filius Dei est, ac Patri consubstantialis, qui Deus, Filius Dei, aequalis Deo dicitur et creditur et adoratur; qui eadem aeternitate, et potestate praeditus perhibetur cum Patre suo; qui a Deo procedere, aut exire dicitur, et ita tamen ut cum eo sit, unum sit, in eo sit, etc.; atqui ex allatis tale est Verbum seu Filius; ergo.

164. His consonant quae idem apostolus et evangelistae atque Scriptores reliqui sacri de eodem scribunt. Joannes quidem (I Ep. I, 1 et seqq.) eum vocat *Verbum*

vitae et vitam manifestatam, nempe in carne, vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis, et cap. V, v. 20, rursum eum vocat, *verum Deum et vitam aeternam*; reliqui tres evangelistae referunt, eum fuisse morti adjudicatum, eo quod se dixerit *Filium Dei*, ut Matth. XXVI, 64; Marc. XIV, 62; Luc. XXII, 70, et eo quidem sensu, ut blasphemiae reus fuerit habitus, et juxta Legem Mosaicam, prout eam pharisaei intelligebant, debuerit mori (Joan. XIX, 7). Quare apostolus Paulus non solum eum vocat Filium *Dei proprium* (Rom VIII, 32), Filium *suum*, nempe Dei (Gal. IV, 4), *Deum* (Rom. IX, 5), *Dominum gloriae* (I Cor. II, 8), *magnum Deum* (Tit. II, 13), *Deum Salvatorem* (ib. III, 4 et alibi passim), sed praeterea (Heb. I, 2 et seqq.) eum Filium dicit, *per quem* (Deus) *fecit et saecula; qui sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens*. Quibus verbis tum aeternitatem ac omnipotentiam, seu omnimodam potestatem, tum divinam naturam hujus Filii Dei apertissime praedicat.

165. Quae quidem aliaque permulta, quae brevitatis gratia praetermitto, adeo perspicua sunt, ut rationalistae ipsi inficiari non potuerint, tum Christum sibi, tum apostolos et evangelistas Christo denominationem Filii Dei una cum divinis attributis vindicasse (1). Ex quibus rursum concludimus: Vel Christus et scriptores Sacri deceperunt nos, vel fatendum est Verbum seu Filium Dei vere et proprie Deum esse ac Patri consubstantialem. At primum dici nonnisi impie ac absurde potest; quia Deus

(1) *Verum enim vero*, scribit Wegscheider § 83, *quin attributa divinis simillima* (quare non *eadem*?), *cum denominatione ista Filii Dei conjuncta, et dignitatem divinae proximam* (dicere debuisset *eamdem*) *Christus et ipse sibi ut Dei filio, in dictis nonnullis ei attributis* (notetur istud *attributis* juxta perversam rationalistarum intelligentiam), *et Apostoli Christo vindicaverint, dubitari nequit*. Pretiosa certo est ista confessio ex ore adeo impiorum hominum elicita.

ipse auctor esset deceptionis nostrae, et Christus spectari non posset ut veritatis magister et veritas ipsa et illuminator mundi, sed esset pessimus veterator, qui nos in turpem idololatriam conjecisset; cui, ut a pluribus observatum est, longe praeferendus esset Mahumetes ipse., qui nonnisi Deum singularem aperte docuit, seque ejus prophetam, omnemque prorsus idololatriam sustulit. Restat igitur, ut Verbum vere et proprie Dei Filium, Deum Patrique consubstantiale profiteamur

DIFFICULTATES

166. I. Obj. Λόγος seu Verbum, de quo Joannes primus et solus locutus est, quasi carnem induisset, non est nisi philosophema, quo ipse usus est ad summe admirandi magistri virtutem, oculis hominum sublatam, sublimioribus phantasiae imaginibus exornandam. Hoc autem philosophemate indicat λόγον, hoc est, Dei vim spiritualem, scilicet rationalem, sapienter operantem, ante mundum conditum e Deo quasi progressam, et sub personae, seu substantiae singularis specie saepissime cogitatam, quae *a Spiritu Dei*, scilicet *Sancto* judaeorum palaestinensium (Joan. I, 33) priorumque evangelistarum (Matth. III, 16; Luc. I, 35 et alibi), et a σοφία seu sapientia in Proverbiis (I, 20 et seqq. VIII, 22) et apocryphis (Sap. IX, 1-4; XVIII, 14-18; Siracidis seu Ecclesiastici I, 6-9; XXIV, 4 et seqq.) commemorata, haud longe abest, imo interdum eadem videtur. Similem imaginandi normam secuti Paulus et auctor Epistolae ad Hebraeos haud obscure tradiderunt, Deum condidisse mundum per naturam Messiae sublimiorem (Coloss. I, 16; Heb. I, 2 et seqq.), quae ipsa ante omnia creata sit (Coloss. I, 15, collat. 18; Prov. VIII, 22; Eccli. XXIV, 14); et posteaquam tempore constituto ad conditionem Jesu servilem sese demisisset, peracta hominum expedi-

ione (Heb. I, 5), in coelum suscepta ac Patri quidem ubjecta (I Cor. III, 22; XI, 3; XV, 25 et seqq.; phes. I, 22: Heb. III, 2), sed summa prae omnibus piritibus creatis dignitate a Patre sit exornata (Eph. I, 20-23; Philip. II, 9; Coloss. I, 15 et seqq.; I Tim. III, 6; Heb. I, 2 et 4) (1). Ergo.

167. Resp. 1. Ergo Scriptores sacri, ut indulgerent hantasiae et imaginationi, nos deceperunt; et universa cclesia per XVIII saecula in turpissimo errore versata st, donec orirentur Germaniae sidera Paulus, Suskinius, Eichhorn, Semlerus, Bertholdus, Rosenmüller, Kuinoel, Wegscheider aliique, qui demum sensum nois reserarent, quo Joannes, Apostolus Paulus ceterique Scriptores sacri eas voces usurparunt. Atqui tamen doctores isti mirifice etiam inter se dissentiunt, et ab aliis ejusdem scholae impugnantur (2).

(1) Wegscheider § 83.

(2) Ut habeatur aliquod specimen immae discrepantiae, quae inter neotericos biblicos rationalistas viget irca interpretationem vocis λόγου, quae initio evangelii Joannis occurit, placet nonnullas sententias proonere ex Georgio Rosenmüller, tom. I, in cap. 1 *Joan.* Juxta Clericum liosque cum ipso, Joannes voce λόγος usus est, ut se opponeret iis, qui eo tempore voces nonnullas platonicas e Philonis sumptas commentariis, et nominatim τὸν λόγον christianae ac judaicae religioni inerrent, et phrases a Philone usurpatas ad orthodoxum sensum revocarent. Quod vero attinet ad hujus nominis significationem, nonnulli putant τὸν λόγον dici rationem eo modo, quo dicitur *lux*, *vita*, *veritas*; et laudant pro hac sententia Origenem, et Epiphanium, illum in *Comment. in Joan.* pag. 40 et 41, istum *Haer.* LXXIII, qui asserit Christum dici τὸν λόγον, quod sit *Patris interpres*. Alii censent, Christum dictum esse λόγον, eo quod sit auctor rationalium creaturarum, et quod hominibus decreta Patris revelaverit; vel etiam, quod sit auctor *doctrinae melioris*, *summus veraе sapientiae auctor et doctor*; prout placet Doerdelin, Storrio, Eckermanno. Id alii rejiciunt, eo quod nuspiam in tali sensu reperiatur. Alii contendunt, Joannem ex paraphrasibus chaldaicis λογον desumpsisse, ubi saepissime מֵימְרָא יְיָ pro יְהוָה dicitur *Verbum Domini*. In hac voce, qua Chaldaeus utitur, praeter descriptionem et periphrasin *Dei summi* nihil inesse plerisque videtur. Sed judaeos per suum מֵימְרָא דְיְיָ significare voluisse divinam quamdam ὑπόστασιν quam a Deo genitam, eique proximam atque simillimam judicarunt, ex V. T. chaldaicis paraphrasibus demonstravit Car. Aug. Theoph. Keil, *De doctoribus veteris Ecclesiae culpa corruptae per platonicas sententias theologiae li-*

168. Resp. 2. *Neg. antecedens*, *a*) quia ejusmodi excogitatio est valde injuriosa auctoribus sacris, ut patet; *b*) quia sero nimis inducta est, et toti antiquitati contraria, quae ejusmodi commenta ne somniavit quidem; *c*) quia est violenta et contraria toti orationis seriei. Nunquam enim potest dici de prosopopaeia vel symbolica notione, quod caro facta sit et habitaverit in nobis, ut de Verbo scribit Joannes v. 14; quod sit Filius Dei, Unigenitus Dei, aequalis Patri, etc. Adde cetera omnia, quae in probationibus allata sunt, quaeque nusquam in sensu proprio, sed semper in sensu figurato accipienda essent. Hujus autem sensus perpetuo figurati non solum nullum apparet

berandis comment. II, in opus, quod inscribitur; *Acad.* tom. II, pag. 483 et seqq. Sic etiam Langius, *Die Schriften Johannis*, id est: *Scripta Johannis*, tom. II, pag. 47. Scripsit etiam *De cabbalisticis judaeorum opinionibus ad Messiam spectantibus, quae ad christianos transisse videntur*; Frid. Münter; *Handbuch der alten Christl.* etc. seu: *Manuale antiquiorum Christ. dogmatum historiae*, 1802, part. I, pag. 349 et seqq. Contra vero Tittmannus, Cramerus et Ernestius in *Neue Theol. Bibl.* seu in *Nova theolog. bibl.*, tom. III, pag. 129 et seqq. ita explicant, ut λόγος hoc quidem loco (abstractum pro concreto) sit *promissio* et per metonymiam *promissus*, quo sensu apud Hebraeos דָּבָר et λόγος apud LXX haud raro occurrit. Inter recentiores plerique intellexerunt Sapientiam sive rationem Dei, eamque personificatam, ut Ioan. Frid. Guil. Jerusalem, *Nachgelassene Schriften*, etc. seu, *Scripta posthuma*, part. I, app. ad 3 consid. pag. 618; Jos. Fr. Christ. Loeffler, *Kurze Darstellung*, etc. seu *Brevis expositio modi, quo orta est doctrina de Trinitate*, etc., aliique passim. Sic apprime inter se conveniunt sublimes isti doctores in re tanti momenti. Cfr. etiam Kuinoel, *Com. in libros N. T. historicos*, vol. III, in prolegomenis, § 7 *De λόγῳ Joannis*, ubi adhuc fusius et copiosius recensentur istorum doctorum placita, quae sese invicem destruunt, adeo ut nullibi consistere liceat; omnes tamen in eo unice conveniunt, ut veram ac proprie dictam divinitatem hujus λόγου, ac proinde Christi, denegent. Sic enim fert progressus apud hos scriptores. Quod attinet ad antiquiores unitarios, non magis inter se uniformes sunt in expositione hujus initii evangelii s. Joannis. Interpretatio Socini absurdis figuris et asseverationibus luxuriat; interpretatio remonstrantium unionem moralem cum hypostatica, Deum Patrem cum Filio confundit; iisdem incommodis urgetur expositio Clerici. Cfr. Maran, par. II, cap. 7 et 8. Crellius, qui sub Artemonii nomine librum edidit, cui titulus: *Initium Evangelii Joannis ex antiquitate ecclesiastica restitutum*, eo usque progressus est, ut mutaverit verba Θεὸς ἦν ὁ λόγος, seu *Deus erat Verbum*, in Θεοῦ ἦν ὁ λόγος, seu *Dei erat Verbum*. At vero omnes codices, versiones, patres graeci et latini constanter legunt Θεός *Deus*. Vapulat proinde Crellius a Bengelio et Wetstenio aliisque criticis biblicis.

vestigium in citatis testimoniis, sed aperte excluditur, si sensu obvio accipiantur. Itaque philosophema non est Scriptorum sacrorum, sed rationalistarum, qui contra omnes sanae exegeseos canones illud per nefas invexerunt. Profecto ipsos puderet illo uti in cujuscumque profani scriptoris interpretatione. Cum vero cetera, quae ipsi persequuntur, huic falso fundamento superstructa sint, hoc sublato, sua mole ruunt. Hinc non est cur ea singillatim disjiciamus. Quis vero ferat a privatis hominibus libros, quos nos deutero-canonicos dicimus, *apocryphis* accenseri? Ast ipsi inter protestantes dictaturam sibi arrogant.

169. II. Obj. Neque aliquid proficiunt theologi in vindicanda natura divina Verbo, seu Christo, ex nomine Dei aut Filii Dei, Unigeniti, etc. 1. Notum est enim appellationi *Filii Dei* multiplicem notionem substratam esse. Tribuitur primo Angelis, deinde israëlitis (imo et Filiae Dei commemorantur), praesertim justis, tertio magistratibus et regibus quasi vicariis Jehovae. Sic Ps. II, 7, collat. Act. XIII, 33; Heb. I, 5; II Reg. VII, 14; Ps. XXXIII, 6, et LXXXVIII, 28, ubi Davides filius primogenitus, id est, unice dilectus appellatur: qui usus invaluit etiam apud reliquos antiquos populos (1).

(1) Et hic magno eruditionis apparatu id ostenditur de graecis apud Homerum, *Iliad.* lib. I, 279; II, 196 et seqq. *Odyss.* XI, 567, epitheta regum διογενης, διοτρεφης Διος υιός seu *Dei genitus*, *Deo altus*, *Dei Filius*; de aegyptiis, apud quos reges Deorum nomine ornati sunt, teste Diodoro Siculo, lib. I cap. 90; qui de aethiopibus lib. III, ibid. cap. 3, 5, similia refert. De persis ostendit Brissonius, *De regio Persarum principatu*. Et ad hoc ostendendum certant inter se Gesenius, *Comment. über den Jesaia* etc. seu *Comm. super Isaiam*, Lip. 1821, et De Wette, *Comment. üb. psal.* seu *Comment. in psal.* edit. 2, ad IV, 1. Sed frustra defatigantur in his congerendis, quum notissima haec sint, neque solum apud memoratas gentes in usu illud fuerit, verum etiam apud romanos; ita ut imperatores etiam post promulgatam religionem christianam passim *divi* dicerentur. Sic apud judaeos magistratus et principes Dii interdum vocati sint. At quid inde? Apud nonnullos populos reges et principes vel assentatione vel analogia quadam ob auctoritatem, quam super ceteros obtinebant, aliave quacumque ratione Dii vel Filii Dei, etc. vocati sint; ergo eodem sensu iisdemque rationibus Christus seu Verbum *Deus* dicitur et *Filius Dei*? Quis ferat hanc argumentandi rat-

2. In N. autem T. libris tribuitur hominibus piis. 3. Christo autem sensu ideali et metaphorico, ita ut hoc nomen non diserte ad naturam referendum sit, sed ad virtutem ejus eximiam, et Dei specialem amorem erga ipsum, et ad Messianam dignitatem. 4. Neque aliud significant epitheta addita Filio Dei, *Unigeniti*, *dilecti*, *proprii*. 5. *Generationis* enim notio nonnisi ratione quadam symbolica et analogica in summum numen transferri potest (1). Ergo.

170. Resp. *Neg. Antec.* Ad 1. *D.* Ad exclusionem notionis proprie dictae, *N.* secus *Tr.* Nec enim contendunt catholici, semper propria significatione accipi in Scripturis denominationem *Filii Dei*; verum ex eo, quod interdum improprie accipiatur, inferri nequit, eam nunquam proprie usurpari; alioquin idem inferre liceret de vocibus *agni*, *leonis*, etc. quin et Dei ipsius. Id ipsum dicatur de voce *primogeniti* Davidi attributa, cujus sensus clare patet ex contextu, cum dicatur, *Primogenitum ponam illum*, *excelsum prae regibus terrae*. Itaque relative sumitur ad ceteros reges; si tamen de David, et non potius de Christo, cujus figuram David gerebat, haec dicuntur.

171. Ad 2. *D.* Tribuitur etiam hominibus piis, sed diversa ratione ab ea, qua tribuitur Christo, *C.* eadem ratione *N.* Nunquam enim de hominibus piis praedicantur, quae praedicantur de Christo, ut ex probationibus constat.

172. Ad 3. *Neg.* Haec est enim gratuita rationalistarum assertio, quam ipsi a socinianis mutuati sunt, nec tamen solidius probant, et omnino violenta. Quaecumque enim fuerit Christi virtus aut munus, si natura Deus non esset, neque Deus neque Filius Dei diceretur, neque divinae ipsi tribuerentur proprietates, quae uni Deo com-

nem? Jam vero talis est, qua utuntur rationalistae sub magnifico eruditionis indigestae apparatu.

(1) Wegsch. ibid. § 82.

. Adde, saepius in libris N. T. distingui appel-
s Christi, et Filii Dei; ceteris omissis, Joannes
31) ait: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Je-
st Christus Filius Dei.* Deinde, si synonima haec
quare tanquam blasphemum Christum lapidare vo-
nt judaei, eo quod se dixerit Filium Dei? et quare
juxta legem morti addixerunt, eo quod Filium Dei
erit (1)?

3. Ad 4. *Neg.* ob eamdem causam. Responsio patet
do dictis.

lic duo notanda sunt: 1. Fere
in N. T. distingui has voces,
s et *Filius Dei* (ut loc. cit.
me; Matth. XVI, 16, XXVI,
rc. 1, 1; XIV, 61; Joan. VI,
, 27; Act. VIII, 37 etc.), ut
has voces minime esse syno-
sed perhiberi Messiam ut ve-
ri Filium. 2. Judaeos hodier-
de causa adhuc contendere
mum, et jure propterea mor-
tum fuisse Christum Domi-
patribus suis. Ad cujus asser-
robationem satis sit, duos af-
stes, qui rejici ab adversa-
possunt; prior est Orobius
ica collatione cum Limbor-
tertio enim scripto cum ac-
*quod Jesus affectaverit dei-
et cum Deo aequalitatem...
vo se fecerit Dominum, ex
a creatorem, et verba sua
averit, non a Deo jussa* (§ 8,
9 et seqq. et pag. 291). Hinc
ebat (ib. § 3): *Dato impos-
quod Messias, quem expe-
, eum doctrinam Israëlem
, jure foret ut pseudo-pro-
pidandus.* Alter vero est Sal-
qui in opere, quod inscripsit
e des institutions de Moise,
828, tom. II, lib. IV, ch. 3,
nt et condamnation de Jé-
ag. 82, haec scribit: « Jé-
arle de lui-même comme d'un
ses disciples le répètent, et
des événement prouve avec
la dernière évidence qu'ils l'entendaient ainsi. C'était un horrible blasphème aux yeux des citoyens, etc ». Et ibid. in nota: « L'expression *Fils de Dieu* était d'un usage ordinaire chez les Hébreux pour marquer l'homme d'une haute sagesse, d'une haute piété. Ce n'est point dans ce sens que s'en servait Jésus-Christ; elle n'aurait pas causé une si vive sensation ». Et clarius adhuc pag. 87: « Enfin le grand-pontife s'adresse à l'accusé et lui dit: Est-il vrai que tu sois Christ, que tu sois Fils de Dieu? Je le suis, répond Jesus.... A ces mots, Caïphe déchire ses vêtemens en signe de désolation; vous l'avez entendu, on délibère. La question, déjà soulevée parmi le peuple, était celle-ci, Jésus s'est-il fait Dieu? or le sénat jugeant que Jésus, fils de Joseph, né à Bethléem, avait profané le nom de Dieu, en l'usurpant pour lui-même simple citoyen, lui fit l'application de la loi sur le blasphème, et de la loi ch. 13 du Deut. et art. 20, ch. 18.... la peine capitale prononcée ». Hos quidem suo loco refellemus; sed interea ex his patet, quonam sensu judaei antiquiores et recentiores semper acceperint verba Christi, cum se dixit Filium Dei; et ex istorum agendi ratione invictum et ineluctabile exsurgit *adversus* impietatem, subtilitates, metaphoras, figuras, etc. unitariorum et rationalistarum argumentum.

174. Ad 5. *N.* vel *D.* Id est, quoad modum, *C.* quoad rem, seu originem viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae N. Ludunt propterea adversarii in ambiguo, dum asserunt nonnisi analogica ac symbolica ratione enunciari posse generationem in divinis; et confundunt rei substantiam cum modo, quo generatio in creatis perficitur, qui certe in Deo seu in personis divinis non reperitur, nec reperiri potest.

175. I. Inst. 1. Dei nomen (Joan. I, 1.) non Jesu Christo, sed λόγῳ tribuitur. 2. Praeterea Dei nomen in N. T. extenditur etiam ad homines, reges ac potiori jure ad Regem Messiam. 3. Jesus nusquam ipse se Deum aut λόγον divinum nominavit. 4. Atque ipse filius diserte discernitur ab uno vero Deo (Joan. XVII, 3; cf. XI, 42; Matth. XIX, 16 et 17; Marc. X, 18; XII, 32; coll. 34; Luc. XVIII, 19; Matth. XX, 23.). 5. Discernitur etiam a Patre (Joan. XIV, 28), ab illo, qui dedit ei omnem claritatem (ib. XVII, 22 et 24.), qui dedit ei habere vitam in semetipso (ib. v. 26), 6. quem itidem suum ipsius et suorum Deum appellat (ib. XX, 17; cfr. I Tim. II, 6; VI, 13-18), 7. et nulla quidem duplicis cujusquam in Christo naturae mentione injecta. 8. Discipuli Jesum nunquam Deum salutaverunt; effata vero, quae in subsidium dogmatis probandi afferuntur, vel dubiae sunt lectionis (Act. XX, 28; I Tim. III, 16.), vel incertae saltem interpretationis (Luc. I, 16 et 17; Joan. XX, 28; I Joan. V, 20; Rom. XI, 5; Philip. II, 6; Tit. II, 18; II Pet. I, 1 et 2.). Nihil igitur inde extundi potest (1).

176. Resp. Ad 1. *D.* Λόγῳ tribuitur ut personae subsistenti, quae carnem induit ex eodem Joan. I, 14, *C.* λόγῳ ut vi divinae, *N.* Recolantur superius dicta (2).

(1) Wegsch. § 85.

(2) His addatur etiam confusio eorum neotericorum biblicorum, qui fatentur ex seriorum judaeorum sensu λόγον non solum vim, mentem et sapientiam, sed etiam naturam quam-

177. Ad 2. *D.* Sed significatione ac ratione diversa b ea, qua Verbo seu Christo tribuitur, *Tr.* eadem ıtione *N.* Hoc probare debuisset adversarius, ut aliquid ɔncluderet; quod cum non praestet, nihil conficit.

178. Ad 3. *D.* Expresse, *Tr.* aequivalenter *N.* Reɔlantur probationes.

179. Ad 4. *D.* Persona, *C.* natura *N.* Jam occurrıus huic difficultati cap. praec. n. 58.

180. Ad 5. Idem responsum esto. Hoc ipso autem, uod eum Pater genuerit ex sua substantia, dedit ei omem claritatem et vitam in semetipso. Haec enim plane ɔbaerent cum doctrina catholica, juxta quam quidquid ilius habet, a Patre per generationem habet.

181. Ad 6. *D.* Sed diversa ratione, *C.* eadem *N.* Neıe enim dixit Christus *Patrem nostrum* et Deum norum; sed *Ascendo ad Patrem meum et Patrem verum, Deum meum et Deum vestrum.* Cetera loca, uae adducit adversarius, non sunt ad rem, ut ea perırrentibus patebit.

182. Ad 7. Vel *N.* vel *D.* Conceptis verbis, *C.* aeuivalenter *N.* Si enim Joannes vocat Verbum Deum, : de hoc ipso Verbo scribit, quod caro factum sit, luılenter duas naturas exprimit. Imo hic fuit verus scoıs s. Joannis in conscribendo suo Evangelio, duplicem empe asserere Christo naturam, ut veteres testantur (ac ıo loco ostendemus), et apparet sive ex ipso Evangeo, sive ex I Epistola ejusdem Apostoli.

183. Ad 8. Resp. 1. Quid si discipuli Jesum Deum

ım aut subjectum quoddam esse, : ex Philone ostendunt Keil in cit. *omment.* p. 89, tum p. 77 et seq.; leuker, *Ueber die natur. u. d.* etc., ıu *De natura et de origine doctriıe emanationis apud Kabbalistas*, · 7, seqq.; Berthold, *De Christoıgia Judaeorum Jesu apostolorumıe aetate*, Erlang. 1811, pag. 104 et seqq., nec non Langius. loc. cit. pag. 49 et seq.; Ziegler in *Gableri ephemeridibus*, tom IX, p. 15. et seqq.; Ammon progr. *De prologi Joannis Evangelistae fontibus et sensu*, Goett. 1800. Cfr. Rosenmüller, *Schol. in Joan.* tom. II, in cap. I; Kuinoel. op. cit. proleg. p. 96. et seqq., vol. III, edit. 4, Lips. 1825.

salutassent, nonne rationalistae exploderent ejusmodi salutationem, ut reliqua omnia, quae ipsis non arrident? Nonne vanis phantasiae et imaginationis commentis tribuerunt, quae de Christo Scriptores Sacri litteris consignarunt? Nonne eosdem traduxerunt ut imperitos ac deceptos philosophematibus judaeorum alexandrinorum?

184. Resp. 2. *Neg. assertum.* Nam *a*) salutavit expresse Deum s. Thomas apostolus (Joan. XX, 28): *Dixit ei: Dominus meus et Deus meus.* Et en malam fidem nostri adversarii. *b*) Salutarunt ceteri in omnibus iis locis, quae adversarius gratis traducit velut dubiae lectionis et interpretationis, quia nempe perstringunt ipsius oculos (1).

185. II. Inst. Neque demum rem conficiunt *perfectiones divinae*, quae Christo adscribuntur, nec *opera divina* eidem attributa, nec *honor divinus.* Non *perfectiones* illae scientiae, ex. gr. absolutae, omnipotentiae, etc. Quia 1. partim a Patre illi communicatae dicuntur (Matth. XI, 27; XXVIII, 18; Joan. III, 35; V, 26; XVII, 2 et 7); 2. partim divinae naturae consortium haud necessario probant. Etiamsi enim Filius Dei *primogenitus in multis fratribus* (Rom. VIII, 29), *imago* et *forma Dei* appelletur (Philip. II, 6), christiani tamen *conformes imaginis* filii sui (Rom. VIII, 29) dicuntur, et illud *plenitudo divinitatis* (Colos. II, 9) in ipsos christianos transire docetur: *Et estis in illo repleti* (v. 10). 3. Non *opera divina*, cujusmodi sunt *creatio*, *conservatio*, etc. quia ea Jesu Christo tanquam λόγῳ vel Messiae, quasi summo Dei administro, non tanquam summo Deo assi-

(1) Sic enim ad nauseam usque regerit § 85: « Ex hac tanta effatorum de Filio Dei diversitate et ambiguitate *luce clarius* patescit, Scriptores Sacros sancta quadam magistri reverentia commotos esse, ut ad summam ejus virtutem atque excellentiam describendam aequalibusque commendandam, ex judaeorum et alexandrinorum et palaestinensium de virtutibus seu viribus quibusdam divinis, sub personarum specie cogitatis, deque λόγῳ et sublimiori Messiae naturae opinionibus in Jesum transferrent ».

gnata sunt (cf. Joan. XVII, 3 et 4). 4. Non denique *honor divinus*, quo colendus Dei Filius praecipi videtur. Omnia enim ejusmodi dicta dubiae sunt interpretationis; neque Christus unquam adorationem divinam sibi poposcit, quippe qui Deo Patri eamdem ipse praestiterit (Matth. XXVI, 39; Joan. XVII), et discipulos ad Patrem tantum preces convertere jusserit (Matth. VI, 9); neque ullius exstat Apostoli exemplum, Jesum tanquam Deum vere adorantis; quae enim dicunt Apostoli, gratiam christianis et a Christo et a Patre apprecantes, nihil repugnant. Ergo.

186. Resp. *Neg. A.* Ad 1. *D.* Tanquam Filio, quem genuit, ut supra dictum est, *C.* ut creaturae *N.* Hoc rationalistae non ostendunt; nam etiam catholici docent Verbo seu Filio omnia communicata esse, non exclusa ipsa substantia divina, quam Filius per generationem a Patre accepit, ideoque haec ne attingunt quidem catholicam doctrinam.

187. Ad 2. *Neg.* Neque obstat, quod participatae et communicatae perhibeantur ipsis creaturis; cum longe diversa ratione Filius dicatur imago et forma Dei, et ille, in quo plenitudo divinitatis inhabitat corporaliter, ab illa, qua christiani dicuntur *conformes* imaginis filii sui, aliaque ejusmodi. Filius enim ita dicitur imago, ut sit etiam splendor gloriae Dei, per quem Deus omnia creavit, qui portat omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, etc.; sic dicitur in forma Dei, ut non rapinam arbitratus sit esse *se aequalem* Deo, quae nunquam de creaturis dicuntur; neque unquam christiani dicuntur repleti divinitate, aut innuitur in ipsis *inhabitare divinitatem* corporaliter, ut de Christo dicitur, sed divitiis pleni spiritualibus et gratia per Christum.

188. Ad 3. *Neg.* Nam haec omnia Christo seu Verbo ut summo Deo ita tribuuntur, ut Deus expresse dicatur Joan. I, 1. Adde creationem et conservationem non

posse simplici creaturae communicari, quae potentiam infinitam postulant. Ad textum cit. Joan. XVII, 3, qui ad rem non est, jam respondimus.

189. Ad 4. *Neg.* Certe omnia, quae adversariis non favent, semper sunt dubiae interpretationis; nec ullam hujus assertionis rationem afferunt; falsa vero, violenta et absurda, quae ipsi comminiscuntur, certa omnia et evidentia sunt. Falsum est Christum non sibi poposcisse divinos honores; ex formula baptismi contrarium constat, ut superius diximus; admisit adorationem caeci nati (Joan. IX, 38) ac apostolorum omnium (Matth. XXVIII, 17, et alibi). Quod si ipse adorationem Patri praestitit, praestitit in forma servi seu in natura humana. Et en quomodo semper in doctrina catholica omnia apprime cohaereant, ac secum, quae videntur contrarie dicta de Christo, apte concilientur! Nulla vero ratione cohaerere possunt in systemate socinianorum et rationalistarum.

190. Sic, discipulos suos docuit orare Patrem veluti fontem totius divinitatis, vel Deum, prout pater communis omnium hominum est, quo sensu preces ad tres personas simul diriguntur. Addatur Christum docuisse discipulos suos etiam seipsum orare (Joan. XIV, 14). Ergo falsa est adversarii assertio, prout falsa ea est, qua affirmat, apostolos nunquam Christum vere adorasse; nos contrarium evicimus in resp. ad 4. Apostolus praeterea (Rom. XIV, 11) ex persona Christi dicit: *Mihi flectetur omne genu*; et (Philipp. II, 10): *In nomine Jesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium et infernorum.* Quid haec sibi volunt nisi veram et propriam adorationem?

191. Non repugnat autem gratiam postulari a Christo sicut et a Patre, quia una est Patris et Filii divinitas, ideoque unus gratiarum fons; repugnaret autem, si Filius non esset nisi creatura, ut patet.

192. III. Obj. ex veteribus arianis. 1. Sapientia *crea-*

ta dicitur Prov. VIII, 22, et iterum Eccli. XXIV, 14; 2. Christum propterea vocat Apostolus *primogenitum omnis creaturae* (Col. I, 15). Qui 3. de se testatur (Joan. XIV, 28) : *Pater major me est.* 4. Se negat bonum esse, bonitate nempe essentiali, quae uni competit Deo (Matth. XIX, 17). 5. Ignorare se fatetur judicii diem (Marc. XIII, 32). Et sane 6. Pater secundum substantiam *ingenitus* dicitur; ergo Filius, qui genitus est, diversae est substantiae a Patre. 7. Quod si dicatur Pater gignere Filium, gignit ne voluntate an necessitate? Si necessitate, valde miser est; si voluntate, ergo potuit non gignere. 8. Adde, nec posse Filium dici aeternum, quia antequam nasceretur non erat. Nativitas praeterea 9. denotat dependentiam, quae Deo non competit, 10. nec esset a se. Ergo.

193. Resp. Ad 1. *D.* Creatione improprie dicta, seu generatione, *C.* proprie dicta *N.* *Fortes creantur fortibus et bonis*, inquiebat Horatius; et Virgilius, Eneid. X: *Sylvicolae Fauno Driope quem nympha crearat*; in hebraïca autem veritate in priori textu legitur *possedit* (1).

194. Ad 2. *D.* Causalitate et dignitate, vel in natura assumpta, *C.* in ordine ad creaturas *N.*

195. Ad 3. *D.* Ratione originis, ut exponunt patres

(1) יְהוָה קָנָנִי, *Deus possedit me*, ut legitur Gen. IV, 1: קָנִיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה, *possedi hominem per Deum*. Plures patres, legentes hoc loco *condidit* vel *creavit*, collegit in *vetere Itala* Sabatier, Ord. s. Ben., vol. II. Attamen Eusebius Caesar., vir non suspectus, lib. III. *De eccles. theol.* cap. 2, in quo fuse de toto illo capite disputat, admonet, neminem aliorum interpretum ἔκτισε, hoc est, *condidit* aut *creavit* adhibuisse, sed omnes constanter ἐκτήσατο, *possedit. Multum autem interest*, inquit, *inter* creare *et* possidere, *quod creatio ex communiori notione transitum significet ab eo quod non est ad id quod est; possessio vero rei jam existentis proprietatem in eo, qui possidet*, πλείστη δ' ἂν γήνοιτο τοῦ ἔκτισε, καὶ τοῦ ἐκτήσατο διαφορὰ τῷ τὴν μὲν κτίσιν κατὰ τὴν κοινοτέραν διάνοιαν τὴν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι πάροδον σημαίνειν· τὴν δὲ κτίσιν τοῦ προυπάρχοντος ἰδιάζουσαν οἰκειότητα πρὸς τὸν κτώμενον.

graeci, vel ratione humanae naturae, ut patres latini explicant, *C.* ratione naturae *N.*

196. Ad 4. *D.* Ad mentem juvenis, cui respondit, *C.* simpliciter *N.*

197. Ad 5. *D.* Ad manifestandum, *C.* absolute *N.*

198. Ad 6. *Neg.* Patrem dici ingenitum secundum substantiam; sed ita vocatur per negationem originis ab alio, ut suo loco expositum est (1).

199. Ad 7. Dico Patrem gignere necessitate et voluntate; gignit enim necessitate naturae et voluntate consequente, ut passim dicitur, quae tota fertur in hanc generationem; sic nos voluntate et necessitate prosequimur felicitatem in genere, nec tamen hac de causa miseri sumus.

200. Ad 8. *Neg.* Quia natus est in aeternitate, in qua non est prius ac posterius nisi ratione et ordine.

201. Ad 9. *D.* In processione, *C.* in natura *N.*

202. Ad 10. *D.* Secundum personalitatem, *C.* secundum essentiam *N.*

203. Haec autem vix attigimus, utpote obsoleta et antiquata, ne nimii essemus. Ceterum qui ea evoluta videre cupit, adeat Petavium, Tournelium, etc. (2).

(1) Cap. I, num. 29. Petavius, *De Trin.*, lib. II, cap. I, § 10 et 11, Salomonem hoc loco sapientiam exhibere censet per prosopopaeiam poëticam virginis instar ac reginae, a Deo ante omnia genitae ac procreatae, et ea productione acquisitae ac possessae. Haec expositio etiam a Natali Alexandro in *Histor. ecclesiast.* saec. IV, dissertat. 42, admittitur; imo et a nonnullis veteribus patribus probatur. Attamen propter rationalistarum abusum non eam facile admitterem, eo vel magis, quod contraria expositio communis inter veteres patres sit.

(2) Petav. *De Trin.*, lib. III, cap. 9 et seqq.; Tournely, *De Trin.* quaest. IV, art. 2, sect. 3.

PROPOSITIO II.

Verbum esse proprie Deum, Filium Dei et Patri consubstantialem ex traditione invictissime ostenditur

204. Suppositis omnibus, quae ex traditione retulimus ad ostendendam perpetuam fidem de Trinitate, nunc ex iisdem fontibus haec speciatim adjicimus, quae directe divinitatem Verbi seu Filii afficiunt.

205. Ac 1. quidem universalis ecclesiae fidei circa divinitatem Verbi seu Filii et quidem primis duobus saeculis, nempe usque ad Justinum Mart., quem unitarii per summam impudentiam dicunt primum hoc dogma invexisse, testes sunt Irenaeus et Hegesippus, qui haereticos sui temporis, negantes Filii divinitatem, provocant ad contrarium ecclesiae consensum. Irenaeus enim *Contra haereses*, lib. I, cap. 10: *Ecclesia enim*, inquit, *per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et a Discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in Deum Patrem omnipotentem.... et in unum Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute* (1). Hegesippus testatur, apud Eusebium, *se, cum Romam proficisceretur, plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam. In singulis autem episcoporum successionibus et per singulas civitates eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt* (2). Hegesippus autem loquitur de eadem fide, de qua Irenaeus; aequales enim erant.

(1) Cfr. etiam lib. III, cap. 4, num. 2; et alibi saepe haereticos provocat s. Martyr ad consensum ecclesiarum, ut lib. IV, cap. 33, num. 8; lib. V, cap. 20.

(2) Lib. IV, cap. 22: Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ κύριος

206. 2. Testes sunt symbola seu fidei professiones. Celebre est illud, quod exhibent *Constitutiones Apostolicae*, lib. VII, cap. IV, in quo sic fides in Christum exprimitur: *Et in unum Dominum J. C. unigenitum ejus Filium, qui ante saecula beneplacito Patris genitus est, non creatus; per quem omnia facta sunt in coelis et in terra, visibilia et invisibilia* (1). Symbolum s. Greg. Thaumaturgi jam dedimus.

207. 3. Testes sunt Martyres. In actis s. Ignatii, cum interrogasset Trajanus: *Quis est Theophorus?* Ignatius respondit: *Qui Christum habet in pectore... Unus est Deus... atque unus est Christus Jesus, Filius Dei unigenitus* (2). In actis s. Symphorosae, respondet ipsa Hadriano: *Si pro nomine Christi Dei mei incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro* (3), et in actis ss. Felicitatis et filiorum ejus, Martialis inter eos natu minimus sic respondet Publio: *Omnes, qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem aeternum mittentur* (4). Nescio an hoc philosophema rationalistis placeat. In actis s. Achatii, haec notatu digna sunt ad confundendos unitarios: *Quod discere semper optabam* (inquit praeses), *confessus es, errorem vestrae persuasionis et legis. Habet ergo, ut dicis, Filium Deus? Respondit Achatius: Habet. Martianus ait: Quis est Filius Dei? Respondit Achatius: Verbum veritatis et gratiae... Nomen explana. Respondit sanctus*

(1) Καὶ εἰς τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱόν, τὸν πρωτοτόκον πάσης κτίσεως, τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ πατρὸς γεννηθέντα, οὐ κτισθέντα, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα. Notandum vero Cotelerium, levi nimis ratione ductum, existimasse adjectam fuisse vocem, οὐ κτισθέντα, *non creatum*, eo quod ibid. cap. 36, pag. 319, Sapientia a Deo condita dicatur; cum tamen certum sit, ab Athenagora, Origene aliisque Filium conceptis verbis increatum dici, dum alibi tradunt Sapientiam conditam juxta lectionem graecam Prov. VIII. Cfr. Maran. tom. II, cap. 3. num. 2.

(2) Apud Ruinart, *Acta Martyrum sincera*, pag. 15 edit. Amstelod. 1713.

(3) Ib. pag. 24.

(4) Ib. pag. 27.

Achatius: Jesus Christus vocatur. Martianus ait: Ex qua, dic, uxore conceptus est? Respondit s. Achatius... Filius Dei Verbum veritatis ex Dei corde processit. Ideo scriptum est: Eructavit cor meum Verbum bonum (1). Et ista sufficiant, in quibus profecto nullae metaphorae, nulla philosophemata inveniuntur, sed fides quam edocti ab ecclesia erant.

208. 4. Haeretici, judaei et pagani testes pariter sunt receptae fidei in universa ecclesia duobus prioribus saeculis circa Filii divinitatem. Haeretici enim, cum ipsis objiceretur publica apostolorum doctrina de Filio Dei carnem induto, non negabant, sed, ut faciunt nostri rationalistae, se apostolis ipsis adaequabant, imo praeferebant, aut eos alia publice, alia secreto dicebant praedicasse; publicam illam et communem traditionem ecclesiis relinquebant, arcanam sibi arrogabant. Sic testantur Irenaeus et Tertullianus; Irenaeus enim lib. III, cap. II, inquit: *Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successionem presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse fidem*; et Tertullianus *De praesc.* cap. XXII: *Solent dicere*, inquit, *non omnia Apostolos scisse; eadem agitati dementia, qua rursus convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse* (2). Eadem semper impiorum et

(1) Ibid. p. 154. Alia non pauca exempla in actis martyrum occurrunt hujus fidei in divinitatem Christi; quae ibid. videri possunt, praesertim in actis martyrum Scillitanorum ex MS. Colbertino, pag. 88, ubi Donata hoc praeclarum dedit Christo testimonium: *Honorem Caesari reddimus; timorem autem aut cultum Christo Deo vero praestamus.* Haec autem aliaque similia ingenua testimonia ad figuras aut metaphoras detorqueri nullo modo possunt. Haec propterea responsa publica, data coram tyrannis, monumenta sunt ineluctabilia fidei ecclesiae circa praecipuum hunc articulum.

(2) Legi meretur integrum caput 22 *Praescrip.*, in quo eloquentissime Tertullianus haereticos illos confundit. Ex hac porro haereticorum responsione duo colliguntur maximi

haereticorum agendi ratio. Huc etiam referri debent sectae omnes antiquissimae nazaraeorum, docetarum, etc. quae omnes miro consensu professae sunt Filii divinitatem, si obscuros excipias eosque paucos ebionitas, de quibus superius diximus.

209. Quod spectat ad judaeos, ut antiquiores praetermittamus, de quibus in proposit. II (1), recentiores etiam nobis suffragantur. Orobius enim et ex ipso novissime Salvador tueri nituntur synagogam, quod Christum morti addixerit, quia ipse contra legem se naturalem Filium Dei praedicaverat, ut suo loco pariter ostendemus.

momenti, ac 1. quidem eamdem de Verbi divini incarnatione fidem in omnibus ecclesiis viguisse; 2. hanc fidem a Christo et apostolis traditam; cum enim aliter non possent se subducere a pondere hujus argumenti de universa et constanti ac publica traditione atque universa et unanimi totius ecclesiae professione, cogebantur recurrere ad aliam secretam traditionem, sibi solis cognitam. Nimirum nondum invenerant effugium figurae et metaphorae ceterasque subtilitates nostrorum haereticorum seu incredulorum.

(1) Superius eorum verba attulimus. Praestat nonnulla hic afferre ex iis, quae veteres judaei opponebant christianae doctrinae circa hunc articulum, quaeque habentur in duobus primis libris ab Origene scriptis contra Celsum, siquidem ibi judaeum loquentem inducit, in cujus persona judaeorum dicteria promit. Inter cetera hic personatus judaeus lib. 1, num. 57, sic Christum compellat: *Si quisquis singulari Dei providentia genitus est, hunc Filium Dei esse dicis, qua in re praestas ceteris?* Num. 66, quaerit per jocum judaeus, cur Christus in Aegyptum fugerit, cum *Deum* mortem timere non deceat, ait enim: *At metus mortis in Deum non cadit* (Θεὸν γὰρ οὐκ εἰκὸς ὢν περὶ θανάτου δεδιέναι)... *At non potuit magnus ille Deus, qui jam duos propter te angelos miserat, te proprium Filium suum domi tutum praestare* (φυλάσσειν ὁ μέγας Θεὸς τὸν ἴδιον υἱὸν οὐκ ἐδυνάτο)? Et num. 67: *Quamvis in templo te provocaverint judaei, ut manifesto aliquo signo te Dei Filium esse declarares* (ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς), et ita passim. Num ad haec respondet Origenes, male a judaeo exponi doctrinam de divinitate Christi? Absit. Sed quo magis ille quaerebat impugnare hanc divinitatem proprie dictam, ipse magis confirmare satagebat, distinguens duas in Christo naturas divinam et humanam. Limborchius non ita respondit Orobio, eo quod fuerit socinianus. Et en novum argumentum antiquae ecclesiae fidei, et quam vulgata haec esset apud judaeos et ethnicos! His addantur, quae in actis leguntur martyrii s. Polycarpi: *Suggerentibus atque instantibus judaeis* (Καὶ ταῦτα εἶπον, ὑποβαλλόντων καὶ ἐνισχυόντων Ἰουδαίων), scilicet ut Dalces proconsulem adiret moneretque ne cadaver illius (Polycarpi) donaret, ne forte, ut ajebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps christiani colere inciperent, τοῦτον ἄρξωνται σέβεσθαι (apud Euseb. lib. IV, cap. 15). Adeo notum erat judaeis, Christum ut Deum a christianis adorari!

210. Idem dicatur de paganis ; Celsus enim passim exagitat christianos, quod dicere solerent, Deum humanae salutis causa in hunc mundum venisse (1), quod Deum crucifixum et natum admitterent; contendit ex christianorum doctrina de Incarnatione sequi Deum esse mutatum. Sic ceteri ethnici eadem absurda objiciunt apud Arnobium et apud Tertullianum (2). Ex quibus patet agi de re exploratissima. Si his addantur acta Pilati, saltem ante Justinum et Tertullianum exarata (admissa ipsorum suppositione), quae Christum ut Deum exhibent (3), epistola Plinii ad Trajanum testantis se deprehendisse, quod christiani *soliti essent stato die Christo quasi Deo carmen dicere secum invicem* (4), epistola Hadriani ad Severianum, exprobrantis alexandrinis, *ab aliis Serapidem*, *ab aliis adorari Christum* (5), evidentiam historicam factum istud assequitur, quod nunquam evertent rationalistae suis subtilitatibus.

211. 5. Nunc coronidis gratia subjicimus testes particulares ex duobus primis saeculis, seu alios addimus jam allatis proposit. II, cap. II. S. Ignatius in *epist. ad Ephes.* cap. 18, vocat Christum *Deum in utero gestatum* (6), et *ad Magnes.* cap. 8, *Verbum aeternum a Patre prodiens* (7); Presbyter ille apostolorum discipulus, apud Irenaeum lib. IV, cap. 27, de Christo ait: *Christus Fi-*

(1) Cfr. Origen. *Cont. Cels.*, lib. IV, num. 7, 8, 10 et 14; item num. 5 et 7; nec non lib. VII, num. 13; lib. VIII, num. 41.

(2) Tertull. *Adv. Jud.* cap. 7, 9 et 11. Arnob. *Disput. adv. gent.* lib. I, num. 23 et seqq. in *Bibliotheca Patrum*, edit. Venet., tom. IV.

(3) Apud Euseb. lib. II, cap. 2; et apud Tertull. *Apol.* cap. 5; apud Just. *Apol.* I, num. 48.

(4) Lib. I, Ep. 97. Frustra auctor *Platonismi retecti*, part. II, cap. I, nititur ostendere, illis verbis Christum ut Deum minime designari, qui natura Deus sit. Sic frustra Wegscheider § 85, n. *b*, ex tripode pronuncial: « Hoc testimonium Plinii per se nullius momenti est, neque cultum religiosum Christo ut summo Deo a Christianis exhibitum esse demonstrat ». Cum hoc testimonium mire torqueat unitarios, dicendum est potius illud maximi esse momenti, praesertim si cum ceteris documentis conferatur.

(5) Cf. Lamprid. in *Vita Alexandri Severi.*

(6) Ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας.

(7) Ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, κ. τ. λ.

lius Dei, *et Dominus Salomonis*. Et ex eodem inquit Irenaeus ibid. cap. IV : *Et bene qui dixit ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum ; mensura enim Patris Filius*, *qui et capit eum*. Auctor, qui XII patriarcharum Testamenta supposuit, passim vocat Christum *Deum* ; ut in Test. Simeonis, num. 8 : *Deus*, *corpus assumens et comedens cum hominibus*, *salvabit eos* (1), et alibi. Auctor librorum *sibyll.* eadem tradit ex recepta ecclesiae doctrina ; sic lib. VI, pag. 652 :

O lignum beatum, *in quo Deus extensus est* !

et lib. VII, pag. 659 : *Ipse genitus magnus Deus* (2). Et ista delibasse sufficiat ut jam concludamus : Factum, quod constat ex publica professione, ex confessionibus publicis coram persecutoribus pro tribunali interrogantibus, ex consensu sectarum omnium antiquissimarum (una dempta ab omnibus spreta vel impugnata), ex impugnatione et irrisione publica judaeorum et ethnicorum, ex testibus omnibus singularibus, qui ea aetate scripserunt, omnia veritatis imo evidentiae historicae praesefert argumenta, ut nonnisi a pyrrhonista in dubium revocari possit ; atqui tale est factum fidei universalis quoad divinitatem Verbi, quae primis duobus ecclesiae saeculis obtinuit, ut ex allatis constat ; ergo.

212. Ex his inferimus : 1. Ergo nugae sunt argumenta quaecumque excogitarunt unitarii et rationalistae ad eludendas Scripturarum auctoritates, testantes veram divinitatem Verbi.

213. 2. Ergo Verbum sive λόγος est Persona divina sub-

(1) Ὁ Θεὸς σῶμα λαβὼν, καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις ἔσωσεν αὐτούς.

Plura huic similia ib. videri possunt in *Bibliot. Patrum*, edit. Venet. tom. 1. Grabe in *annot.* ad Georg. Bulli *Defens. fidei nicaenae*, sect. II, p. 64, potiora in unum collegit. Quod attinet ad aetatem hujus scriptoris, communis sententia est a Dodwello, Wolfio, Ruchato aliisque criticis admissa, saeculo 1. desinente eum floruisse, Cfr. Gallandi, *Prolegom.* cap. 6, n. 2.

(2) Ὦ ξύλον ὦ μακάριστον, ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη.

Αὐτὸς ὁ γεννηθεὶς, ὁ μεγὰς Θεός.

Alia plura refert Maran. lib. II, cap. 1, num. 5.

sistens, et non ratio, vis aut sapientia ipsius Dei, ut iidem autumant, sed verus Deus et Filius Dei, Patri consubstantialis.

214. 3. Ergo cum in Deo dari non possit diversitas naturae, eo ipso quod Verbum sit Filius Dei et Patri consubstantialis, merito patres Nicaeni, ad tollenda omnia arianorum effugia, vocem ὁμοουσίον, *homousion*, ut fidei tesseram consecrarunt, prout demonstrandum assumpsimus.

DIFFICULTATES

215. I. Obj. Inconstantia in Filii Dei notione constituenda conspicua, inde videtur repetenda, quod ab initio rei christianae pro christianis habebantur quicumque Jesum *Messiam* esse existimarent; nulla sive data sive postulata hujus nominis explicatione. Ita factum est, ut, quae apud judaeos obtinerent ideae populares, ad christianos propagarentur, nec novarum opinionum fingendarum libertas tolleretur, modo natura Jesu humana Deoque summo subjecta (quod N. T. libri vetabant) in dubitationem non vocaretur (1). Ergo.

216. Resp. *Neg. suppositum.* Omnia documenta historica contrarium evincunt, et gratuitam adversarii assertionem evertunt. Qui ad christianam religionem ab initio accedebant, ex iis erant, quibus Jesus Christus crucifixus aut scandalum aut stultitia fuerat, ideoque, antequam admitterentur in ecclesiam per baptismum, diligenter instrui debebant, ut anticipata judicia deponerent, et firme crederent in Trinitatem Personarum divinarum atque in mysterium Incarnationis et Redemptionis. Quare symbolum edocebantur, atque ipsis idem diligenter explanabatur. Recepta proinde erat apud christianos illa docendi formula, quam nobis servavit Cel-

(1) Wegsch. § 83.

sus, acerrimus christianae religionis impugnator. Hic se profitebatur apprime instructum circa modum erudiendi catechumenos; ait enim: *Omnia novi*; deinde sic eorum magistros loquentes inducit: *Crede hunc, de quo te doceo, esse Filium Dei, quamvis inhonestissime vinctus et turpissime cruciatus fuerit, quamvis heri et nudius tertius in omnium oculis maxima ignominia jactatus et volutatus sit; tanto magis crede* (1). Hinc etiam ibidem commune illud effatum christianis omnibus tribuit: *Crede, si vis salvus esse, aut abi* (2). In systemate rationalistarum nihil facilius fuisset, quam credere purum hominem crucifixum fuisse; ast longe difficilius est credere in Deum crucifixum. Insulsissimum autem est, quod subdit acutus criticus noster de popularibus ideis judaeorum propagatis inter christianos ad invehendam fidem de Christi divinitate; cum judaei hac ipsa de causa Jesum saepius tanquam blasphemum lapidare voluerint, ac demum morti addixerint, eo quod se *aequalem Deo* ac *Filium Dei* fecerit, et *Patrem suum diceret Deum.*

217. Quod tertio loco addit partim falsum est, partim ipsius hypothesin destruit. Falsum est sollicitos fidei praecones unice fuisse de adstruenda humana Christi natura; nam, ut ostendimus, Joannis in suo Evangelio conscribendo duplex scopus fuit, tum se opponendi haeresi ebionitarum, qui Christi divinitatem negabant, tum simonianorum ac docetarum, qui ejusdem impugnabant humanam naturam. Diximus praeterea destrui ipsius hypothesin in eo, quod dicit de studio adstruendi humanam Christi naturam, quia in hanc nefariam haeresin inciderant docetae, quod indignum ipsis videretur Deum iis subjici, quae humana sunt, praesertim vero pati et mori. Ex hoc patet quam altas radices egerit sub ipso rei christianae initio dogma divinitatis Christi; quum potius

(1) Origenes *Cont. Celsum.* lib. VI, num. 10.
(2) Ib. num. 11.

negaretur ipsius humanitas quam divinitas. Quod confirmatur ex eo, quod ebionitae paucos et obscuros habuerint fautores, innumeros vero docetae (1).

218. I. Inst. 1. Nazaraei, ipso non excluso Hegesippo, qui erat unus ex ipsis, Christi divinitatem inficiabantur, teste Epiphanio, *Haeres. XXIX*, cap. II, et Theodoreto, *Haer. fabul.* lib. II, cap. II, 2. imo ipso Origene, qui docet omnes judaico-christianos ebionitas fuisse, 3. Cum praeterea Hegesippus apud Eusebium, lib. IV, cap. XXII, inter haereticos minime recenseat cerinthianos et ebionitas, imo ibid. cap. XXI, testetur, se, cum Romam profectus esset, ubique eamdem fidem invenisse, patet Christi divinitatis dogma duobus primis saeculis minime obtinuisse, et contrariam potius ubique viguisse sententiam (2). 4. Quod vel ipse fatetur Justinus dum in Dialogo cum Tryphone, num. 48, ait: *Sunt quidam, amici, ex genere nostro, qui Christum (Messiam) esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient, quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quae mecum consentit, idem diceret* (3). Ex quibus habemus 1, satis esse, ad religionem christianam profitendam, credere in Christum Messiam; 2. eos, qui negabant Christi divinitatem, minime inter haereticos fuisse recensitos, sed ad ecclesiam pertinuisse; 3. hanc non fuisse nisi sententiam privatam Justini aliorumque, qui cum eo idipsum sentiebant. Ergo falsum est antiquam traditionem huic dogmati suffragari; sed dicendum, illud a Justini platonica philosophia in ecclesiam sensim sine sensu disseminari coepisse (4).

(1) Cfr. Maran. lib. II, cap. 8.

(2) Ita auctor libri, cui titulus *Judicium Patrum*, apud Bullum *De primitiva et apost. trad.* cap. 3.

(3) Καὶ γὰρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ ἠπειρεοῦ γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι, οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδ' ἂν πλεῖστοι ταῦτα μοι δοξάσαντες εἴποιεν.

(4) Hoc argumentum urgent Steph.

219. Resp. Ad 1. *Neg.* Justinus et Hieronymus, qui nazaraeos bene noverant et cum illis conversati sunt, aperte eos distinguunt ab ebionitis, ex eo quod illi crederent in Filium Dei, seu Christi divinitatem, isti autem purum hominem dicerent Christum. Justinus enim cum, tanquam dogma ad salutem necessarium adstruxisset Christi divinitatem, loquens de iis, qui religioni christianae admiscebant legis mosaicae observantiam, nempe nazaraeos, putat eos salvari posse, dummodo ejusmodi observantiam ceteris ad salutem necessariam esse non defenderent. Quod profecto de ebionitis, negantibus Christi divinitatem, non dixisset contra sua principia. s. Hieronymus autem saepissime id ipsum testatur; nobis satis erit recitare ipsius verba ex *Ep.* 80 *ad August.*: *Quos vulgo Nazaraeos nuncupant, qui credunt in Filium Dei, natum de Virgine Maria* (1). Hieronymo assentitur Augustinus, qui in libro *De haeres.* ait: *Nazaraei cum Filium Dei Christum fateantur... ebionaei Christum etiam tantummodo hominem dicunt.*

220. Quod si Epiphanius dubitat, an idem senserint nazaraei cum cerinthianis, et Theodoretus affirmat Christum ab eis ut hominem justum honorari, ratio est, quia agebatur de secta obscura ac parum cognita (2).

221. Ex his responsio patet ad id, quod subdunt per summam injuriam de Hegesippo, viro ob integritatem fidei ab omnibus antiquis commendato (3), qui propterea, etsi de circumcisione fuerit, nuspiam inter nazaraeos recensetur.

222. Ad 2. *D.* Id est, quoad legis mosaicae observantiam, *Tr.* in neganda Christi divinitate *N.* Hoc nunquam dixit Origenes, et contrarium constat de judaeo-

Curcellaeus in *Quaternione* diss. 1, num. 66, et auctor *Platonismi retecti*, part. II, cap. 4.

(1) Cfr. Le Quien, *Diss.* VII, *Damasc.*

(2) Hoc adeo verum est, ut Mosheimius, prout superius vidimus, censuerit ad saec. IV vel V istorum ortum referendum esse.

(3) Cfr. Bullus loc. cit.

christianis, tum ex auctoribus antiquissimis, Irenaeo, lib. IV, cap. II, num. 4, Tertulliano, *Cont. Marc.* lib. III, cap. XII, et lib. *Adv. Jud.* cap. IX, tum ex ipsorum scriptis. Auctor enim Homiliarum et Recognitionum, quae vulgatae sunt sub nomine s. Clementis, qui citatur ab Origene, tom. III *in Genes. Philocaliae* cap. XXII, et in Matth. XXVI, 6, et qui erat ex circumcisione, passim praedicat Filii divinitatem, aeternitatem, omnipotentiam, etc.; quae profecto valde discrepant a sententia ebionitarum (1).

223. Ad 3. *D.* Non recensuit ob ipsorum obscuritatem et paucitatem, *Tr.* eo quod haereticos eos non habuerit *N.* Transmisimus autem primam partem, cum longe probabilius sit Hegesippum perinde ac Justinum eos comprehendisse, dum pseudo-christos, pseudo-prophetas, pseudo-apostolos commemorat (2). Cum praeterea notum sit ejusmodi haeresin admodum obscuram et ad paucissimos redactam fuisse, mirum esse non debet, si de ea expressam mentionem non fecerit. Erant enim his saeculis de Christi carne longe acriores controversiae.

224. Ad 4. *D.* In adstruenda Christi divinitate, *C.* in ebionitarum dogmate *N.* Opponit nempe Hegesippus ecclesiarum consensum haereticis marcionitis, valentinianis, etc. negantibus mundum a Dei Filio creatum, eumque descendisse in Virginis uterum, veramque carnem assumpsisse; quae quidem aperta fronte pugnant cum ebionitarum commentis (3). En quam impudenter unitarii in re tam gravi mentiantur!

(1) Cfr. Maran. lib. II, cap. 7. Sed nullum dubium relinquit Sulpicius Severus, qui, *Hist. sacrae* lib. II cap. 45, scribens de primitiva ecclesia Hierosolymitana, quae nonnisi ex circumcisione habuit episcopos suos usque ad Hadriani tempora, diserte testatur, eam *Christum Deum sub legis observatione credidisse.*

(2) Loquens Hegesippus apud Euseb. lib. IV, cap. 22, de haereticis simonianis, cleobianis aliisque pluribus, concludit: « Ex iis orti sunt pseudochristi, pseudoprophetae, pseudapostoli, qui, adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum et adversus Christum ejus, unitatem ecclesiae disciderunt, ἀπὸ τούτων ψευδοχρίστοι, ψευδοπροφῆται, κ. τ. λ.

(3) Cfr. Euseb. loc. cit.

225. Ad 5. *Neg.* Totum enim hoc argumentum, in quo triumphum canunt unitarii, non est nisi mendaciorum contextus. Ac 1. falsum est Justinum illis verbis, *ex genere nostro*, designasse catholicos; sed ut excludat judaeos, cum quibus disputabat, generali illa denominatione designat haereticos eadem ratione, qua si nos disputaremus adversus eosdem vel adversus islamitas et paganos, christianos vocaremus protestantes et unitarios, qui in Christum se credere profitentur. 2. Falsum est s. Justinum per illam *maximam partem* denotasse catholicos, quos (num. 35 et 80) omnes inter se consentire asseverat, sed *maximam partem* sectarum, quae (ex eodem Justino, num. 35) conveniebant cum ecclesia catholica in confitendo Jesum et Christum et Dominum esse. Et sane nonnisi ebionitas, qui pauci et numerabiles erant, Christi divinitati per ea tempora detraxisse historica monumenta testantur. 3. Falsum proinde est Justinum inter haereticos minime eos recensuisse, qui in Christi divinitatem non crederent; cum hanc sententiam velut humanae doctrinae commentum, contrarium doctrinae praedicatae a prophetis et Christo ipso, rejiciat; subdit enim: *Neque enim humanis doctrinis jussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis, quae et a beatis Prophetis praedicata, et ab ipso tradita sunt* (1). 4. Demum falsum est, Justinum ut privatam suam aliorumque cum ipso sentientium dedisse sententiam de Christi divinitate; sed e contra adeo firmiter profitetur se adhaerere huic fidei, ut si non solum sectae, sed, facta impossibili hypothesi, vel ipsi catholici hoc dogma desererent, se tamen semper eidem adhaesurum protestetur, qua loquendi ratione etiam usus est Tertullianus disserens de Scripturis, *Contra Praxeam* cap. XVI.,

(1) Ἐπείδη οὐκ ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῖς διὰ τῶν μακαρίων προφητῶν κηρυχθεῖσι, καὶ δι' αὐτοῦ διδαχθεῖσι.

quod certe de libera opinione minime dixisset s. Justinus.

226. Ex his proinde inferimus : 1. traditionem de Christi divinitate adeo fuisse vulgatam, ut eam non solum catholici omnes, sed omnes sectae, ab ecclesia separatae, admitterent, si paucos excipias ebionitas ; 2. eos, qui contrariam doctrinam tenebant, adversatos esse prophetarum et Christi ipsius doctrinae, eosque propterea, quod consequens est, extra ecclesiam ac salutis viam fuisse (1).

227. II. Inst. Si talis fides et constans traditio obtinuisset, 1. tanta non reperiretur in patribus antenicaenis circa hoc dogma discrepantia, ipso fatente Petavio, lib. I *De Trin.* capp. III, IV et V. Hinc patres antenicaenos antiquissimos jam fidem Nicaenam strenue professos esse, frustra probare conatus est Georg. Bullus in sua *Defensione fidei Nicaenae*. 2. Sententiam contrariam prae ceteris bene defendit Dan. Whitby in opere, quod inscribitur *Disquisitiones modestae in Bulli defens. fidei Nic.* edit. 2. Lond. 1720. Ergo.

228. Resp. ad 1. *D.* Non reperiretur discrepantia circa dogma, *C.* circa modum seu loquendi formulas in dogmate ipso vel ejus consectariis exponendis *N.* In dogmate enim divinitatis Filii patres antenicaeni concordes et unanimes sunt, neque unus ex ipsis afferri potest, qui contrarium aperte doceat, neque hucusque ab unitariis prolatus est. Ast nondum certa loquendi forma, seu, ut cum recentioribus loquar, *terminologia* universim constituta, minus interdum accurate aliqui ex ipsis juxta Petavium locuti sunt. Non aliud porro voluisse Petavium,

(1) Cfr. Maran lib. IV, cap. 5. Et hic notetur, quomodo mentita sit iniquitas sibi ; juxta unitarios Justinus omnium primus induxit in ecclesiam suum platonismum, et proinde doctrinam de divinitate Christi, ac ita profecit, ut in universam ecclesiam irruperit ; attamen juxta eosdem auctores, teste Hegesippo, qui annis quadraginta post Justinum scripsit, nempe sub Eleutherio, universa ecclesia profitebatur doctrinam ebionitarum contra divinitatem Christi. Quam bene !

patet luculentissime ex iis, quae ipse scripsit in erudita praefatione, quam adtexuit libris de Trinitate, in qua ostendere aggressus est, *primum*, ut ipse loquitur, *universe et infinite traditionem in ecclesia versatam esse de Trinitatis vera et catholica fide; tum singillatim ex trium saeculorum scriptoribus*. Sane Bullus ceterique omnes Petavii insectatores illis ipsis usi sunt patrum textibus ad vindicandos patres antenicaenos, quos in eadem praefatione delegit ac illustravit vir summus, et quo nemo melius adversus Crellium aliosque unitarios dimicavit, quique eos plane contrivit (1).

229. Ad 2. *Neg*. Neque enim Whitby vel quilibet alius id unquam efficiet; agitur enim de documentis, quae omnium manibus teruntur, quae, nisi in alienum sensum detorqueantur vel mutilentur, non possunt unitariis favere. Omissis patribus apostolicis (quorum luculenta testimonia dedimus in probationibus), qui dimicarunt ad-

(1) Mirum est quot latratus in se excitaverit Petavius tribus recensitis capitibus; ut enim omittam Clericum, Jurieu, Faydit, qui summum virum ac acerrimum socinianorum impugnatorem socinianis accensent, Bullus in *Praef. ad defensionem fidei Nicaenae* eum acriter insectatur et omnigena haeretico homine digna somnia sibi fingit. Attamen summum virum Franc. Oudinus, Petrus Lazzeri, Bossuetus in *Admonitione ad Protestantes prima* num. 28, Maran in opere saepe a nobis citato, *De divinit. D.N.J.C.*, P. Raymundus Adami in *Florentino Doctorum hominum diario*, tom. v, part. 3, art. 7, pag. 112 et seqq. aliique non pauci ab omni suspicionis labe vindicarunt. Sed ante hos omnes apologiam suam Petavius ipse contexuit in eruditissima praefatione, in qua totius antiquitatis patres illustravit, ostenditque unam semper viguisse catholicam apud patres antenicaenos sententiam; et ex ea, qui post eum scripserunt, Bullo ipso non excepta Petavii insectatore, potiora documenta sua desumpserunt. Sed digna est quae legatur Petavianae doctrinae apologia, quam doctissimus P. Zaccaria praemisit libris de Trinitate, in editione veneta, notis ab ipso illustrata an. 1757, Certe B. Card. Thomasius ita suspiciebat aurea scripta Petavii, ut profiteretur se unica eorum pagella magis erudiri, quam si spissa multorum volumina diurna ac etiam nocturna manu versaret, ut refert cl. P. Vezzosius, clericus regul., in *notis ad primum vol. operum card. Thomasii*, pag. 155. Me dies deficeret, si omnia vellem eruditorum ac doctorum hominum testimonia adferre, certatim extollentium Petavii nomen, non solum ex catholicis, sed et ex ipsis protestantibus, qui unanimiter eum vocant virum incomparabilem ac de theologia patrum optime meritum. Horum specimen videsis in edit. cit. Zaccariae vol. 1, part. XXI.

versus ebionitas, photinianos, samosatenos, aliasque ejus generis pestes, quique feliciter adeo rem confecerunt, ut arianam haeresim ante ipsius ortum penitus contriverint, nobis satis sit in medium adducere verba, quibus Irenaeus ebionitas refellit, lib. III, cap. 19, ubi inter cetera haec habet : *Ingrati existentes Verbo Dei, qui incarnatus est propter ipsos. Propter hoc enim Verbum Dei homo, et qui Filius Dei est filius hominis factus est commixtus Verbo Dei* (1).

230. Hinc patres Nicaeni ad arguendos arianos impietatis eos provocant ad perpetuam et constantem ecclesiae patrum traditionem. Sed de Whitby, patrum contemptore et irrisore, consulatur Feller *Dictionarium historicum.*

231. III. Inst. Atqui non in sola loquendi ratione, sed in ratione praeterea sentiendi patres antenicaeni discrepabant ab hoc dogmate 1. enim alii docuerunt Dei Filium seu Verbum, non ab aeterno, sed ante res ceteras fuisse prolatum vel genitum, ut Deus eo tanquam administro ad res condendas uteretur ; ut Tertullianus, lib. *Contra Praxeam* ; Theophilus Antiochenus, lib. II, n. 19 ; Tatianus in *Orat. contra Graecos*, n. 5 ; Athenagoras in *Apolog.* n. 10 ; Hippolytus, lib. *De antichristo*, n. 30. Alii 2. docuerunt Filium etiam quoad naturam divinam esse Patri inferiorem ; ita diserte Hippolytus, qui ibid. n. 15, tradit Verbum non fuisse perfecte Filium nisi post incarnationem, et Tertull. libro citato, cap. IX, Filium modulum dicit divinae substantiae, cujus plenitudo in solo Patre est, et Filium proprie factum esse docet, nec Deum semper fuisse Patrem, tum cap. XII, tum in lib. *Contra Hermogenem* ; quibus in hac sententia praeiverant Ignatius, Justinus, Irenaeus. 3. Alii solum Filium a prophetis visum docent, eo quod nec

(1) Καὶ ἀχαριστοῦντας τῷ ὑπὲρ αὐτῶν σαρκωθέντι λόγῳ τοῦ Θεοῦ· εἰς τοῦτο γὰρ ὁ λόγος ἄνθρωπος.... ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον χωρήσας. Sed praestat integrum caput legere.

invisibilis, ut Pater, nec immensus sit; ita rursum Justinus, Theophilus, Tertullianus. Quae quidem omnia aliaque his affinia satis ostendunt patres antenicaenos longissime abfuisse a novitate inducta per concilii Nicaeni patres, quae vel ex eo deprehenditur, quod 4. nonnisi post altercationes plurimas ipsi, ut refert Eusebius, *De vita Constantini*, lib. III, cap. 13, in eamdem demum sententiam convenerint. Ergo 5. merito concludit Jurieu, Arii doctrinam *omnium theologiam, nemine excepto, ante Nicaenam synodum fuisse.*

332. Resp. *Neg. antec.* Ad 1. *D.* Et haec dixerunt de sola generatione, seu verius de sola Verbi manifestatione *ad extra*, *C.* de generatione *ad intra* et proprie dicta *N.* Ut vero distinctio intelligatur, haec prae oculis principia ex veterum theologia habenda sunt: 1. Existentia Verbi coaeterna Patri; 2. Verbi ipsius manifestatio in rerum creatione, quae Verbo tribuitur (1); 3. Verbi ipsius manifestatio in carne, cum scilicet homo factum est et habitavit in nobis. Primam aliquando supponunt, cum de alterutra vel de utraque posteriori manifestatione loquuntur, tametsi utramque comparare videntur quasi ad hanc tantum contrahant ipsam Verbi existentiam. Atque hinc etiam est quod, in alterutra ex hisce manifestationibus haerentes, Verbum interdum exhibere videntur quasi ita inexistens, ut neque a Patre distinguatur.

233. Talem esse mentem Tertulliani patet ex iis, quae scribit *Contra Praxeam*, ait enim cap. VIII: *Sermo* (seu Verbum) *et in Patre semper, sicut dicit: Ego in Patre, et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et sermo erat apud Deum; et numquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus.* Quid ergo sibi voluit, dum cap. VII dixit tunc genitum *perfecte* Filium, cum dixit Deus: *Fiat lux*,

(1) Rationalistae rerum creationem, prout in Scripturis traditur, mythum esse autumant.

nisi tunc externe manifestatum? Athenagorae praeterea, Tatiani, Tertulliani, Theophili et Hippolyti hanc fuisse mentem explicat ipse Hippolytus, *Contra haeres. Noëti*, cap. 10, dicens, quod ante mundi constitutionem *nihil erat praeter ipsum* (Deum), *ipse solus multus erat, nec erat sine ratione* (τῷ λόγῳ) *sine sapientia, sine potentia, sine consilio; omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quod omnia fecit.... quod Verbum cum in se haberet, esseque mundo creato inadspectabile, fecit adspectabile, emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans* (1). Adnotat porro Georg. Bullus, sect. VI, cap. 9, hanc secundam nativitatem *metaphoricam*, per operationem scilicet *ad extra*, praedicatam etiam ab Athanasio aliisque Patribus fuisse, qui tamen aeternam naturalemque Verbi nativitatem propugnabant (2).

234. Ad 2. *D.* Ratione originis, *C.* ratione naturae *N.* Hoc sensu Hippolytus *alium* docet esse Filium a Patre, non *aliud*; statim enim subdit: *Cum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, aut aquam ex fonte, aut radium a sole* (3). Eodem sensu Tertullianus, *Contra Praxeam*, cap. IX, *totam substantiam* Patri tribuit, Filium autem *portionem Patris* nominat; *portionis* enim nomen pro derivatione vel ema-

(1) Οὐδὲν πλὴν αὐτὸς ἦν· αὐτὸς δὲ μόνος ὤν, πόλυς ἦν· οὔτε γὰρ ἄλογος, οὔτε ἄσοφος, οὔτε ἀδύνατος, οὔτε ἀβούλευτος ἦν· πάντα δὲ ἦν ἐν αὐτῷ, αὐτὸς δὲ ἦν τὸ πᾶν· ὅτε ἠθέλησεν, καθὼς ἠθέλησεν, ἔδειξε τὸν λόγον αὐτοῦ καιροῖς ὡρισμένοις παρ' αὐτῷ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐποίησεν .... τὸν λόγον ἔχων ἐν ἑαυτῷ, ἀόρατον τε ὄντα τῷ κτιζομένῳ κόσμῳ, ἀόρατον ποιεῖ, προτέραν φωνὴν φθεγγόμενος, καὶ φῶς ἐκ φωτὸς γεννῶν. *Bibl. Patrum* Gallandi, tom. II, pag. 460, edit. Venet.

(2) Quod quidem evincit tum ex ipso anathematismo symboli nicaeni, epistolae Imperatoris Constantini, s. Zenonis, ac praecipue, ut diximus, s. Athanasii. Verum cavendum est ab hujus auctoris lectione, juvenibus praesertim, quia ubique fere odium suum in ecclesiam catholicam patefacit.

(3) Ἕτερον δὲ λέγων οὐ δύο Θεοὺς λέγω, ἀλλ' ὡς φῶς ἐκ φωτὸς, ἢ ὡς ὕδωρ ἐκ πηγῆς, ἢ ὡς ἀκτῖνα ἀπο ἡλίου.

natione, quam nos *processionem* dicimus, usurpat, quae derivatio totius sit substantiae in Filio. Nec enim ignorare poterat vir doctissimus, quod et rudes sciunt, divinam substantiam simplicissimam esse et indivisibilem, ex qua *portio* nulla rescindi possit, sed quae aut tota communicetur aut nullo modo (1).

235. Eodem sensu intelligendi sunt Ignatius, Irenaeus, Justinus aliique, dum Filium vocant *Patris administrum*, *Patris subditum* dicunt, ejusque *voluntati servientem*, *consilio ac voluntate Patris genitum*; quia nempe Pater per ipsum omnia condidit, at quia non invite etsi *necessario*, summa tamen voluptate ipsum genuit, dum e contra creaturae sola ipsius voluntate ex nihilo prodierunt. Sic Justinus alibi Filium secundam post Patrem *potestatem* appellat, id est, personam; aliquando Patrem *causam* Filii dicit, id est principium. Ceterum et ipsi s. Athanasius, *Orat. III contra Arianos*, Hieronymus, *Apolog. I Cont. Ruffinum*, Augustinus, *Adversus Maximinum*, et Cyrillus Alex. *Dial. III. de Trin.* iisdem vocibus saepe usi sunt; quia scilicet totum quod habet Filius, accipit a Patre, et quia Patris ratio excellentiam quamdam exprimit, qua major aliquo modo sit Filio.

236. Ad 3. *D.* Solum Patrem *invisibilem* et *immensum* dixerunt, ratione nempe missionis ac derivationis *ad extra*, quam utique nullam habuit Pater, *C.* ratione praestantioris naturae *N.* Itaque non de derivatione *ad intra*, sed de sola derivatione *ad extra* sermonem habent patres citati, et praesertim Tertullianus, dum *Contra Praxeam*, cap. XIV, dicit: *Patrem invisibilem pro plenitudine majestatis*, *visibilem vero Filium pro modulo derivationis*; quod solis similitudine explicat, quem nobis intueri non licet, *radium autem ejus toleramus*

(1) Bullus loc. cit. pag. 10, fuse exponit mentem Tertulliani, sed melius Maran, lib. IV, cap. 11 et 12.

oculis pro temperatura portionis, quae in terram inde porrigitur. Scilicet quidam veteres patres in ea fuerunt sententia, quod Deus, cum loqueretur prophetis et patriarchis, Filium suum miserit in ea humana figura, quam assumpturus erat in incarnatione. Ceterum privata haec fuit veterum illorum opinio. Augustinus aliique patres apud Petavium, *De Trin.* lib. VIII, cap. II, modo Patrem, modo Filium, modo Spiritum Sanctum, modo Trinitatem totam visam a prophetis in symbolis ac schematibus docent. Certe *invisibilem* et *immensum* etiam Filium dixerunt veteres, *qui ne animo quidem comprehendi possit* (1), ut ait auctor antiquissimus *Epistolae ad Diognetum*, inter opera s. Justini (2); superius protulimus s. Irenaei in hanc sententiam testimonium.

237. Ad 4. *D.* Ex parte eusebianorum vel Arii fautorum, *C.* ex parte catholicorum *N.* In ea siquidem synodo Ario favebant Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicaeae, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricae et Secundinus Ptolemaïdis episcopi, viri subdoli, eloquentes, acuti, qui subtilitatibus suis turbare simpliciores ac minus eruditos poterant; subdit tamen Eusebius, *De vita Constantini*, lib. III cap. XIV: *Unius fidei consonantiam apud omnes obtinuisse* (3).

238. Ad 5. *Neg.* Pessimam enim ac falsam ejusmodi Jurieu consequentiam prorsus evertit s. Athanasius, dum in opere de Synodi Nicaenae decretis, pag. 233, sic arianos alloquebatur: *En igitur nos quidem demonstravimus istiusmodi sententiam* (de Filii cum Patre consubstantialitate) *a Patribus ad Patres quasi per manus esse traditam. Vos autem, o novi Judaei et Caïphae discipuli, quos demum assertionum vestrarum Patres*

(1) Τὸν λόγον τὸν ἅγιον, καὶ ἀπρονόητον. *Verbum sanctum ac incomprehensibile.*

(2) Hunc auctorem plures eruditi ipso Justino anteriorem aetate censent.

(3) Ὁμογνωμόνας καὶ ὁμοδόξους ἐπὶ ἀμφισβητουμένοις ἅπασιν.

ostendere valetis? Ne unum quidem ex prudentibus et cordatis nominare potestis; cuncti vos aversantur, praeter unum diabolum, qui solus hujus definitionis vobis auctor fuit (1).

239. IV. Inst. 1. Si ita est, qui igitur est factum, ut ariana doctrina totum fere orbem pervaserit? Cur 2. in baptismi administratione nulla fiebat expressa divinitatis Filii et Spiritus Sancti mentio, ut patet ex compendiosa fidei professione, quam baptizandus emittere debebat: *Credo in Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum*? Cur 3. denique ejusdem harum personarum divinitatis nulla mentio occurrit in symboli expositionibus apud Irenaeum et Tertullianum?

240. Resp. ad 1. *Neg.* factum, quod falso supponitur; 1. Ariani enim proprie dicti semper pauci fuerunt; 2. ut se tegerent, formulas suas catholicae fidei conformes, saltem in cortice litterae, ediderunt; 3. populi alieni semper ab hac impietate fuerunt; 4. fraudibus interdum, ut mos est haereticorum hominum, venenum ac subdole propinare, interdum vi et aperta violentia illud ingerere ariani moliti sunt; 5. fides nicaena, magno plausu ab omnibus catholicis ecclesiis excepta, triumphum cecinit.

241. Ad 2. *Neg.* pariter, quod nimia confidentia Episcopius obtrudit. Superius ex Celso rationem ostendimus, qua catechumeni instruerentur. Confirmatur responsio ex fidei professione emissa ab Eunucho reginae Candacis, antequam ab baptismum admitteretur, dicente: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Vix in tantulo verborum circuitu, quem nobis objicit Episcopius, clarius Fi-

(1) Ἰδοὺ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι τὴν τοιαύτην διανοίαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δέ, ὦ νέοι Ἰουδαῖοι, καὶ τοῦ Καϊάφα μαθηταί, τίνας ἄρα ῥημάτων ὑμῶν ἔχετε δεῖξαι πατέρας; ἀλλ' οὐδένα τῶν φρονίμων, καὶ σοφῶν ἂν εἴποιτε· πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται, πλὴν μόνου τοῦ διαβόλου· μόνος γὰρ ὑμῖν οὗτος τῆς τοιαύτης ἀποστασίας πατὴρ, κ. τ. λ. num. 27, edit. Maur.

lii et Spiritus Sancti divinitas exprimi potuit, accedente praesertim hujus formulae expositione.

242. Ad 3. Nullam reperiri, ut ait Episcopius, apud Tertullianum et Irenaeum divinitatis Christi mentionem, tam aperte falsum est, ut plane nesciam, inquit Bullus, quo judicio, qua fide quave conscientia illud tam fidenter affirmare potuerit. Sed ita est; nisi haeretici et increduli mentiantur, nihil proficiunt. Plura exempla dedimus.

243. II. Obj. Saltem Nicaena synodus vocem consecravit obscuram et ambiguam. 1. Vox enim ὁμοουσίος sponte sua non ad unitatem *numericam*, sed *specificam* refertur. Aristoteles vocat stellas ὁμοουσίας; homines ὁμοούσιοι sunt, quia ad eamdem speciem pertinentes substantiae. Quare 2. merito hanc vocem proscripserat, longe ante Nicaenum concilium, synodus Antiochena, contra Paulum Samosatenum anno 269 vel 270 congregata. Dicendum propterea 3. patres Nicaenos fuisse tritheismi labe infectos, ut patres alii non pauci per ea tempora. Ergo (1).

(1) Ita Clericus in *Epist. crit.* III. pag. 91. Qui exinde infert patres Nicaenos fuisse tritheistas: *Credebant enim*, inquit (in notis ad illud Joannis: « Et hi tres unum sunt »), substantiae unitatem, non numeri singularitatem, ut loquitur Tertullianus, hoc est, unicam esse specie substantiam Patris et Filii et Spiritus Sancti, sed numero triplicem; et vades tam iniqui judicii dat Petavium, Curcellaeum, Cudworthum, etc. Eadem repetit pluribus in locis, praesertim tom. III, *Biblioth.* p. 507; tom. X, pag. 29, 30, 434, etc. Quem imitatus Gibbon in *Hist. casus Imperii Rom.*, loquens de voce *homousion*, spectat eam tanquam vocabulum mysteriosum, quod unusquisque ad suam exprimendam opinionem poterat contorquere; et ideo, inquit, illud admisit major pars episcoporum qui concilio Nicaeno interfuerunt, quorum nonnulli Trinitatem nominalem tantum admittere visi sunt, alii vero, inter quos doctissimus Gregorius Nazianzenus, et intrepidus Athanasius tritheismo favebant, etc. Vid. cap. 21, pag. 22, tom. III, edit. Londin. 1823. At 1. inique prorsus Clericus et Curcellaeus Petavium inter patrocinatores suos recensent, *quo* (ut loquitur Maran. lib. IV, cap. 29, n. 1), *nemo melius unitatem essentiae numericam ex graecis latinisque patribus demonstravit.* Sane Petavius, *De Trin.*, lib. IV, cap. 13. unicam esse numericam essentiam in tribus personis ex doctrina patrum quinque argumentis invicte demonstravit. Haec apud Petavium Clericus legere debuit, praesertim cum ipse sub ementito nomine Thomae Alethini notulas apposuerit Petaviano operi editionis Antverpiensis, quae revera Amstelodami

244. Resp. ad 1. *Neg.* in sensu, quo a Nicaena synodo usurpata fuit. Nam adeo explorata res erat, per vocem *consubstantialem* patres Nicaenos intellexisse unitatem numericam, ut nullum lapidem non moverint ariani eorumque fautores, ut illos ab hac voce consecranda dimoverent; sed frustra, quia patres deprehenderunt aptissimam hanc vocem esse ad omnes versutias et fraudes eusebianorum praecavendas. Post Nicaenam synodum nihil intentatum illi haeretici reliquerunt ad eam formulam supprimendam aliamque ipsis minus incommodam

excusa est anno 1700, et ad loc. cit. not. 26, juxta praeconceptam suam sententiam scripserit: « Ut hodierno more responderemus, unam rationem unitatis diceremus singularitatem unius numero essentiae; qua posita, ceterae memoratu dignae non sunt. Sed aliter olim philosophabantur ». Sed maluit Curcellaeum sequi, qui in *Appendice ad suam dissertationem* accisum et detruncatum Petavii locum descripsit. Curcellaeum et Clericum imitatus est *Faydit* in *Apol. system. SS. PP.* pag. 89. Num melius quidquam expectes ab iis, quos neque fides neque conscientia urget? 2. Quod attinet ad tritheismum patrum juxta Gibbonium aliosque ejusdem farinae homines, qui accusant potissimum de hoc errore s. Athanasium, ceteris praetermissis, satis nobis sit iis opponere alium heroem, cujus auctoritatem ipsi recusare non possunt. Wegscheider enim § 89, in not. *a*, sic fidenter scribit: « Vocabulum ὁμοούσιος a Patribus Nicaenis non eodem, quo postea ad normam doctrinae orthodoxae definitum est, sensu, hoc est, de *identitate* naturae et substantiae dictum fuisse, negari nequit (Miraminor intrepidi judicis definitivam sententiam): Patres Nicaeni hac voce potius substantiam divinae omnino ὁμογενῆ et unitatem quamdam specificam, arctissimam quidem et perfectissimam, cujusmodi in nullis aliis ejusdem speciei naturis deprehenditur, significasse videntur, ita ut Patri et Filio singulas virtutes divinas, velut aeternitatem, immutabilitatem, eodem sensu attribuerent, hoc tantum inter Patrem Filiumque discrimen statuentes, ut ille ἀγεννητός sit, hic ἐκ τῆς φύσιας τοῦ πατρός ab aeterno genitus. Athanasius autem postea huic vocabulo, a Synodo Nicaena non accuratius definito, suam ipsius de Filio, τῷ λόγῳ, scilicet sapientia Dei ab aeterno subsistente, sententiam substruxit, qua et ipse *unitatem Patris et Filii numericam*, ἑνότητα καὶ ταυτότητα τῆς οὐσίας τριάδα ἐν μόναδι *unitatem et identitatem naturae*, *Trinitatem in unitate*), non *ternionem* quemdam, sed *trinunitatem*, ab Augustino demum strictius finita indicabat.... Qua trinunitate accepta, ὁμοουσιοῦ (consubstantialitatis) notio ad doctrinam orthodoxam accommodate sic constituitur, ut tres esse personas αὐτοθέους in una eademque essentia divina solo charactere hypostatico a se invicem distinguendas ». Juxta Clericum, Curcellaeum, Gibbon, etc. Athanasius fuit coriphaeus tritheistarum; juxta Wegscheider, Fuchs, Münscher, seu rationalistas idem Athanasius fuit auctor unitatis numericae! Sed cfr. ipse Athanasius in libro *De decret. Nic. Syn.* n. 19. et 20, et apparebit quanta sit impiorum omnium impudentia.

substituendam, ut patet ex tot formulis ab ipsis editis, atque ex ipso concilio Ariminensi. Catholicos per contemptum *homousianos* vocabant. Porro de voce obscura et ambigua vaferrimi haeretici adeo solliciti minime fuissent.

245. Ad 2. *Neg.* Exploratum jam est apud melioris notae criticos, supposititiam esse illam synodi Antiochenae damnationem vocis ὁμοουσίας; quod patet 1. ex eo quod nonnisi post 90 annos a celebratione illius synodi a semiarianis in concilio Ancyrano anno 358 mentio hujus damnationis facta fuit; 2. ex silentio arianorum, quos profecto illa damnatio, si extitisset non potuisset latere; 3. ex silentio eruditissimi Eusebii Caesariensis, addictissimi arianis, et cui semper illa vox displicuit; qui non solum tacet suppositam illam damnationem, sed ultro fatetur vocem illam ab antiquis patribus fuisse usurpatam, quemque constat eidem in conc. Nicaeno subscripsisse; 4. ex eo quod ss. Athanasius, Hilarius, Basilius, decepti in hoc facto a semiarianis fatentur se acta illius synodi non vidisse (1); 5. ex accusatione data Dionysio Alex. apud Dionysium Rom. Pont. quod *Filium rem creatam nec Patri consubstantialem*, ὁμοούσιον diceret; 6. ex apologia s. Pamphili pro Origene paucis annis post illud decretum exarata, in qua ostendit Filium consubstantialem Patri; 7. ex eo quod in damnatione Pauli Samosateni saepius eadem voce utitur eadem synodus (2).

246. Ad 3. Resp. hanc non esse nisi infamem calumniam prolatam in illos sanctissimos patres a nostris unitariis, quibus patres Nicaeni nimis odiosi sunt et invisi. Quod veteres ariani ne suspicati quidem sunt, id nunc

(1) Cfr. Maran, lib. IV, c. 29, § 2.

(2) Cfr. Maran, *Dissertat. sur les semi-ariens*, Paris 1722, nec non *Diss. de voce Homousion*, auct. P. Liberato Fassonio, congr. schol. piarum, Romae 1753, quam suo *Thesauro Theologico* inseruit P. Zaccaria, vol. III, pag. 211.

rationalistae, quibus in asserendo perfricta frons est, pro certo ac indubitato habent (1).

CAPUT IV.

DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI

247. Divinitatem Spiritus Sancti praeter obscuros nonnullos haereticos quorum meminit s. Ignatius in *Epist. ad Trallianos*, directe impugnarunt macedoniani, sic dicti ab auctore sectae Macedonio ariano constantinopolitano antistite intruso sub Imperatore Constantio. Hic docuit Spiritum Sanctum creaturam esse, ac proinde natura et dignitate Deo longe inferiorem. A pluribus synodis, tunc temporis celebratis, proscriptus ejusmodi error statim fuit, ac praesertim in oecumenica Constantinopolitana I., anno 381.

248. Sociniani ulterius progressi, inficiati sunt Spiritum Sanctum personam esse subsistentem; sed contendunt eo nomine non designari nisi Dei virtutem seu vim et efficaciam.

249. Rationalistae eamdem instaurarunt impietatem, ac nusquam in Scripturis hypostaseos verae notionem Spiritui Sancto tribui contendunt (2).

250. Hi omnes in Spiritum S. blasphemi, reique propterea *aeterni delicti*, communi, *pneumatomachorum* nomine censentur. Quibus armis dogma ss. Trinitatis ac divinitatis Verbi propugnavimus, iisdem Spiritus Sancti divinitatem adversus eos defendere nunc aggredimur. Quum

(1) Cfr. Maran, lib. IV, cap. 30, ubi usque ad evidentiam ex publicis et notoriis factis evincit, numeralem essentiae unitatem a patribus Nicaenis et subsequentibus propugnatam fuisse.

(2) Henke, lib. I, pag. 104 et seq.; Ammon, *Bibl. Theol.* pag. 252 et seqq.; Ei, *Summa Theol. Christ.* p. 92 et seq.; Schmid, *Die Christl. Religion als Wissenschaft*, seu *Christiana religio tanquam scientia*, Jenae 1797, p. 317 et seqq.; *Loffler zu Sonverain über den Platonismus* etc., seu, *Loffler ad Souverain, de Platonismo Ecclesiae Patrum*, pag. 426 et seqq. apud Weisch.

vero illa argumenta, quae ex ss. Litteris et universa traditione promemus, non modo Spiritum Sanctum vere proprieque Deum esse evincant, sed et peculiarem hypostasin seu personam subsistentem, hinc postremum istud instar corollarii, prout nempe praestitimus de Verbo agentes, ex asserta ipsius divinitatis veritate deducemus. Sit itaque:

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est, ut in primis ex Scripturis constat

251. Est haec propositio de fide, prout ex omnibus fidei nostrae professionibus ac symbolis patefit.

252. Sic vero ejus veritatem ostendimus ex Sacris Litteris: Scripturae Spiritui Sancto Dei nomen tribuunt ac divinas proprietates et operationes; ergo ex Scripturis Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est.

253. Ac primo quidem Dei nomen et appellationem Spiritui Sancto tribuunt Actus apost V, 3, 4. Sic enim Petrus Ananiam objurgat: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?... Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ille enim, cui mentitus est Ananias, Deus dicitur; atqui hic est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus Deus vocatur. Rursum Heb. III, 7, ait Apostolus: *Quapropter sicut dicit Spiritus S.: Hodie si vocem ejus audieritis;* hunc autem Spiritum S. versu 12 Deum vocat, dicens: *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Ex quibus idem exsurgit argumentum. Quod pariter conficitur ex Is. VI, 9, ubi Dominus Deus Sabaoth locutus esse dicitur: *Audite audientes et nolite intelligere.* Atqui haec verba tanquam prolata a Spiritu Sancto refert Apostolus, Act. ult. 25, dicens: *Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaïam... dicens:*

vade ad populum istum, etc. Ergo ex Apostolo idem est Dominus Sabaoth ac Spiritus Sanctus. Idem praeterea Apostolus I Cor. III, 16, fideles templum Dei vocat: *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* ac postea (Ibid. VI, 19) eosdem Spiritus Sancti templum esse confirmat, dicens: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Deum propterea Spiritum Sanctum expresse nominat hic et alibi passim.

254. 2. Nec solum nomen, sed et proprietates, quae uni Deo competunt, passim Scripturae Spiritui Sancto tribuunt. Cujusmodi sunt *omniscientia*, I Cor. II, 10 et seqq.: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei... quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*; et Joan. XVI, 13: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* item *omnipraesentia* Sap. I, 7: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum;* et Psal. CXXXVIII, 7; *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Omnipotentia*, Psal. XXXII, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*; ac Luc. I, 35, *Virtus Altissimi* dicitur; nec non *vivificandi vim*, Rom. VIII, 11, Apostolus ei tribuit, scribens: *Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis... vivificabit et mortalia corpora vestra.*

255. 3. Scripturae Spiritui Sancto tribuunt praeterea operationem et efficientiam divinam. Talis est *inspiratio prophetarum* I Pet. I, 11, qui futura praenunciarunt, prout significavit eis *Spiritus Christi*; ac rursum II Pet. I, 21: *Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines; Creatio* et *rerum conservatio*, Psal. CIII, 30: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur et renovabis faciem terrae; Operatio miraculorum*, Matth. XII, 28: *In Spiritu Dei ejicio daemones*, et I Cor. XII, 4; *Opera gratiae*, cujusmodi sunt *Christi conceptio*, Luc. I,

35; *Unctio* et *missio*, Is. LXI, 1; *Peccatorum remissio* et *regeneratio*, I Cor. VI, 11; *Regimen Ecclesiae*, Act. XIII, 2; *Collatio donorum*, I Cor. XII, 4: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministrationum sunt, idem vero Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus; Sanctificatio*, II. Thess. II, 12, et I Pet. I, 2; *Diffusio charitatis*; Rom. V, 5; *Resurrectio mortuorum*, Rom. VIII, 11.

256. 4. Idem cultus et honor tribuitur Spiritui Sancto qui Patri et Filio; ut patet ex forma baptismi, de qua superius diximus; et rursum II Cor. XIII, 13, sic Apostolus tres personas conjungit dicens: *Gratia D. N. J. C. et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.*

257. 5. Ita Spiritus S. Filio comparatur, ut dicatur (Joan. XIV, 16) *alius Paraclitus*, per comparationem ad Christum; eadem origo divina ipsi adscribitur, ibid. XVI, 26, vocante eum Christo *Spiritum veritatis*, *qui a Patre procedit*; eadem ratione ac de Filio dicitur, quod *exierit a Deo.*

258. Ex quibus omnibus sic instruimus argumentum: Ille vere et proprie Deus dicendus est, cui Dei appellatio divina, divinae operationes, divinus cultus, honor et dignitas, divina demum processio et origo tribuuntur; atqui ex dictis talis est Spiritus Sanctus juxta Scripturas; ergo.

259. Rursum: Ille non sola vis, attributum et efficientia, sed vera hypostasis seu persona subsistens dicendus est, qui perhibetur vivens et operans eadem ratione ac illae personae quibus comparatur; quique mitti perhibetur, et alius dicitur, et dicitur procedere, perinde ac Filius Dei, qui certe est persona subsistens; atqui ex demonstratis talis est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus et Deus et divina peculiaris subsistens persona est.

DIFFICULTATES

260. I. Obj. 1. Nusquam substantia quaedam corporea, scilicet *materialis*, hujus Spiritus divini commemoratur; 2. neque modus, quo procedat a Deo, ostenditur. Quod si 3. praedicata divina Spiritui Sancto tribuuntur, recte id fit, quatenus vel ipse Deus hoc Spiritus Sancti nomine significatur (Joan. IV, 24 et seqq. I Cor. III, 16; XII, 6-11), vel 4. vis quaedam Dei in animis hominum efficax, quae pro rudioris aevi ingenio ac dicendi genere tanquam peculiaris natura a Deo procedens cogitatur, ideoque proprietatibus divinis potest ornari. Attamen 5. in ipsis libris sacris nec verae hypostaseos nec processus a Filio notio satis perspicue declaratur. (1). Ergo.

261. Resp. ad 1. *D.* Id est, *subsistens*, *N.* alio sensu *C.* Toties enim in Scripturis substantia proprie dicta et subsistens Spiritus Sanctus praedicatur, quoties Deus dicitur vivens et operans, et distinguitur expresse a persona Patris et Filii; quod fit, ubi a Patre procedere dicitur ac mitti, item accipere de eo quod est Filii, ut Joan. XVI, 15, et inferius expendemus, item ubi mittitur a Filio, ibid. XV, 26. Tum Luc. III, 22: *Et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum* (Christum), *et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus*; quibus verbis tres personae subsistentes et distinctae commemorantur. Quod pariter constat ex I Joan. V, 7, juxta superius demonstrata cap. II, prop. II, (2). Falsum igitur est, quod assumunt adversarii.

(1) Wegsch. § 86.

(2) Ut specimen sumant lectores exegeseos neotericorum biblicorum protestantium, placet hic subjicere, quae in cap. 3. s. Matth. v. 17, adnotavit Georg. Rosenmüller ad illa verba: « Et ecce vox e coelo, etc. קול יהוה saepe, *inquit*, est tonitru, Ps. XXIX, 3 et seqq.; XVIII, 14, et sic φωνή legitur etiam Apocal. VI, 1. Hebraei autem aeque ac

262. Ad 2. *Trans.* et *neg. cons.* Ex eo enim, quod modus alicujus rei expresse non tradatur, concludi nequit non existere rem ipsam. Modum ignoramus, quo anima agat in corpus, et vicissim; ergo non existit anima? digna rationalistarum dialecticae consecutio.

263. Ad 3. *D.* Ratione naturae, *C.* ratione personae, quatenus scilicet Pater antonomastice Spiritus vel Spiritus Sanctus dicatur *N.* Nuspiam enim Pater, prout persona peculiaris est a reliquis distincta, Spiritus, multo minus Spiritus Sanctus vocatur. Primus autem locus (Joan. IV, 24), qui nobis objicitur: *Spiritus est Deus*, refertur, ut patet, ad divinam naturam in concreto; reliqua autem duo de Spiritu Sancto sunt, qui Deus dicitur et donorum auctor et distributor. Dicitur enim *idem Deus*, *idem Spiritus*, *dividens prout vult.*

264. Ad 4. *Dist. antec.* A Spiritu S. immissa seu producta, *C.* exclusa Spiritus Sancti persona *N.* Spiritus Sancti persona cum ipsius operationibus ac donis seu effectibus confundi nequit, prout unitarii ac rationalistae passim faciunt. Falsum praeterea est a rudioris aevi ingenio (nondum a rationalistis exculto) tanquam peculiarem naturam (catholici dicunt *personam*) procedentem a Deo excogitatam esse; sed a Christo ipso, ut vidimus, et sacris scriptoribus originem habet dogma istud.

265. Ad 5. *Neg.* Contrarium enim ostendimus, et clarius adhuc fiet ex iis, quae adversus graecos disseremus.

Graeci et Romani fulmina et tonitrua annumerabant signis praesentiae Dei et prodigiis divinitus factis, quorum significationem ex rerum circumstantiis dijudicabant. Vid. I Reg. VIII, 10; XVIII, 38, 39; Ovid. Fastorum IV, 834; Virgil. Aeneid. II, 693. Tonitru igitur Joanni erat publica declaratio Dei Jesum esse Messiam... Sed illa filia vocis (vox de coelo φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν) plerumque nihil aliud fuit quam vox aut echo temere aliunde auribus illapsa, ex qua, divina ei origine adscripta, auguria capiebant homines superstitiosi, vel etiam vox hominum aliorum, quam ominis loco arripuerunt, et in rem suam interpretati sunt». Ex his patet nihil aliud intervenisse in baptismate Christi quam tonitru et ignea species, ut in versu praecedenti exponit, ex quibus Joannes Baptista ac reliqui praesentes omen sumpserunt de Jesu Messia, etc. Si hoc non sit verbum Dei pervertere, quid sit nescio.

*

266. I. Inst. Spiritus Sancti in columbae specie apparitionem non esse nisi mythum inde patet, quod 1. fieri nullo modo possit, ut natura infinita finitae speciem et formam induat, et ut Deus corpore qualicumque in oculos sensusque incurrat, id quod in N. T. libris diserte negatur (Joan. I, 18; I Tim. VI, 16). Sic 2. narratio, quae Act. Apost. II, 1 et seqq. legitur de dono peregrinis linguis loquendi, primum apostolis tributo, conferre licet cum mytho de confusione linguarum, qui Gen. XI, 1 et seqq. exponitur. (1). 3. *Cultus* autem *divinus*, qui Spiritui Sancto tribui dicitur, non innititur nisi argumentis dubiis ex Matth. XXVIII, 19; II Cor. XIII, 13; Rom. IX, 1, petitis; ergo ex his nihil confici potest ad adstruendam peculiarem Spiritus Sancti hypostasin, ejusque divinitatem.

267. Resp. *Neg. A.* Ad 1. prob. *Neg.* pariter, nihil enim vetat quominus natura infinita finitae speciem et formam induat. Tunc solum haberetur repugnantia, si diceretur natura infinita simul finita esse; minime vero si dicatur haec infinita natura seu Deus adsciscere speciem et formam naturae finitae, sive realem, ut factum est in incarnatione, sive symbolicam, ut ex veterum patrum sententia factum legitur in tot apparitionibus, quas exhibet V. T., et per quas utique Deus potest in oculos sensusque incurrere. Ast hoc non arridet rationalistis. Quid inde? Insanientes corrigere supervacaneum est. Responsioni autem non repugnant objecta Scripturarum loca, in quibus dicitur: *Deum nemo vidit unquam*; *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*; quae intelligi debent de natura divina, prout in se est, non autem prout apparet in assumpta specie, vel forma, sive reali sive symbolica.

268. Ad 2. *Neg.* Jam alias adnotavimus hoc mytho-

(1) Ibidem.

rum inventum non esse nisi somnium rationalistarum ad eludendam Scripturarum auctoritatem in iis omnibus, quae naturae vires excedunt, quaeque ipsi detrectant admittere. Quis ferat mythum dici factum illud, quo commota est universorum Solymorum civitas, ac multa hominum millia Christi fidem amplexa sunt; quod repetitur Act. X, 44, in Cornelio ejusque familia; et ibid. XIX, 6; insuper de dono loquendi linguis peregrinis disserit Apostolus I Cor. XIV, tanquam de re notissima atque inter primos fideles communi. In hypothesi adversariorum Scriptura inscribi deberet *mythologia sacra*.

269. Ad 3. *Neg*. Ea enim argumenta ad haec usque tempora pro certis habita sunt. Quotiescumque rationalistae nesciunt argumentis catholicorum respondere, ea vocant dubia, nec talis dubii aliquam rationem afferunt.

270. II. Inst. 1. Eodem jure, quo ex locis Joannis *alium* Paraclitum pollicentibus *personae* notionem exsculpunt veteres, postulari poterat, ut vere novum quemdam post Jesum doctorem, qualis ipse Jesus, prodiisse atque in susceptum ab Jesu opus successisse probarent (1). Verum 2. ejusmodi personam apostoli neque expectarunt, neque ipsi adfuisse unquam professi sunt; quippe 3. Spiritum illum in alia quadam natura, sive Deo, sive Christo, sive homine, versantem et operantem plerumque inducunt, quemadmodum mortem (Rom. V, 12; Jac. I, 15), peccatum (Rom. VI, 12 et seqq.; VII, 14 et seqq.), legem (Rom. VII, 23; Gal. III, 24) et Scripturam Sacram (Gal. III, 8) personae forma induunt, nec usquam tanquam naturam quamdam individuam exhibent. Ergo.

271. Resp. ad 1. *D*. Si Jesus alium hunc Paraclitum pollicitus esset visibilem ac sibi similem in natura assumpta, *C*. si tota orationis ejus series invisibilem ac in

(1) Ita Henke, *Lin. fid. christ.*, pag. 106.

propria divina natura subsistentem eum indicabat *N.* Omnes vero notae, quibus Christus promissum Paraclitum designavit, tales sunt, ut decipi apostoli non potuerint circa modum, quo esset ipsis ille alius Paraclitus adfuturus. Nam Joan. XIV, 17, eum vocat Spiritum veritatis, *quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Sicut et de Patre suo et de se dixit, v. 23: *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum* (justum) *faciemus*; et ibid. XIV, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*; et rursum Act. I, 4 et seqq. iis characteribus Spiritum Sanctum, in quo baptizari debebant, exposuit, ut ne suspicarentur quidem Apostoli, se visuros veluti alterum Jesum promissum sibi Paraclitum. Qui igitur vocatur Spiritus veritatis, qui venturus esset ad apostolos, et cum iis eorumque successoribus mansurus in aeternum ea ratione, qua Pater et Filius habitaturi erant in anima justi, non poterat ab apostolis expectari ut persona adspectabilis atque ut alter Jesus; atqui talis est alius Paraclitus a se distinctus, quem ipsis pollicitus est Christus; ergo immerito rationalistae asserunt, a veteribus postulari potuisse, quod non est nisi ipsorum rationis figmentum. Addo veteres etiam ex traditione scire potuisse cujusmodi esset promissus ille Paraclitus.

272. Ad 2. *D.* In sensu adversariorum, *C.* alio sensu *N.* Acta apostolorum nobis eos exhibent expectantes sibi promissum Spiritum S., et apostolum Petrum pro concione exposuisse quid acceperint; et rursum cap. XI, 15, et alibi passim. Mentiuntur propterea rationalistae, dum talia obtrudunt.

273. Ad 3. *Neg.* Etsi enim frequenter Apostolus delectetur ejusmodi prosopopaeiis, ex subjecta materia fi-

gura facile intelligitur ; at cum per prosopopaeiam designasse pariter Spiritum S. nunquam evincent adversarii. Talia enim in Scripturis occurrunt, quae illam omnino excludant, ut ex dictis constat.

274. III. Inst. 1. Ipsa appellatio *Spiritus Dei*, *Spiritus Christi*, quae passim in Scripturis Spiritui S. tribuitur, ostendit peculiarem personam eum non esse, prout non est persona spiritus hominis, qui in ipso est, nec ab eo distinguitur. 2. Baptizamur praeterea in Spiritu S. ; at ille in quo baptizamur, persona esse non potest, siquidem baptizamur pariter in aqua. Addatur 3. Spiritum S. saepe dici Dei donum ; et 4. in multos effusum, ut die Pentecostes (Act. II). Rursum 5. Spiritus S. mentibus quasi inhaerens excitari perhibetur (Ps. L, 13, 14; Is. LXIII, 10, 11) ; sic pariter homini cuidam tribuitur et aufertur vel mediorum externorum ope (I Reg. X, 6, 11 ; XVI, 14) v. g. unguento (ibid. XVI, 13; Jud. XV, 14 ; XVI, 20) ; et quasi particulae ejusdem ab uno viro, qui eo imbutus est, ad alios multos transferuntur (Num. XI, 17, 25). Quae quidem aliaque his similia personae subsistenti convenire non possunt. Ergo.

275. Resp. ad 1. *D.* Si haec denominatio referretur ad essentiam seu essentiae partem, cujus Spiritus dicitur, *C.* si ad personam, et quidem relative ac notionaliter *N.* Hinc patet discrimen quod intercedit inter hanc denominationem, quando usurpatur de homine, et quando usurpatur de Persona divina. De homine vox spiritus non potest sumi nisi quoad ipsius partem essentialem ; at quoad Deum si sumatur relative, non potest accipi nisi de Persona ; contra vero si absolute accipiatur, denotat ipsam divinam essentiam seu naturam. Ex subjecta proinde materia dignosci debet, quando vox *spiritus* relative, quando vero absolute accipiatur, tum etiam quando pro essentia aut parte essentiali, quando autem pro persona. Quod si Apostolus (I Cor. II, 11) compa-

rare videtur Spiritum, qui in Deo est, cum Spiritu, qui est in homine, liquet ex contextu comparationem referri ad modum cognoscendi, non autem ad modum subsistendi, eo magis quod in divinis praesertim una persona in altera esse possit juxta illud Christi dictum Joan. X, 38: *Pater in me est, et Ego in Patre.*

276. Ad 2. *D.* Improprie, *C.* proprie *N.* Dicimur autem baptizari in Spiritu S., sicut dicimur baptizari in Christo, qui utique persona est, ipsis fatentibus unitariis; improprie tamen, nempe in virtute Christi ut causae meritoriae justificationis, quam per baptismum adipiscimur; in virtute autem Spiritus S. ut causae efficientis ejusdem justificationis et baptizamur in aqua ut causa instrumentali.

277. Ad 3. *D.* Donum Dei personale et subsistens, *C.* accidentale *N.* Eadem scilicet ratione Spiritus S. interdum in Scripturis sic vocatur, qua ipse Filius pariter donum Dei dicitur; ut Joan. III, 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, et alibi passim; quatenus Deus ex sua in nos gratuita misericordia Spiritum S. misit, prout miserat Filium.

278. Ad 4. *D.* Effusum novo effectu in apostolos atque credentes, *C.* divisum *N.* Sed idem potius Spiritus est, qui dona sua dividit singulis, prout vult, ut dicitur I Cor. XII, 11; ideoque active, non passive effunditur Spiritus S., quemadmodum dicimur Christum induere, aliaque ejusmodi.

279. Ad 5. *D.* Excitari perhibetur in suis effectibus seu in gratia, *C.* in se *N.* Eadem ratione dicitur tribui et auferri. Falsum vero est ac purum putidumque mendacium mediorum externorum ope id fieri, neque id asserunt loca ab adversario citata; quod si I Reg. XVI, 13, Samuel cornu olei inungit David in regem, non dicitur tamen ope unguenti directum esse Spiritum Domini in David, quod de suo adjecit rationalista; sed tantum refertur, quod, uncto David in regem, Spiri-

tus Domini directus in eum sit et recesserit a Saul, quod intelligendum est de speciali Dei benevolentia et dilectione. Multo minus id dicitur in aliis locis ab adversario nostro adductis, in quibus nec syllaba est de unguento aliisve mediis externis (1).

280. II. Obj. Dato etiam Spiritum S. esse personam subsistentem, non sequitur inde ipsum Deum esse. Nam 1. nusquam expresse in Scripturis *Deus* appellatur; nusquam 2. adorandus vel invocandus proponitur. 3. Dei dona et beneficia enumerans Apostolus I Cor. VIII, 6, ea Patri ac Filio tribuit, nulla injecta de Spiritu S. mentione; quem 4. vel primi Christi fideles penitus ignorabant (Act. XIX, 2). Siquidem a Paulo duodecim discipuli interrogati, num Spiritum S. accepissent credentes, responderunt: *Sed neque, si Spiritus S. est, audivimus.* Quin potius 5. a Filio non obscure *factus* perhibetur illis verbis (Joan. I, 3): *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo.

281. Resp. *neg. ant.* Ad 1. probationem, Resp. 1. Etsi expresse diceretur Deus, num putandum esset unitarios in eum fore credituros? Non puto. Verbum seu Filius Dei saepissime, ut vidimus expresse *Deus*, et *verus Deus*, et *magnus Deus*, et *super omnia Deus* vocatur, num propterea credunt in ejus divinitatem? Eadem ratione se gererent relate ad Spiritum S., si expresse, ut ipsi contendunt, Deus in Scripturis ipse vocaretur, cum non Scripturae sed sibi tantum fidem adhibeant.

282. Resp. 2. *Neg.* Nam expresse Spiritus S. Deus dicitur in iis omnibus locis, quae in probationibus adduximus.

283. Ad 2. *Neg.* Nam in forma baptismi vera invocatio et cultus Spiritus Sancti praescribitur; item cum Apostolus II Cor. XIII, 13, scribit: *Gratia D. N. J. C.*

(1) Habes novum specimen malae fidei rationalistarum, dum adeo aperte mentiri non verentur.

et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit *cum omnibus vobis* (1).

284. Ad 3. *D.* Ut excludatur Spiritus S., *N.* ex peculiari causa *Tr.* Nec enim, quando una vel altera nominatur persona, alia excluditur, ut saepe fit in Scripturis; alioquin e censu divinarum personarum Pater ipse esset excludendus, quod adversarii profecto non admittunt. Ceterum idem Apostolus, tum alibi, tum praesertim ibid. XII, divina charismata Spiritui S. tribuit.

285. Ad 4. *D.* Solo baptismate Joannis tincti, *C.* baptismate Christi *N.* Porro ipsis judaeis ignotum non fuisse Spiritum S. patet ex pluribus locis N. T., in quibus de Spiritu S. sermo est tanquam de re notissima. Luc. enim I, 35, Angelus sic Mariam Virginem affatur: *Spiritus Sanctus superveniet in te*; v. 15 pariter dicit idem Angelus Zachariae: *Spiritu Sancto replebitur*, etc. Sic Matth. I, 20, dicitur Joseph: *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; ut alia omittam.

286. Ad 5. *Neg.* Etenim post allata verba subdit Evangelista: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*; itaque omnia per Verbum facta sunt, *quae* nempe *facta sunt.* At Spiritus Sanctus non est factus, *sed a Patre procedit*, ut dicitur Joan. XV, 26, et *a Filio accipit*, ibid. XVI, 14.

287. I. Inst. Quae in Scripturis Spiritui S. tribuuntur, Deo convenire non possunt. Talis 1. est oratio, de qua Apostolus Rom. VIII, 26: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nec 2. dici potest *efficienter* id praestare, quatenus nos postulare faciat; nam tunc aeque Patri ac Filio adscriberetur hujusmodi efficientia, quae utpote actio ad extra communis est tribus Personis. 3. Negatur ipsi scientia, dicente Christo (Joan. XVI, 13):

(1) Quum ista testimonia ab adversariis inter dubia numerentur, argumentum est apertissimum, validissima haec esse, nec illos habere quidpiam ad illorum vim eludendam.

Non loquetur a semetipso, *sed quaecumque audiet loquetur*. 4. In eamdem sententiam Apostolus (I Cor. II, 10) inquit: *Spiritus omnia scrutatur*, *etiam profunda Dei*; jam vero scrutari est inquirere in aliquam rem, quae perfecte non agnoscitur, quod de divina scientia dici non potest. Hinc 5. est, quod ab hac scrutatione reliquae Personae excludantur. 6. Demum idem Apostolus (ibid. XIV, 32) universim pronunciat: *Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt*. Spiritus autem prophetarum ipse Spiritus Sanctus est, qui propterea Deus esse non potest; ergo.

288. Resp. *Neg. ant.* Ad 1. *D.* Quae sit oratio *improprie*, ut dicitur, et *efficienter*, *C. proprie et formaliter N.* Responsio patet ex contextu: *Spiritus*, inquit Apostolus, *adjuvat infirmitatem nostram; nam*, *quid oremus sicut oportet*, *nescimus*, *sed ipse Spiritus postulat* (id est postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus* (1). Cfr. Matth. X, 20.

289. Ad 2. *D. seq.* Per se, *C.* per *appropriationem N.* Nempe ea ratione tribuuntur Spiritui Sancto gratia aliaque subsidia omnia, quae ad nostram sanctificationem conferunt qua Patri opera omnipotentiae, Filio quae ad sapientiam spectant, etsi haec omnia totius Trinitatis per se atque absolute propria sint.

290. Ad 3. *Neg.* vel *D.* Scientiam mutuatur a Filio, quia ab eodem aeque ac a Patre habet essentiam per processionem ab utroque, ut inferius ostendemus, *C.* ipsi proprie dicta scientia negatur *N.*

291. Ad 4. *D.* Scrutari interdum idem est ac inquirere, *C.* semper et in sensu Apostoli *N.* Idem enim hic valet *scrutari* ac plene perfecteque cognoscere, ut de Deo usurpatur Psal. VII, 10, dum dicitur: *Scrutans corda et renes Deus*, et alibi passim. Et sane, nonne

(1) Vide s. August. Ep. XCVII, alias CV.

ipsi unitarii haec verba exponunt de Deo ipso, cui imperfecta scientia convenire nullatenus potest?

292. Ad 5. *Neg.* Sed, ut contextus postulat, creatae intelligentiae solum excluduntur.

293. Ad 6. *D.* Prout in prophetis est, *C.* prout est in se *N.* Spiritus autem prophetarum subjectos esse dicit Apostolus ob deceptionis periculum; cum fieri facile possit, ut quis falso putet se moveri a Spiritu Sancto, vel etiam fingat se Spiritu Sancto moveri, ac proinde fallatur et fallat. Quare apostolus Joannes I Ep. IV, 1: *Charissimi*, scribit, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.*

294. I. Inst. 1. Spiritus Sanctus non est vox relativa. Deinde 2. vel genitus est vel ingenitus; si genitus, Filius est; si ingenitus, Pater. Rursum 3. si a Patre procedit sciut et Filius fratres igitur erunt Filius et Spiritus S.; quod si procedat per Filium, Pater avus ipsius erit, quae omnia absurda sunt. Sic veteres pneumatomachi apud s. Athanasium (1).

295. Resp. ad 1. *D.* Per se, *Tr.* (2) relative non usurpatur *N.* Ad 2. vero respondeo, Spiritum Sanctum nec genitum, nec ingenitum esse, sed procedere, ut fidei formulae et Scripturae nos docent. Ad 3. dico, ipsum procedere a Patre et Filio tanquam ab unico principio, ut ostendemus. Sicque evanescunt frigidae ejusmodi cavillationes, in quibus diu immorari nefas puto.

PROPOSITIO III.

Spiritum Sanctum vere ac proprie Deum esse ex sensu ecclesiae traditionali confirmatur

296. Iis omnibus suppositis, quae ex traditione attu-

(1) *Epist.* 1 *ad Serapionem.* (2) S. Th. p. 1, q. 36, art. 1.

limus ad veritatem adstruendam Trinitatis personarum, quaeque pro persona divina Spiritus Sancti pariter militant, addere placet peculiaria documenta, quae tertiam hanc divinae Trinitatis personam propius attingunt.

297. Ac 1. quidem Spiritum Sanctum tanquam peculiarem personam, eamque divinam ac subsistentem exhibent patres apostolici; atque inter ceteros Hermas, seu vetus auctor libri dicti *Pastoris*, qui floruit sub finem saeculi I, vel sub initium saeculi II, qui lib. III, cap. V, ubi Angelus explanat parabolam Patrisfamilias, de qua supra egimus, aperte distinguit Spiritum Sanctum a Patre et Filio, dicens: *Orbem terrarum fundus ille significat, qui in similitudinem est positus. Dominus autem fundi demonstratur esse is, qui creavit cuncta... Filius autem* (fundi) *Spiritus Sanctus est. Servus vero ille Filius Dei est* (1); et infra: *Quare autem Dominus in consilio adhibuerit Filium* (fundi, id est Spiritum Sanctum) *de haereditate et bonos angelos? Quia nuncius audit Spiritum Sanctum, qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus.* Ex quibus habemus 1. Spiritum Sanctum apertissime distingui a Patre (secus ac placet socinianis et rationalistis), a quo in consilium adsciscitur; 2. Spiritum Sanctum ejusdem esse naturae cum Patre, eo ipso quod dicatur *Filius* ad exprimendam intimam cum Patre conjunctionem eamdemque utriusque naturam (2); 3. corpus servo (fundi, nempe Filio) a Spiritu Sancto conformatum doceri, ut dignum et idoneum esset in quo Deus habitaret (3). Quae omnia evincunt Hermam aper-

(1) Vocat Hermas filium *servum*, eo quod, ut ibidem exponit, etsi omnium Dominus sit, servilem formam induit in Incarnatione, quibus verbis alludit ad illud Pauli: *Qui cum in forma Dei esset*, etc.

(2) Vox enim *amici* non exprimebat quod Hermas intendebat, ideoque eam Angelis servavit.

(3) Ex quo patet, quam longe abfuerit Hermas a socinianis, qui contendunt, Christum dici Filium Dei, eo quod conceptus fuerit de Spiritu Sancto; dum e contrario Hermas affirmat, ideo Christum conceptum esse de Spiritu Sancto, quia est filius

ta fronte rationalistis adversari. Vidimus praeterea Spiritum Sanctum glorificari a s. Polycarpo una cum Patre et Filio, et ab utroque distingui.

298. S. Clemens Romanus: *Ille ergo*, inquit, *Spiritus Sanctus est et rectus, qui ab ipso* (Patre) *procedit* (1). Ergo rursum et Deus et distinctus a Patre Spiritus S. perhibetur; si enim procedit a Patre, Deus est et a Patre distinctus.

299. Item s. Ignatius Martyr, in *Epist. ad Trallian.* num. VI, inter haereticos recenset eos, qui *Spiritum Sanctum nec esse confitentur*, quique dicunt *eumdem esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum* (2); et en rursum Spiritum Sanctum ut personam subsistentem, et distinctam a Patre et Filio, et quidem divinam, utpote qui confertur cum Patre et Filio, quem ibidem s. Martyr Deum dicit (3).

300. 2. Patribus apostolicis subsequentes patres concinunt, eamdemque fidem praedicant. Cum enim atheismi accusarentur christiani ab ethnicis, apologetae religionis nostrae repellebant impactam christianis calumniam, profitentes christianos credere in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, eosque adorare. Ita s. Justinus (4), et Athenagoras (5), qui fidem et praxim exponebant to-

Dei, et quia Spiritus Sanctus ipsi Filio Dei dignum seu idoneum aptavit corpus.

(1) Ἔστιν οὖν τοῦτο, ἅγιον καὶ εὐθύς, τὸ ἀπ' αὐτοῦ προελθόν. Apud s. Basil. lib. *De Spiritu S.* cap. 29, num. 72, tom. III, pag. 61, a. edit. Paris. 1730. cf. integrum textum etiam in *Bibl. Patrum* Gall. tom. I, p. 44.

(2) Τὸ πνεῦμα, οὐδὲ ὅτι ἐστὶν ὁμολογοῦσι..... ταὐτὸν δὲ εἶναι πατέρα, καὶ υἱον, καὶ πνεῦμα ἅγιον. Apud Cotelerium *Scripta Patrum apost.* tom. II, p. 65.

(3) Plura alia testimonia de Spiritu Sancto inveniuntur apud eumdem Cotelerium, op. cit.

(4) Apol. I, num. 6: Ἀλλ' ἐκεῖνον καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν..... πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν. Id est, *Eum* (Patrem) *et Filium.... et Spiritum propheticum colimus et adoramus.*

(5) *Legat. pro Christ.* n. 10: Τίς οὖν οὐκ ἂν ἀπορήσαι λεγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; id est, *Quis non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum*

tius ecclesiae. His addendi ceteri ejusdem aetatis patres, quorum alii vocarunt Spiritum S. *perfectum Deum*, ut Tatianus, qui etiam eum *Dei portionem esse*, eique Patris et Filii substantiam traditam docet (1); alii eum *Sapientiam Patris* vocarunt; *Creatorem*, ac cum Patre et Verbo *solum verum Deum*, *Spiritum Dei*, *Spiritum Patris*, aeternum, omnipotentem, ut s. Irenaeus (2); sic etiam s. Theophilus Antiochenus eumdem Spiritum Sanctum vocat *Sapientiam*, eumque distinguit a Patre et a Verbo, et in eadem essentia praedicat cum Patre et Filio (3); ita etiam Clemens Alex., Tertullianus, s. Hip-

et in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant? Et rursum num. 12: Ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνουμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρός. Id est, *Quae trium unio, et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris.*

(1) In *Orat. Contra Graecos*, n. 4: Πνεῦμα γὰρ τὸ διὰ της ὕλης διῆκον, ἔλαττον ὑπάρχει τοῦ θειοτέρου πνεύματος· ὅπερ δὲ ψυχῇ παρωμοιωμένον οὐ τιμητέον ἐπίσης τῷ τελείῳ Θεῷ. Id est, *Est diviniore Spiritu inferior ille spiritus, qui materiam pervadit; qui quidem cum animae assimilatus est, non eodem ac perfectus Deus honore colendus est;* et n. 7. dicit eum Θεοῦ μοίραν, *Dei portionem*, juxta loquendi usum tunc temporis receptum, ad designandam consubstantialitatem personarum. Cfr. Maran op. cit. lib. IV, cap. 7, n. 7.

(2) Lib. IV. *Adv. haeres.* cap. 20, n. 1, edit. Massueti: « Adest, *inquit*, ei semper Verbum et sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; ipse a semetipso substantiam creaturarum et exemplum factorum et figuram in mundo ornamentorum accipiens »; et lib. III, cap. 24 »: Verbo suo confirmans, et sapientia compingens omnia, hic est solus verus Deus »; et lib. V, cap. 12. n. 2, vocat spiritum sempiternum dicens: Ἕτερον δὲ ἐστι το ποιηθὲν τοῦ ποιήσαντος. ἡ οὖν πνοὴ πρόσκαιρος, τὸ δὲ πνεῦμα ἀένναον. Id est, *Aliud autem est, quod factum est, ab eo, qui fecit. Afflatus igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus.*

(3) Lib. II, *Ad Autolyc.*, n. 15: Αἱ τρεῖς ἡμέραι τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς Τριάδος τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς Σοφίας αὐτοῦ. Id est, *Tres dies, qui ante luminaria fuerunt, imago sunt Triadis, Dei, ejus Verbi, ejusque Sapientiae.* Et lib. I, n. 7: Τίς ἔστιν ὁ ἰατρός; ὁ Θεός, ὁ θεραπεύων, καὶ ζωοποιῶν διὰ τοῦ λόγου καὶ τῆς σοφίας. Ὁ Θεὸς διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας ἐποίησε τὰ πάντα· τῷ γὰρ λόγῳ αὐτοῦ ἐστερεώθησαν οἱ οὐρανοὶ, καὶ τῷ πνεύματι αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν. Id est, *Quis est iste medicus? Deus, qui per Verbum et Sapientiam sanat et vivificat. Deus, per Verbum et Sapientiam condidit universa; nam Verbo ejus firmati coeli, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Labitur proinde Petavius, dum in primo textu duas tantum a Theophilo admitti autumat personas, Filiumque cum Spiritu Sancto confundi. Luculenter enim ex his textibus patet Theophilum Spiritum San-

polytus, Origenes, antiquus auctor Constitutionum apostolicarum, Minutius Felix, s. Cyprianus, Novatianus; qui omnes, ut subsequentes praeteream, unanimiter conveniunt in asserenda divina Spiritus Sancti persona a Patre et Filio distincta, eique tribuenda eadem divina essentia cum Patre et Filio, aeternitate, omnipotentia, aliisque divinis perfectionibus (1).

301. 3. His accedunt testimonia Martyrum. Jam superius attulimus verba s. Epipodii, coram judice exclamantis: *Christum cum Patre et Spiritu Sancto Deum esse confiteor.* Spiritus Sancti virtus atque omnipotentia et consilium celebrantur etiam in actis sanctae Felicitatis et septem filiorum ejus, et in epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis, apud Ruinart (2).

302. 4. Monumenta antiquissima idem probant. Cujusmodi sunt inscriptiones sepulcrales, tabulae musivae, in quibus sub columbae specie Spiritus Sanctus a Patre et Filio distinctus exhibetur animas in baptismo gratia sanctificans, vel B. Virgini ab Angelo salutatae obumbrans, vel Christi in Jordane baptismum a s. Praecursore suscipientis divinitatem contestans, quas collegit et illustravit Gener (3), nec non Arringhius et Boldettus, aliique non pauci (4). Quibus addi debent tabulae dyptichae Graeco-Moschae, quas protulit et illustravit Papebrochius (5).

303. Quae omnia sic unico perstringimus argumento:

ctum quem *Sapientiam* appellat, distinguere a Verbo. Mirum vero nemini esse debet Spiritum S. dici Sapientiam, quo nomine plures alii patres eum vocarunt, ut Irenaeus, loc. cit. Origenes, Marius Victorinus; ut Bullus ipse ac Petavius observant (Bullus, sect. IV, cap. 3; Petavius, *De Trin.* lib. VII, cap. 12). Didymus in libro *De Spiritu Sancto* hanc affert causam, cur ita vocetur, quod Spiritus sapientiae in Scripturis recenseatur. Cfr. Maran. loc. cit. cap. 8.

(1) Cfr. Maran. loc. cit. capp. 10-19, qui singulorum patrum dicta expendit ac vindicat.

(2) Pag. 22, 60, edit. Veronensis 1731; p. 25 et 62 edit. Amstel. an. 1714.

(3) Joan. Bapt. Gener. S.J. *Theologia dogmatico-scholastica*, tom. II, pag. 494 et seqq. Romae 1768.

(4) Apud eumdem ibid.

(5) In *Apparatu ad acta Sanctorum*, tom. I Maji, ubi versat ephemeridas graeco-moschas, pag. 11.

Ille ex sensu ecclesiae traditionali perpetuo Deus dicendus est, et persona Divina subsistens, a Patre et Filio distincta, quem patres apostolici eorumque immediati successores usque ad tertium saeculum Deum vocant, adorandumque praedicant ut Deum, quem unum cum Patre et Filio dicunt, ac ordine ab iisdem distinctum, eadem tamen aeternitate, potestate ceterisque divinis perfectionibus praeditum, quem martyres Deum pariter unum cum Patre et Filio confitentur, quem antiquissima monumenta una cum Patre et Filio distinctum exhibeut. Atqui ex dictis talis est Spiritus Sanctus; ergo.

DIFFICULTATES

304. I. Obj. 1. Cum Scriptores sacri, pro manca quae est aevi incultioris scientia, sibi ipsis non constiterint in iis, quae de ideis et notionibus exposuerunt (1), et 2. Hellenistae plurima, quae judaei palaestinenses Spiritui Dei (Πνεύματι Θεοῦ) tribuerunt, de Λόγῳ seu Verbo visi sint praedicasse, nil mirum esse debet, si eadem confusio apud Veteres reperiatur. Nam 3. varie disputatum est, num Spiritus Sanctus et Λόγος seu Verbum idem sint. Quod 4. post Justinum M. *Dial. II.*, Irenaeum, *Adv. haer.* I, 19, et Joannem Damascenum, *De fide ort.* lib. III, cap. 2, theologi nonnulli 5. recentiores, Bauer, lib. I, 268 et seqq., auctor comment. in Henke *Magaz.* (*Repertorio*) IV, 126 et seqq. demonstrare co-

(1) Ita Wegsch. § 83, ubi inter Hellenistas, qui plurima, quae judaei palaestinenses Spiritui Dei tribuerunt et de Verbo praedicarunt, recenset s. Joannem, qui distinguit Spiritum S. a Verbo, cum tamen creationem, quam Verbo tribuit Evangelista, tribuat Joannes Baptista singulari cuidam τοῦ πνεύματος ἁγίου efficaciae, seu efficaciae Spiritus Sancti (Joan. 1, 32 et seq. cfr. III, 34); quasi Praecursor contradiceret Joanni evangelistae. Ast et in hoc mira elucet rationalistae impudentia, nam in locis citatis nec verbum habet s. Praecursor de creatione, quam Wegscheider tributam asserit a Joanne Baptista Spiritus Sancti efficaciae. Ista est potissima ratio, quare ipsi contenti sint loca indicare, nec testimonia afferant, ut securius illudant et mentiantur.

nati sunt (1). Sane 6. Tertullianus *Adversus Prax.* cap. XXVI: *Spiritu Dei*, inquit, *et sermone et virtute collatis in virginem, quod de eo nascitur, Filius Dei est.* Quare 7. Eichhorn (2) vocabula *logos* et *dabar* (λόγος, דָּבָר) et *spiritus* et *ruach* (πνεῦμα, רוּחַ) in eo convenire observat, quod vim seu voluntatem Dei efficacem modo quodam symbolico describunt, ita quidem ut *logos* eam sub specie Verbi, *Spiritus* (πνεῦμα) eamdem sub specie halitus ex ore Dei emissi adumbret. 8. Hanc *Logi* notionem bene significavit Athenagoras, *Legat.* cap. X, vocibus *ideae* et *operationis* (ἰδέας καὶ ἐνεργείας) (3); et 9. aevo antenicaeno rarius substantiae unitas cum Patre et Filio vindicata fuit Spiritui Sancto; 10. Patri Filioque quodammodo subesse Spiritum Sanctum docuerunt veteres illi; 11. nec nisi ante mundum conditum Spiritum S. peculiarem hypostasin prodiisse contenderunt (4). Ergo.

305. Resp. ad 1. *D.* Si Scriptores sacri non fuissent divina inspiratione afflati, *Tr.* (5); supposita divina inspiratione *N.* Jam vero Apostolus de se scribebat: *Loquimur Dei sapientiam* (I Cor. II, 7). *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur, Christus* (II Cor. XIII, 3)? et B. Petrus: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (II Pet. I, 21) ac Apostolum Paulum testatur, scripsisse *secundum datam sibi sapientiam* (ibid. III, 15). Ut alia praetermittam,

(1) Wegsch. § 83, not. *a.*

(2) Idem. In *Einleitung in das N. T.* seu *Introd. in N. T.* tom. II, pag. 160 et seqq.

(3) Wegsch. §. 83.

(4) idem §. 88.

(5) Transmisimus in falsa hypothesi adversarii. Ceterum etiam in hac hypothesi absonum est admittere melius novisse rationalistas veritates a Christo traditas, quam noverint ipsi sacri Scriptores, qui eas ex Christi ore acceperunt, etiam juxta solas critices regulas. Nonne tumidi isti sapientes imitantur, imo vincunt arrogantiam veterum gnosticorum et haereticorum, qui apostolos ut simplices ac rudes traducebant, seseque illis praeferebant? Adeo verum est, unum eumdemque semper esse haereticorum omnium spiritum et sentiendi rationem et impietatem!

quae rationalistarum impium systema prorsus evertunt, qui nihil nisi humanum in Scripturis agnoscunt. Cum igitur, non juxta aevi incultioris scientiam, sed juxta scientiam sibi divinitus communicatam Sacri Scriptores litteris consignaverint, quae a Christo didicerunt, negamus eos sibi non constitisse. Unica vero ratio, cur autument adversarii nostri, Scriptores sacros sibi non constitisse, est, quia cohaerere non possunt ea, quae hi litteris exararunt et viva praeterea voce transmiserunt, cum illis ideis, quas ipsi sibi serius nimis cuderunt ex sapientia et prudentia humana, quae inimica est Deo.

306. Ad 2. *Neg.* ex data responsione; ac *nego* praeterea illationem ex falso supposito, nimirum confusionem, quam sibi rationalistae confingunt, apud veteres reperiri, qui, ut ex probationibus constat, perpetuo tres distinxerunt in Deo personas, nec unquam alteram cum altera confuderunt; itaque ejus confusionis nullum vestigium apud ipsos occurrit, nec ullam adversarii ejusdem confusionis probationem adducunt. Nos vero meris verbis rationalistarum non acquiescimus.

307. Ad 3. *Neg.* Siquidem nunquam de hoc disputatum est; sed semper *Logos* distinctus exhibetur a Spiritu S., ut ex dictis patet.

308. Ad 4. *Neg.* Nemo enim ex adductis patribus Verbum idem esse dixit cum Spiritu Sancto; sed semper unum ab altero distinxerunt.

309. Non in primis s. Justinus, qui loco citato ab adversario nec syllabam de his habet. Quod si in *Apolog. I*, num. 33, de ipsa Verbi Persona exponit, quod apud s. Lucam dicitur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*, ita ut Verbum quoad carnem in utero B. Mariae Virginis sit ille Spiritus Sanctus et virtus Altissimi, quae obumbravit Mariae, non inde sequitur s. Martyrem confudisse si-

mul Spiritus Sancti personam cum persona Verbi ; sed solum, hoc loco idem ipsum designari Verbum nomine Spiritus Sancti et Virtutis Altissimi ; in quo nihil est quod reprehendi debeat. S. Justinus Spiritum Sanctum solet vocare *Spiritum propheticum*, ut patet ex hoc eodem numero sub initium, tum ex n. 6 et n. 13, ubi eum dicit tertiam Trinitatis personam (1), seu tertiam ordine. Ex hac interpretatione potius evertitur principium socinianorum, qui contendunt, ideo Christum dictum esse Filium Dei, quod conceptus sit Spiritus Sancti virtute.

310. Non s. Irenaeus, qui lib. I, cap. XIX (in edit. Massueti XXII), non solum Verbum cum Spiritu Sancto non confundit, sed contrarium praecise statuit illius, quod dicit Wegscheider. En ejus verba : *Pater... per Verbum et Spiritum suum omnia faciens et disponens et gubernans, et omnibus esse praestans* (2). Habes iterum specimen bonae fidei rationalistarum.

(1) Num. xv inter cetera haec habet : Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σταυροθέντα.... υἱὸν αὐτοῦ τοῦ ὄντως θεοῦ μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντες, πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, ὅτι κατὰ λόγον τιμῶμεν, ἀποδείξομεν. Id est, *Jesum Christum .. crucifixum veri Dei filium esse edocti, ipsumque secundo loco, Spiritum autem propheticum tertio habemus ordine, non sine ratione a nobis coli demonstrabimus*, edit. Maran. Quis vero nisi insanus post adeo luculentum testimonium asserere audeat s. Justinum confudisse Spiritum Sanctum cum Verbo ? Quod vero per Spiritum Sanctum, qui Lucae I dicitur descendisse in Mariam Virginem, et per virtutem Altissimi a nonnullis veteribus patribus intellectus est ipse Dei Filius, nemo mirari debet, qui observet ideo ab ipsis id factum esse, quod veteres interdum nomen *Spiritus Sancti* tum naturae divinae universim, tum singulis personis aptaverint, atque etiam ex eo quod Apostolus vocaverit Christum Dei virtutem et Dei sapientiam. Ceterum hanc expositionem praeter s. Justinum, Hermam, lib. III, simil. V, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, adoptarunt etiam post concilium Nicaenum s. Hilarius Pictavensis, *De Trin* lib. V, et lib. II, n. 26, saltem juxta interpretationem Constantii, editoris operum s. Hilarii, illis verbis : *Spiritus Sanctus desuper veniens... naturae se humanae carnis immiscuit*; et alibi, tum s. Athanasius, libro *De Incarn.* pag. 72, edit. Maur. nec non Ruffinus in *Expositione symboli*, ac demum, aliis omissis, s. Joan. Damascenus, in loco nobis objecto ; cfr. praefatio operum s. Hilarii, edit. Maurin. pag. 18, § 2, n. 57 et seqq.

(2) Ac veterum more affert verba Psalmi XXXII : *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* ; quibus per ipsos designatam esse personarum Trinitatem, res notissima est.

311. Non s. Joannes Damascenus utpote qui loc. cit. nomine *virtutis* intelligit ipsum Filium Dei, qui, ut ibidem subdit, *Conspersionis nostrae primitias ipse sibi compegit .... conditoris more per Spiritum Sanctum* (1). Ubi, quaeso, confusio Verbi seu Filii Dei cum Spiritu Sancto? Mira praeterea apparet rationalistarum impudentia, dum audent pro se afferre auctoritatem s. Joannis Damasceni, qui lib. I non solum data opera agit de ss. Trinitate (cap. VIII.), sed distincte de persona Verbi et de persona Spiritus Sancti (cap. VI et VII).

312. Ad 5. *D.* Id est, profani et impii ex rationalistarum grege id demonstrare conati sunt, sed perperam, ut ex dictis constat, *C.* ostenderunt *N.* Nunquam enim id efficient, obsistente sibi tota antiquitate; nec nisi pervertendo sensum veterum, possunt sibi blandiri imperitis fucum se esse facturos.

313. Ad 6. *Neg.* Hic pariter Tertullianus de Filio Dei exponens Angeli verba: *Spiritus Sanctus*, etc., ac unum idemque significari asserens sive per Spiritum Sanctum sive per virtutem Altissimi, quae virtus juxta ipsum non est nisi proprietas Sermonis seu *Logi*, contendit adversus Praxeam, qui divinas confundebat Personas, non Patrem, sed solum Filium seu, ut ipse vocat, Sermonem in uterum Virginis descendisse. Ceterum hoc ipso in capite Tertullianus tres expresse distinguit Personas divinas, dicens: *Novissime mandans* (Christus), *ut tinguerent in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur* (2).

314. Ad 7. *D.* Pro lubito suo vim Scripturae inferendo et contra sensum totius antiquitatis, *C.* jure merito *N.* Responsio patet ex dictis.

(1) Ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος.... δημιουργικῶς, διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

(2) Pag. 516, edit. Rigaltii. Paris. 1664.

315. Ad 8. Vel *Neg.* vel *D.* Confundens Verbum cum Spiritu S., *N.* de solo Verbo seu Logo id dicit Athenagoras, *subdist.* per oppositionem ad falsorum deorum genealogias, *C.* ad solam Patris adstruendam ideam et operationem, qua negaret *Logon* esse personam subsistentem distinctam a Patre *N.* Athenagoras igitur, ad repellendam a Christianis atheismi calumniam de qua superius diximus, asserit eos colere Patrem et Filium et Spiritum S.; ne vero putarent ethnici per hoc vel tolli unitatem Dei vel induci deorum sobolem, ut ipsi faciebant, Athenagoras utramque suspicionem sustulit, affirmans, Patrem mente Filium genuisse, et Patrem ac Filium unum esse, nempe natura; item Spiritum affluentiam Dei esse, emanantem ac redeuntem, veluti radium solis. Postea concludit: *Quis igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum Patrem, et Filium Deum et Spiritum Sanctum asserunt, ac eorum in unione potentiam et in ordine distinctionem demonstrant* (1)? Quod si quis haec conferat cum sensu Wegscheider et Eichhorn, videbit tam inter se distare sensum Athenagorae, ab eo quem isti ei affingunt, quam inter se distant lux et tenebrae.

316. Ad 9. *Neg.* Quoties enim sese obtulit occasio, patres illi eamdem substantiae unitatem tum Patri tum Filio tum Spiritui Sancto vindicarunt, ut ex probationibus constat. Addatur praeterea tunc nondum fuisse exortas haereses, quae directe divinitatem Spiritus Sancti ejusque subsistentiam impeterent. Ceterum strenue patres illi distinctionem divinarum personarum adversus sabellianos seu patripassianos propugnarunt. Divina enim providentia permisit, ut sub ipsum christianae ecclesiae exordium ejusmodi errores exorirentur, ut sic in antecessum arianorum, macedonianorum, ac postea sociniano-

(1) Textum graecum superius dedimus, not. a.

rum et rationalistarum et damnatio in propatulo poneretur et impietas.

317. Ad 10. *D.* Subesse dependentia improprie dicta, seu ordine in processione, *C.* proprie dicta *N.* Hoc nunquam patres docuerunt.

318. Ad 11. *D.* Prodiisse externa manifestatione, ut dictum est de persona Verbi, *C.* processione interna *N.* Recolantur superius dicta.

319. II. Obj. 1. Etsi ariani inficiati essent divinitatem Spiritus Sancti, nunquam tamen a patribus hac de causa impugnati sunt, vel 2. dogma istud assertum est a Nicaena synodo. 3. Quod si concilium Constantinopolitanum I divinitatem Spiritus Sancti asseruit adversus macedonianos, nusquam tamen Deum ipsum appellavit; quam agendi rationem 4. tenuerunt patres ipsi, qui vel Trinitatem propugnaverunt, ut s. Hilarius, qui in XII libris de hoc argumento conscriptis, nullibi Spiritum Sanctum Deum dicit, vel qui data opera scripserunt de Spiritu S., ut s. Basilius, qui praeterea auctor fuit presbyteris Tharsensibus, ut contenti professione nicaena, nihil aliud a macedonianis exigerent, nisi ut faterentur *Spiritum Sanctum creaturam dici non oportere* (1). Quod quidem argumento est, satis firmam per ea tempora non fuisse fidem in divinitatem Spiritus S., prout magis confirmatur ex objurgatione s. Basilii in s. Dionysium Alexandrinum, quod Spiritum Sanctum *ab adorata deitate sejungens, et inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans* (2), ei detraxerit. Ergo.

320. Resp. Ad 1. *D.* Directe et primario, *C.* indirecte et ex consequenti *N.* Itaque patres, ne novas lites sererent, contenti fuerunt ipsos arianos adoriri in prae-

(1) Τὸ μὴ δεῖν λέγεσθαι κτίσμα τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Sententia haec pluries occurrit in tom. III operum edit. Maurin.

(2) Ep. IX, *Ad Maximum philosophum*, alias XLI, n. 2, pag. 91. tom. III. operum. Τῶς προσκυνουμένης αὐτὸ θεότητος ἐξορίζων, καὶ κατώπου τῇ κτιστῇ, καὶ λειτουργῷ φυσει συναριθμῶν.

cipuo et primario eorum errore, qui versabatur circa Verbi divinitatem; siquidem existimabant, destructo errore primario, alterum sua sponte casurum. Interea non destiterunt in eos invehere etiam ob negatam ab ipsis divinitatem Spiritus Sancti (1).

321. Ad 2. *D.* Directe et expresse, *Tr.* indirecte et aequivalenter *N.* *Quippe de his*, inquit s. Epiphanius, *quae singulis temporibus occurrunt, cavere synodi ac decernere solent* (2). Cum propterea ariani directe saltem, ut diximus, nonnisi Verbi divinitatem impugnaverint, hinc satis fuit Nicaenae synodo contrariam veritatem directe adstruere; nec tamen omnino divinitatem Spiritus Sancti dimisit, teste s. Athanasio, qui in *Epistola synodica ad Jovianum Imperat.* inquit: *Neque etiam Spiritum Sanctum a Patre et Filio disjunxere, sed illum potius una cum Patre et Filio glorificavere* (PP. Nicaeni), *in una Sanctae Trinitatis fide, quia nempe una est in sancta Trinitate divinitas* (3).

322. Ad 3. *D.* Conceptis verbis juxta illius temporis oeconomiam, *C.* aequivalentibus *N.* Eo ipso quod Synodus *Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum* definivit Spiritum Sanctum, ipsum verum Deum Patri ac Filio consubstantialem esse docuit. Abstinuit autem a voce *Dei*, quia sic ferebat usus loquendi per illa tempora receptus, quem synodus servare constituit.

323. Ad 4. *D.* Plerique ex prudenti oeconomia usu

(1) Cfr. s. Athanas. *Orat.* II, in Arianos; tum epist. I *Ad Serapion.*, n. 2, opp. s. Athanas., tom. I, part. II, pag. 649, edit. Maurin.

(2) Πρὸς γὰρ τὸ ὑποπίπτον ἐν καιρῷ, καὶ καιρῷ αἱ συνόδοι τὴν ἀσφάλειαν ποιοῦνται. *Haer.* LXXIV, n. 14, edit. Petavii. Ibidem vero ostendit synodum Nicaenam veram circa divinitatem Spiritus Sancti fidem, satis expresse professam esse illis verbis: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum Jesum Christum et in Spiritum S. etc.*

(3) Ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξασαν αὐτὸ τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας Τριάδος πίστει, διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι θεότητα. *Epist. ad Jovianum de fide*, n. 4, edit. Maur.

consecrata, *Tr.* omnes, et ex dubio super hoc articulo fidei nostrae *N.* Itaque in primis observo non omnes abstinuisse ab appellatione Dei dum agerent de Spiritu Sancto; cum eum Deum expresse vocaverit s. Dionysius Alex. (1), Tatianus (2), aliique. Deinde ut modo dictum est, id ex quadam religione ac reverentia erga receptum loquendi usum ab ipsis apostolis inductum, ne Christianis adhuc teneris ac pene musteis ex gentilitate conversis nomen Dei multiplicatum in Filio et Spiritu Sancto esset offendiculo, quasi plures dii admitterentur, prout advertit Petavius (3), de simili argumento disputans. Ceterum omnes unanimiter patres in eamdem fidem conveniebant, sive in professione unitatis divinae naturae in Trinitate personarum, sive in divinis attributis unicuique personae asserendis, aeternitate ex. gr., omnipotentia, sapientia, etc. sive demum in cultu divino eisdem decernendo, ut suo loco ostendimus.

324. Atque hinc responsio patet ad id, quod objicitur ex agendi ratione tum s. Basilii in libro *De Spiritu Sancto*, qui postea non veritus est hanc appellationem eidem tribuere in epist. VIII, alias CXLI, scribens: *Cum confiteri oporteat Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum S.; ut eloquia divina, et qui ea sublimius intellexere, docuerunt* (4), tum s. Hilarii, cujus luculenta verba sunt in *Commentariis* ad illud Matth. ult: *Euntes in mundum*, etc. *Ut, quorum est una divini-*

(1) Cfr. textum inferius allatum.

(2) In *Orat. contra Graecos*, n.4. Ejus verba jam dedimus in probat.

(3) *De Trin.* lib. III, cap. 1, § 4. Ex auctoritate s. Joan. Chrys. qui *Hom.* XX in epist. I ad Cor. observat neque Deum appellare Jesum Christum illo loco voluisse Paulum, neque Patrem Dominum, ne, cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii, plures esse Deos suspicarentur ac Dominos, seque ad antiquam superstitionem relapsos, in qua plures dii erant ac domini. Hanc eamdem fuisse causam addit, cur neque Spiritus Sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret. Idem observant Basilius, Theodoretus, Oecumenius et Theophylactus, ibidem.

(4) Δέον ὁμολογεῖν, Θεὸν τὸν πατέρα, Θεὸν τὸν υἱόν, Θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ὡς οἱ θεῖοι λόγοι, καὶ οἱ τούτους ὑψελότερον νενοηκότες ἐδίδαξαν, n. 2, pag. 81, tom. III, edit. Maurin.

tas, sit una largitio, nomenque Trinitatis unus Deus est (1).

325. Quod demum attinet ad objurgationem s. Basilii in Dionysium Alex., vel haec non respicit nisi verba non satis caute in aestu disputationis usurpata adversus Sabellium, ut Garnierio placet (2), vel dicendum eam factam fuisse, priusquam in Basilii manus pervenerit apologia, quam ad ejusdem nominis Romanum Pontificem miserat Dionysius, ut suspicatur Tillemont. Certum enim est Dionysium recte de Spiritus Sancti divinitate sensisse, cum in responsione ad propositiones Pauli Samosateni scripserit: *Non impune fert is, qui adversus benignum Spiritum Sanctum blasphemus est. Spiritus autem est Deus*; et alibi passim. Hinc idem s. Basilius in libro *De Spiritu Sancto*, inter eos, qui divinitatem Spiritus Sancti praedicarunt, Dionysium recenset, ejusque testimonia profert (3).

326. Inst. 1. Ecclesia nunquam preces ad Spiritum Sanctum dirigere consuevit. 2. Quin potius in conc. Carthag. III, cap. 23, sancivit, *ut, cum ad altare assi-*

(1) Tom. 1, opp. edit. Maur. n. 3.

(2) In not. ad hunc locum, ubi observat s. Basilium fateri Dionysium non pravitate sententiae peccasse, sed studio oppugnandi Sabellii, atque ut plenam et redundantem victoriam obtineret. Hinc consubstantialitatem ab eo admitti dicit in Apologia ad Dionysium Romanum; in aliis autem libris non alio consilio rejici, nisi ut adversetur Sebellio hac voce abutenti. Etsi vero rejiciat conjecturam Tillemontii, dat tamen s. Basilium paulo acerbius vellicasse s. Dionysium, deceptum fortasse testimoniis ab arianis confictis ac s. Dionysio perperam attributis. Haeretici enim semper fraudibus ac dolis utuntur ad impugnandam catholicam veritatem. Ceterum de sincera fide s. Dionysii legatur s. Athanasius, ejus in alexandrina sede successor, in epistola *De Sententia Dionysii*, ubi illustria illius Patris testimonia in medium affert, tum de Filii, tum de Spiritus S. divinitate, praesertim n. 17, ubi facta mentione Patris, Filii et Spiritus S. ita concludit Dionysius: Θεῖτω μὲν ἡμεῖς εἴς τε τὴν Τριάδα τὴν μονάδα κλατυνίομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν Τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν μονάδα συγκεφαλαιούμεθα. Id est, *Sic quidem nos indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in unitatem contrahimus.* Quibus nihil praeclarius afferri potest. Vid. opp. s. Athan. tom. 1, cap. 1, pag. 12, edit. Maur.

(3) Tom. III, cap. 29, n. 72, pag. 60.

stitur, *semper ad Patrem dirigatur oratio.* Atque 3. in veteri doxologia recepta illa formula erat *Gloria Patri et Filio in Spiritu Sancto.* Quibus omnibus luculenter probatur Spiritum Sanctum nec Deum nec personam divinam, saltem reliquis duabus personis aequalem creditum fuisse.

327. Resp. Ad 1. *D.* In publica liturgia ob peculiarem rationem, alias allatam, cum de Verbi divinitate loqueremur, *C.* quasi ecclesia in divinitatem Spiritus Sancti minime crediderit *N.* Ecclesiae enim catholicae fides eadem semper est; quapropter id, quod nunc credit de augustissimo Trinitatis mysterio et singularum personarum divinitate, semper credidit, ut omnia allata documenta ostendunt. In sacra liturgia autem consueverat orationes suas dirigere ad Patrem per Filium, *in* vel *cum* Spiritu Sancto, non quasi discernens gradus, sed originum statuens distinctionem (1).

328. Ad 2. *D.* Ad uniformitatem in publica praesertim liturgia servandam, et ad privatorum errores praecavendos, *C.* aliter *N.* juxta dicta. Sensum verum capituli XXIII Concilii Carthaginiensis talem esse, eruitur ex ipsis capituli verbis, quae ita se habent: *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cum altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructioribus fratribus contulerit* (2).

(1) Noto antiquissimam esse in liturgia orationem illam: *Suscipe Sancta Trinitas*, etc. in utraque ecclesia, tum latina tum graeca. Cfr. Benedictus XIV, *De sacrificio Missae*, lib. II, cap. II, n. 7. Addatur usus doxologiae in publica liturgia, de qua superius diximus, ad tres personas distinctas directae.

(2) Apud Labbe, *Collect. Concil.* tom. II, col. 1170. Ceterum s. Fulgentius africanus sic canonis africani sensum exponit, inter cetera scribens: « Dum ad solius Patris personam sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, et quum ad Patrem litantis destinatur intentio sacrificii, munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio ». *Ad Monim.* lib. III, cap. 5. Cfr. Bingham, *Origenes* et *antiq. christ.* vol. V, lib. XIII, cap. 2, § 5.

329. Ad 3. Resp. 1. *Neg. antec.* Contrarium enim non pauca antiqua documenta evincunt, quae collegit s. Basilius in libro *De Spiritu Sancto*, cap. XXIX, n. 71 et seqq. (1).

330. Resp. 2. *Dato antec. neg. conseq.* Eodem quippe sensu ejusmodi doxologiam usurpatam antiquitus fuisse ac *cum* Spiritu Sancto, vel Spiritui Sancto, fuse ostendit citato loco s. Basilius, eo ipso quod promiscue utraque particula *in* et *cum* veteres uterentur; sic s. Dionysius Alex. ibid. suam apologiam concludit: *Deo autem Patri et Filio D. N. J. C. cum Sancto Spiritu gloria et imperium in saecula saeculorum Amen* (2). Populus ex antiqua traditione aetate ipsius s. Basilii solebat canere: *Laudamus Patrem, Filium et Spiritum S. Dei* (3). Africanus historicus gratias agit Patri, qui praebuit suis creaturis universorum Servatorem ac Jesum Christum, cui gloria, majestas *cum Sancto Spiritu in saecula* (4).

CAPUT V.

DE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO PROCESSIONE

331. Duplex quaestio agitatur circa processionem Spiritus Sancti inter latinos et graecos schismaticos. Altera, quae praecipua est, respicit dogma ipsum; altera, quae est secundaria, habet pro objecto additamentum, seu fi-

(1) Modum glorificandi Patrem et Filium *cum* Spiritu Sancto s. Dionysius ibid. vocat *formam ac regulam a presbyteris, qui ante ipsum vixerunt acceptam.*

(2) Τῷ δὲ Θεῷ πατρὶ, καὶ υἱῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας, τῶν αἰώνων, ἀμήν pag. 60.

(3) Αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ, n. 73, p. 61.

(4) Σὺν ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· ibid. Integrum hoc caput esset legendum. Cfr. Petav. *De Trin.* lib. II. c. 6, ubi expendit vim particularum ἐν, σύν, διά, ἐξ, *in*, *cum*, *per*, *ex*, juxta veterum sensum et usum.

dei expositionem ac declarationem adjectam symbolo constantinopolitano per particulam *Filioque*.

332. Utrumque enim graeci latinis crimini vertunt, tum quod doceant Spiritum Sanctum a Patre et Filio tanquam unico principio procedere, tum quod contra concilii Ephesini vetitum particulam *Filioque* inseruerint symbolo.

333. Incertum est, quo tempore coeperit prima controversia, et quo potissimum auctore. Verisimile tamen est, eam ab arianis ac macedonianis originem habuisse, seu verius eorum occasione (1), tumque occasione Sancti Cyrilli anathematismi noni ex duodecim, quos ipse opposuerat Nestorio, in quo asseruit Spiritum Sanctum esse *proprium Christi*, quem quidem anathematismum eo sensu perstrinxit Theodoretus, quo postea videbimus. Jurgium de hac processione pariter excitarunt monothelitae ex occasione epistolae synodicae s. Martini I, teste s. Maximo Homologeta, cujus auctoritatem affert LeQuien in dissertatione prima Damascenica, § X. Iterum vero litem movit de ipsa hac processione Spiritus Sancti a Filio, Constantinus Copronymus cum suis iconomachis, eo quod se proscriptum audiverit ab Apostolica Sede (2);

(1) Cfr. s. Hilar. *De Trin.* lib. VIII, §. 20, cujus verba haec sunt: *Neque in hoc nunc calumnior libertati intelligentiae, utrum ex Patre an ex Filio Spiritum paracletum putet esse. Non enim in incerto Dominus reliquit; nam sub iisdem dictis haec ita locutus est: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare illa modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso... ille me clarificabit; quoniam de meo accipiet... omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi de meo accipiet et annunciabit vobis. » A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum id ipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere; certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere, quod sit accipere a Patre* (seu ut MS. Vaticani habet: *Quod sit a Patre procedere*). Ex his patet non solum veterum patrum doctrina, sed patet praeterea iisdem argumentis patres usos esse ad extendendam Spiritus Sancti processionem a Patre ac Filio, quibus nos utimur. Liquet praeterea veteres nonnullos ar anos ideo negasse Spiritum Sanctum a Filio procedere, quia exinde patres colligebant Filii divinitatem.

(2) Cfr. Le Quien *Diss. t.* I. *Damasc.* § 11.

et saeculi IX initio exagitati a quodam Joanne monacho fuerunt monachi in monte Oliveto degentes (1). Demum sopitam fere hanc controversiam impotenti furore Photius excitavit, ut suum cohonestaret schisma ulciscereturque damnationem a Nicolao I, contra se prolatam. Ex his habemus usque ad Photium neminem ex graecis impugnasse processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, praeter Nestorii fautores, monothelitas et iconoclastas haereticos.

334 Quod spectat ad alteram quaestionem de additamento symboli constantinopolitani, res pariter incerta est, sive quoad auctorem, sive quoad tempus. In occidentalibus ecclesiis, ac praesertim hispanica, usum invaluisse canendi in Missa symbolum cum additamento *Filioque* quo tempore gothi, ejurata haeresi ariana, catholicam fidem professi sunt anno 589. in synodo Toletana III, certum omnino videtur (2); ex Hispania idem usus dilatatus est in Gallias; deinde vero in Germaniam et Italiam (3). Romani Pontifices circa receptum hunc usum passive, ut ita dicam, se habuerunt usque ad Photii aetatem; nec nisi eo temporis intervallo, quod a Photio ad Michaelem Cerularium schismatis graeci instauratorem effluxit, adjectam in Romana ecclesia symbolo fuisse particulam *Filioque* verosimilius videtur, cum nempe Benedictus VIII, adnitente Henrico Imperatore, aegre tamen indulsit, ut Romae in Missarum solemniis symbolum constantinopolitanum caneretur (4). Certe neque Pho-

(1) Cfr. ibid. § 16, ubi ostendit ex irrefragabili chronologia perperam Pithoeum et Vossium existimasse hunc Joannem monachum, auctorem tumultuum adversus monachos de monte Oliveti, esse s. Joannem Damascenum; etenim tumultus ob processionem, quam monachi profitebantur Spiritus S. a Patre et Filio, excitati sunt anno 808 et seqq. sub Leone III. postremis Caroli Magni temporibus; s. Joannes vero Damascenus obierat ante septimam Synodum generalem seu Nicaenam II, quae anno 787 celebrata est sub Hadriano R. P.

(2) Ib. § 26.

(3) Ibidem.

(4) Ib. § 27. Quum hortatu Henrici Imp. Rom. Pontifex, aegre tamen ferente clero, eo quod nunquam Romana Sedes in errorem lapsa fuc-

lius neque alii ante id temporis insertae hujus particulae romanam ecclesiam accusarunt; quod profecto non omisissent, si mos iste Romae jam obtinuisset; quare Michael Cerularius omnium primus hac de causa reprehendit Romanam ecclesiam, deinde Leo Acridanus ac Nicetas cognomento Pectoratus (1).

335. In oecumenicis conciliis Lugdunensi et Ferrariensi seu Florentino ad unionem cum ecclesia latina redierunt graeci, approbantes ac profitentes dogma de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, una cum additamento symbolo inserto; donec, agente potissimum Marco Ephesino, rursum ad pristinum schisma a Florentina synodo vix digressi plerique relapsi sunt (2).

336. Theophanes Procopowicz archiepiscopus Novogradensis, quondam collegii graeci in hac alma Urbe alumnus, honorum ac divitiarum spe illectus, ut interdum ab iis fit, in patriam redux, ad schisma se dedit, atque adversus ecclesiam illam, in qua altus fuerat, arma contulit, quae ad ejus defensionem ipsi data fuerant. Hic propterea, in suo tractatu *De processione Spiritus Sancti* (3) sordes omnes verrere non dubitavit atque in unum colligere, quae jamdiu disjectae atque dissipatae erant a tot eruditis viris, sive contra processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio, sive contra particulam symbolo adjectam (4).

rit, indulserit, ut in ecclesia romana intra missarum solemnia symbolum constantinopolitanum caneretur, cani coepit prout canebatur in ecclesiis omnibus occidentalibus, id est, cum additamento *Filioque*.

(1) Ibid.

(2) Non formali schismatis declaratione, sed potius facto ipso graeci se iterum separarunt ab ecclesia romana. Quod observatione dignum est. Ceterum de nova hac graecorum defectione cfr. Georg. Pachymeris *Andronicus Palaeologus*, interprete P. Possino S. J. Romae 1669, praesertim lib. 1, capp. 2, 3, 9, 10, 34, 35, et lib. II, capp. 1, 2, 3. Licet enim hic auctor schismaticus sit, satis tamen aperte patefecit artes et vafritiem suorum in hac defectione exordienda et consummanda.

(3) Edit. Gothae, anno 1772.

(4) Novissime excusum denuo fuit de hoc argumento lingua polonica opus, cui titulus: *Rosmowy*, etc. seu *Dialogi inter dubitantem et persuasum de orthodoxia orientalis graeco-russae Ecclesiae*, Petropoli 1829.

337. Hinc duo ostendere debemus adversus graecos schismaticos, 1. veritatem catholicam, 2. jus, quo ecclesia pollet, inserendi symbolo justis de causis fidei suae professionem. Sit igitur:

PROPOSITIO I.

Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit

338. Propositio haec est de fide, ut constat ex definitione duorum Conciliorum oecumenicorum, Lugdunensis II sub B. Gregorio X et Florentini sub Eugenio IV, in quorum primo haec edita est fidei professio: *Credimus et Spiritum Sanctum... ex Patre Filioque procedentem* (1), in altero: *Definimus... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit* (2).

339. Quod quidem fidei dogma sic primo ex Scripturis probamus: Christus Joan. XVI, 13 et seqq. haec de Spiritu S. ait: *Cum autem venerit ille Spiritus verita-*

Auctor horum dialogorum est celeber apud suos Filaret, in praesenti Moscoviae metropolita et membrum sanctissimae synodi permanentis petropolitanae, ut refert ejusdem operis interpres, archimandrita Innocentius in sua praefatione. Scopus horum dialogorum est, tollere a catholicis spiritum, quem vocant *intolerantiae* (soli enim catholici, ubique oppressi, sunt intolerantes, oppressores vero *liberales* nominantur), ac vincere horrorem, quem ipsi experiuntur erga schismaticos. Incipit vero ab ecclesia, et contendit ecclesiam graeco-russicam *tolerantissimam* esse, cum in sinum suum admittat innumeras prope familias seu sectas protestantes. Deinde pergit ad articulum de processione Spiritus Sancti, et ostendere nititur purum dogma conservari apud ecclesiam graeco-russicam, non autem apud catholicam (siquidem protestantes, qui idem dogma cum catholicis profitentur, ut moris est omnium haereticorum et schismaticorum, dimittit). Nihil vero profert, quod millies contritum a catholicis non fuerit, ut videbimus.

(1) Πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον .... ἐκ πατρὸς υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον. *Collect. Concil.* Labbei, tom. XI, part. I. col. 963.

(2) Ὁριζομεν.... ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἀϊδίως ἐστι, καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι ἔχειν ἐκ τοῦ πατρὸς ἅμα καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται. Ibid. tom. XIII, col. 514.

tis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Unde sic ratiocinamur: Ille in divinis non minus a Patre quam a Filio tanquam fonte et origine procedere dicendus est, qui de eo accipit, et ideo de eo accipere dicitur, quia omnia cum Patre communi fonte et origine communia habet; atqui ex verbis Christi talis est Spiritus Sanctus; ergo Spiritus Sanctus aeque a Patre et a Filio originem habet, seu, quod idem est, aeque a Patre et a Filio tanquam ex uno eodemque principio procedit.

340. Minor etiam confirmatur ex antiquis versionibus ante excitatam de hac processione controversiam adornatis. Etenim versio syriaca, omnium antiquissima, sic refert verba Christi: *Ipse glorificabit me, quippe de meo accipiet..... quidquid habet Pater meus, meum est; propterea dixi vobis* EX *meo accipiet.* Versio persica: *Et ille est, qui me glorificabit, propterea quod a me accipiet.* Arabica vero: *Et ille me glorificabit; nam accipiet de eo quod meum est* (1). Quae quidem versiones, ut patet, manifeste declarant Spiritum Sanctum accipere *de eo quod est Filii*, et *ex eo quod Filii est*, quia quod habet Filius, a Patre habet, jam vero Filius a Patre propriam substantiam per gene-

(1) Siriac. ܗܘ ܢܫܒܚܢܝ ܡܛܠ ܕܡܢ ܕܝܠܝ ܢܣܒ... ܟܠ ܡܕܡ ܕܐܝܬ ܠܐܒܝ ܕܝܠܝ ܗܘ ܡܛܠ ܗܢܐ ܐܡܪܬ ܠܟܘܢ ܕܡܢ ܕܝܠܝ ܢܣܒ. Persic. واوست که مرا ستوده دارد سبب لك از من وذاك Arab. بستاند يمجدني لانه ياخذ مما لي.

Vid. Polyglotta Waltonii, tom. v, pag. 488 et 489.

rationem habet ; ergo Spiritus Sanctus accipit ex substantia Filii communi seu potius identica cum substantia Patris procedendo ab ipso, seu originem a Patre ac Filio trahendo.

341. Hinc est quod Spiritus Sanctus in iisdem sacris litteris missus perhibeatur a Filio (Joan. XVI, 7); quae quidem missio indicat dependentiam ejus qui mittitur ; atqui haec dependentia nequit esse naturae divinae in se spectatae, neque imperii, quod in divinam personam cadere non potest : ergo dependentia originis dicenda est seu processionis, ut de Filio pariter dicitur respectu Patris. Spiritus Sanctus propterea vocatur *Spiritus veritatis* (ibid.), quae Filius est, *Spiritus Christi* (Rom. VIII, 9), *Spiritus Filii* (Gal. IV, 6).

342. Atque haec semper fuit utriusque ecclesiae, orientalis nempe atque occidentalis, doctrina, ut ex certissimis utriusque ecclesiae documentis patet. De ecclesia occidentali seu latina nullum dubium esse potest; abunde enim constat, quod quoties haeretici graeci a romana ecclesia damnati sunt, aliter nequeuntes de ipsa vindictam sumere, ipsos eidem crimini vertisse, quod doceret Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Ita se gesserunt monothelitae, teste s. Maximo, qui in *Epist. ad Marinum*, Cypri presbyterum, scribit, non aliud reprehendisse graecos monothelitas in epistola synodica s. Martini, quam duo : *Quorum alterum est*, inquit, *de divinitatis ratione*; *quia dixit*, *aiunt*, *procedere etiam ex Filio Spiritum Sanctum* (1). Ita rursum iconomachi, teste Adone Viennensi, in chronico scribente : *Facta est nunc temporis Synodus, et quaestio ventilata est inter Graecos et Romanos de Trinitate, et utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio ; et de Sanctorum imaginibus* (2). Hos imita-

(1) Cf. Le Quien, diss. cit. § 10. (2) Ibid. § 11.

tus est Photius, ejusque deinceps in impietate successores. Id ipsum constat ex conciliis hispanicis, gallicis, germanicis, italicis, a quibus longe ante schisma photianum non solum retenta avita fides de Spiritus Sancti a Filio quoque processione, sed praeterea, ut jam innuimus, adjecta est symbolo constantinopolitano particula *Filioque*.

343. Sed non minus certis documentis constat perpetua fides ecclesiae orientalis. Ecclesia enim orientalis non ignorabat profecto fidem ecclesiae occidentalis circa eumdem articulum. Nota ipsi erat epistola Hormisdae Romani Pontificis ad Imperatorem Justinum anno 521 conscripta, in qua divinitatis et incarnationis fidem exponit, ubi de processione haec habet: *Notum est quia proprium est Patris, ut generaret Filium; proprium Filii, ut ex Patre Patri nasceretur aequalis, proprium Spiritus Sancti ut de Patre et Filio procederet sub una substantia Deitatis* (1); nec tamen quispiam graecorum Occidentalibus movit querelam. Sane qua ratione scribere potuisset s. Hormisdas adeo asseveranter: *Notum est*, etc. nisi constitisset de eadem fide circa hunc articulum in utraque ecclesia, et quidem in fidei expositione, in qua vel ipsi apices expenduntur? Sic Ephesina synodus oecumenica non solum improbavit symbolum nestorianum a Charisio presbytero oblatum, in quo de Spiritu Sancto dicebatur: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium existentiam habentem* (2), sed praeterea expresse approbavit anathematismos s. Cyrilli una cum ipsius declarationibus, et epistolam synodicam suo et totius ecclesiae aegyptiacae nomine conscriptam ad Nestorium, in qua haec habet: *Nam etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenus in seipso consideretur, quate-*

(1) Ep. LXXIX, in *Collect. Concil.* Labbei, tom. IV, col. 1553.

(2) Ἀλλὰ... καὶ οὔτε υἱὸν νομίζομεν, οὔτε διὰ υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν εἰληφός. Ibid. tom. III, col. 677.

nus Spiritus est et non Filius ; sed tamen non est alienus ab eo , Spiritus enim veritatis nominatur , et Christus est veritas , et proinde quoque ab illo atque a Deo Patre procedit (1) ; et anathematismo IX Spiritum Sanctum *proprium Filii* vocat ; atque in declaratione ejusdem anathematismi non solum Filium Spiritum Sanctum proprium habere profitetur , sed aperte asserit : *Qui ex ipso est , ipsique essentialiter inest* (2).

344. Plenus propterea semper extitit utriusque ecclesiae consensus in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre et Filio ; et nemo unquam huic articulo reclamavit ex catholicis ; sed solum aliqui haeretici obscuri homines , ut vidimus , absque ullo successu.

345. Hinc deprehendimus sensum patrum utriusque ecclesiae circa hunc articulum. Quod attinet ad patres latinos , res extra dubitationis aleam est. Hilarius enim Pictaviensis non solum vocat Filium *largitorem* Spiritus Sancti , sed etiam *auctorem* ; Spiritum Sanctum esse *ex Patre et Filio auctoribus* (3) , tanquam scilicet ab uno principio ob unam amborum naturam ; sed *De Trin.* lib. VIII , § 20 , recitatis Christi verbis superius relatis , concludit : *A Filio igitur Spiritus accipit qui ab eo mittitur , et a Patre procedit* ; deinde ostendit perinde esse *accipere* ac procedere , ut superius in nota retulimus , demum concludit : *Non permittenda itaque ad impiae intelligentiae libertatem haeretica perversitas est ; ut dictum hoc Domini , quod , quia omnia , quae Patris sunt , sua sunt , idcirco a se accipiet Spiritus veritatis , non ad unitatem confiteatur referendum esse*

(1) Εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἐν ὑποστάσει τὸ πνεῦμα ἰδικῇ , καὶ δὴ καὶ νοεῖται καθ' ἑαυτὸ καθὸ πνεῦμα ἐστι καὶ οὐχ υἱός , ἀλλ' οὖν ἐστὶν οὐκ ἀλλότριον αὐτοῦ· πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται , καὶ ἐστι Χριστὸς ἡ ἀλήθεια· καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ , καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρός. Ibid. col. 406 , § 10.

(2) Καὶ ἴδιον ἔχων τὸ ἐξ αὐτοῦ , καὶ οὐσιωδῶς ἐμπεφυκὸς αὐτῷ πνεῦμα ἅγιον. Ibid. col. 823 , declar. 9.

(3) *De Trin.* lib. II , n. 4.

naturae (1). Sic ceteri latini patres, quorum una sententia est, Spiritum S. a Patre ac Filio procedere; ut conceptis verbis docent s. Ambrosius (2), Marius Victorinus (3), s. Augustinus (4), s. Leo M. (5), Gennadius (6), s. Fulgentius (7), auctor symboli athanasiani (8), s. Gregorius M. (9), ut subsequentes praetermittamus.

346. Nec minus concors est patrum graecorum sententia circa eumdem articulum. Etenim s. Athanasius, libro *De Trin.* n. 19, ait, *Spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum esse doceamur*; rursum ibid: *Est Filius fons Spiritus Sancti*; et *Orat. III Contra Arianos*, *n.* 25: *Ipse* (Filius) *dat Spiritui, et quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo habet* (10). S. Athanasio consonat s. Basilius, qui libro *De Spiritu Sancto*, cap. XVII, sic loquitur: *Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium se habet Spiritus, secundum traditum in baptismo verborum ordinem* (11); et ibid. cap. XVIII: *Quia et Spi-*

(1) Cfr. ibid. n. 26, ubi principii loco sumit processionem Spiritus Sancti a Filio ad evincendam Filii divinitatem adversus arianos. Adeo res explorata erat!

(2) Lib. 1, *De Spiritu Sancto*, cap. 11, n. 120: *Spiritus quoque Sanctus cum procedit a Patre et Filio non separatur a Patre, non separatur a Filio*; et alibi passim, vid. opp. tom. 11, col. 625, edit. Maur.

(3) *Adv. Arium*, lib. 1: *Ex Filio Spiritus Sanctus, sicut ex Deo Filius, et Spiritus S. ex Patre.* Nempe et ipse ex processione Spiritus Sancti a Filio, arguit adversus Arium, et inde ostendit divinitatem Filii. In *Bibl. Patrum* De la Bigne, tom. v, pag. 282.

(4) Tum alibi tum lib. xv, *De Trin.* cap. 17; ubi n. 27 de Spiritu Sancto ait: *Qui Spiritus Sanctus secundum Scripturas sanctas nec Patris solius est, nec Filii solius, sed amborum*; et n. 29: *De quo* (Patre) *procedit principaliter Spiritus S... ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus S. procedere reperitur.*

(5) Epist. xv. *Ad Turribium* Asturic. episc. cap. 1: *Nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit.* Vid. tom. 1, col. 697, edit. Ballerini.

(6) Libro *De eccl. dogm.* cap. 1.

(7) *De fide*, cap. 11, n. 52.

(8) De cujus auctore cfr. Le Quien, diss. cit. n. 17, et Cajetan. Merati, diss. *De Auctore et tempore symboli*, quod s. Athanasii dicitur, in *Thesauro theol.* P. Zaccariae, tom. III; item Jos. Antelmi *Nova de symbolo athanasiano disquisitio*, in 8, Paris. 1693.

(9) *Hom.* XXVI. *in Evang.* n. 2.

(10) Αὐτὸς γὰρ (υἱὸς) τῷ πνεύματι δίδωσι, καὶ ὅσα ἔχει τὸ πνεῦμα, ταῦτα παρὰ τοῦ λόγου ἔχει.

(11) Ὡς τοίνυν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν

ritus Christi dicitur... denique tanquam paracletus in se ipso exprimit paracleti, a quo missus est, bonitatem, et in sua propria dignitate ejus, a quo processit, majestatem exhibet (1). Consonat s. Joan. Chrysostomus, qui comparans Spiritum Sanctum aquae, quae procedit de fonte, qui Filius et Pater est, concludit: *Ob id etiam ex Patre procedit* (2); consonat s. Epiphanius, in *Ancorato*, n. 67. dicens: *Cum Christus a Patre profectus, Deus videlicet a Deo credatur; et Dei Spiritus a Christo, utpote qui ab utroque procedit, id quod Christus ipse testatur: qui a Patre procedit, inquit, et hic de meo accipiet* (3); consonat Didymus Alexandrinus, nobilis saeculi IV (4) Scripturae interpres, qui, libro *De Spiritu Sancto*, n. 34, prolatis Christi Domini verbis: *Non enim loquetur a semetipso*, sic prosequitur, inducens Christum loquentem: ... *Quia non ex se est, sed ex Patre et me est; hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est* (5). Demum aliis omissis, auctore nempe antiquissimo homiliae de incarnatione inter opera s. Joan. Chrysostomi, et testimoniis Anastasii Sinaitae, Simeonis Metaphrastis, qui

πατέρα, οὕτω πρὸς τὸν υἱὸν τὸ πνεῦμα κατὰ τὴν ἐν τῷ βαπτίσματι παραδεδομένην τοῦ λόγου σύνταξιν. n. 43.

(1) Ἀλλὰ καὶ πνεῦμα Χριστοῦ λέγεται .... καὶ ὡς παράκλητος δὲ ἐν ἑαυτῷ χαρακτηρίζει τοῦ ἀποστείλαντος αὐτὸν παρακλήτου τὴν ἀγαθότητα· καὶ ἐν τῷ ἑαυτοῦ ἀξιώματι, τὴν μεγαλωσύνην ἐμφαίνει τὴν τοῦ ὁθεν προῆλθεν. n. 46.

(2) Διὰ τοῦτο καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. Apud. Petav. *De Trin.* lib. VIII, cap. 4. § 4; ex quibus patet s. Joan. Chrysostomum pro explorato habere Spiritum S. procedere a Filio. Duo alia ejusdem Patris testimonia, quae ex *Homil. in symb.* citari solent, consulto omisimus, eo quod duae illae homiliae non reperiantur neque in editione Morelii, neque Maurinorum, nec graece ullibi exstent sed solum tom. V, editionis Parisiensis Chevallon, anni 1536 inserantur.

(3) Εἰ δὲ Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρὰ ἀμφοτέρων ὡς φησὶν ὁ Χριστὸς, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ οὗτος ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. et alibi passim; vid. edit. Petavii.

(4) Obiit anno 399. nonagenario major, ut ex Hieron. libro *De Viris illustribus*, cap. 59, et ex Palladio simul collatis discimus.

(5) In *Bibl. Patrum* Gallandi, tom. VI, p. 276.

apud Petavium videri possunt (1), sic placet rem ipsam conficere ex ipsa haereticorum agendi ratione:

347. Ariani et macedoniani 1. ex receptissima in ecclesia doctrina de processione Spiritus Sancti a Filio, occasionem nacti sunt asserendi Spiritum Sanctum a Filio procreatum esse. 2. Macedoniani ex eodem principio sic argumentum instruebant adversus doctrinam catholicam, apud s. Athanasium in *Epistola ad Serapionem*, n. 15: *Si Filii dicatur esse Spiritus, Pater ergo avus est Spiritus Sancti* (2). 3. Eunomius sic arguebat apud s. Basilium, lib. III, n. 1: *Ut jam de Paracleto quoque dicamus, non vulgi opiniones temerarias sequuti, sed Sanctorum in omnibus doctrinam servantes, a quibus cum didicerimus eum dignitate et ordine tertium, tertium quoque natura esse credimus.* Cui adhaerens s. Basilius quoad Sanctorum doctrinam de tertio ordine processionis, negat illatam inde Eunomii consecutionem, dicens: *Nam dignitate secundum esse a Filio, ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat, et annunciet nobis, et omnino ex illa causa pendeat, pietatis sermo tradit; verum tertiam usurpare naturam neque ab sacris litteris edocti sumus, neque ex supradictis consequenter potest colligi* (3).

(1) Lib. cit. cap. 3 et seqq.

(2) Εἰ δὲ τοῦ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, οὐκοῦν πάππος ἐστὶν ὁ πατὴρ τοῦ πνεύματος, ex hac doctrina perversa macedonianorum factum est, ut patres institerint in asserenda Spiritus Sancti processione *a Patre*. Mirum proinde non est, si Adam Ternikaw ac Theophanes Prokopowicz, ut refert Filaret, op. cit. pag. 49, collegerint quinquaginta patrum testimonia, in quibus haec veritas reperitur. Sed mala fides horum auctorum in hoc est, quod dissimulaverint omnia testimonia, quae certe pauciora non sunt, in quibus iidem patres asserunt Spiritum S. procedere a Patre et a Filio, vel a Patre per Filium. Quis unquam catholicorum negavit Spiritum S. procedere a Patre? Verum, dum hoc adstruitur, aliud non negatur; ideoque aërem verberat Filaret, dum cum suis Adam et Theophane opponit quinquaginta testimonia patrum; ut aliquid proficeret, deberet afferre vel unum testimonium, in quo Spiritus S. dicatur a *solo* Patre procedere, ut ipse cum suis graecis contendit, quod profecto nunquam efficiet.

(3) Ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον

348. Ut igitur paucis quae hucusque disputavimus contrahamus, sic ponimus argumentum : Ex indubiis monumentis constat 1. ecclesiam latinam semper dogma tenuisse de Spiritus Sancti a Patre Filioque processione ; 2. Ecclesiam graecam, cui id innotuit, in communione semper fuisse cum ecclesia latina, nemine unquam, exceptis haereticis, ullam de hoc querelam movente, imo in quinque oecumenicis conciliis eamdem fidem approbasse, confirmando s. Cyrilli epistolam ad Nestorium ; 3. Patres utriusque ecclesiae in eamdem sententiam convenisse ; 4. ipsos haereticos antiquissimos, licet invitos, testes esse ejusdem fidei sua ipsa agendi ratione. Ergo vel dicendum universam ecclesiam per plura saecula veram amisisse fidem, vel graecos schismaticos in turpi haeresi versari ; at primum, ipsis fatentibus, repugnat ; posterius igitur unice remanet.

DIFFICULTATES

349. I. Obj. 1. Quoties de Spiritu S. Christus loquitur, eum procedere *a Patre* testatur, ac praesertim expresse (Joan. XV, 26) dicens : *Cum venerit Paracli-*

καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν, καὶ ὅλως ἐκείνης τῆς αἰτίας ἐξημμένον παραδίδωσιν ὁ τῆς εὐσεβείας λόγος· φυσει δὲ τῇ τρίτῃ χρῆσθαι, οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων γραφῶν δεδιδάγμεθα, οὔτε ἐκ προειρημένων κατὰ τὸ ἀκόλουθον δυνατὸν συλλογίσασθαι. Sic porro legendum esse hunc s. Basilii textum, tum ex serie orationis tum ex parallelis sancti hujus patris sententiis, tum ex auctoritate codicum invicte ostendit Petavius, *De Trin.* lib VII, cap. III. Miror proinde, quomodo lectionem graecorum ex paucorum MSS. auctoritate praeferre lectioni latinorum, adeo in Concilio Florentino excussae atque strenue vindicatae, Maurinus editor maluerit. Certe Manuel Calecas, strenuus catholicae fidei propugnator, haec scribere non dubitavit, cap. 10 : « Quod si quis additamentum hoc esse dicit (verba παρ' αὐτοῦ etc. id est, *ut qui*, usque ad illa : *causa pendeat* inclusive), calumniatur. Primum enim in antiquissimis libris is a lectio deprehenditur, quorum tanta est vetustas, ut eos ante schisma perscriptos esse quivis fateatur, quorum aliqui lituras etiam exhibent, cum quidam doctoris sententiam tanquam spuriam calumniati essent, ob idque ferro in scripturam grassati, ut contradicere possent. Sed et consequentia sermonis, et phrasis ipsa valde cohaerens est, et doctoris proposito consentanea ».

tus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit (1). Nec 2. quidquam adversus hanc veritatem prolatae a latinis scripturarum auctoritates conficiunt. Nam verba illa: *Mittam vobis Spiritum S.*, quo sensu accipi debeant, Christus ipse patefacit, dicens: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis.* Mittit igitur Spiritum S. Filius moraliter, *rogando*, non physice eum *spirando.* 3. Ea quoque verba: *Ille de meo accipiet, et annunciabit vobis*, palam de suis dogmatibus esse intelligenda, tota contextus ratio postulat. Dixerat enim: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... Ille de meo accipiet, et annunciabit vobis.* Quid porro accipere de Christo poterat, ut discipulis nunciaret? Certe scientiam illam, quam intelligere tunc discipuli non poterant (2); quod confirmatur ex ipso Maldonato, qui illud: *De meo accipiet*, exponit de mea doctrina, eo ipso quod in futuro sit dictum. 4. Demum etiam illud: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*, nihil evincit; alioquin, cum omnia, quae habet Pater, ubi non intercedit relativa oppositio, habeat pariter Spiritus S., cum in generatione Filii nulla interveniat oppositio relativa inter Patrem et Spiritum S., sequeretur Filium pariter a Spiritu Sancto gigni, quod absonum a fide est. Ergo.

350. Resp. ad 1. Vel *Neg.* ut ex probationibus patet; vel *D.* Eum procedere a Patre testatur in sensu inclusivo Filii, *C.* in sensu exclusivo *N.* Ut enim observat s. Augustinus: *Cum de illo* (Spiritu S.) *Filius loqueretur ait: De Patre procedit; quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem Filium genuit, et gignendo dedit, ut*

(1) Quod quidem Christi dictum graeci *acutum telum* vocare consueverunt adversus latinos.

(2) Has easdem difficultates repetit Filaret, op. cit. pag. 47.

etiam de ipso procederet Spiritus Sanctus. Nam nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis: Accipite Spiritum Sanctum (1). Vel etiam, ut ait s. Cyrillus Alex. in Joan. XV, ideo a Patre procedere Spiritum Sanctum dixit Christus, ut identitatem substantiae Filii et Patris ostenderet: *Ecce enim*, inquit, *ecce cum Spiritum veritatis, id est, suum Paracletum dixerit, a Patre ipso ait procedere. Sicut enim proprius est Filii Spiritus, naturaliter et in ipso existens, et per ipsum procedens, ita etiam Patris.* Demum concludit: *In unam Deitatis rationem Sancta Trinitas constringitur* (2). Et sane neque Athanasius, nec ceteri patres graeci, licet et ipsi legerint in Evangelio: *Qui ex Patre procedit*, a latinorum propterea sententia recesserunt, cum minime ignorarent in Evangelio pariter legi: *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt*; ex quo intellexerunt non posse Spiritum S. a Patre procedere, quin procedat a Filio, *propter ipsam inseparabilitatem*, ut loquitur s. Augustinus (3), *divinae substantiae.* Addatur patres minime illum Scripturarum morem ignorasse quaedam attribuendi certis personis, quae omnibus ex aequo conveniunt, ut cum dicitur de Filio: *Erat lux vera*, cum Pater et Spiritus Sanctus lux vera similiter sint (4).

(1) *Contra Maximinum Arian.* lib. II, cap. 14, n. 1, quod totum fere est de hoc argumento.

(2) Ἰδοὺ γὰρ, ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας τοῦτ' ἔστιν, ἑαυτοῦ τὸν παράκλητον, εἰπὼν παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτὸν πορεύεσθαι φησίν· ὥσπερ γάρ ἐστιν ἴδιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φυσικῶς, ἐν αὐτῷ τε ὑπάρχον, καὶ δι' αὐτοῦ προϊόν, οὕτω καὶ τοῦ πατρός .... εἰς ἕνα θεότητος λόγον ἡ ἁγία τριὰς ἀνασφίγγεται. Hanc vero doctrinam profitetur se accepisse ex sanctorum patrum fide, τῶν ἁγίων πατέρων ἰχνηλατοῦντες πίστιν, *Sanctorum Patrum fidei vestigiis insistentes*, lib. X, in Joan. in v. 26, 27, cap. 15.

(3) *De Trin.*. lib. I, cap. 7, n. 17, imo in toto hoc capite fuse istud argumentum prosequitur.

(4) Cfr. s. August. loc. cit. cap. 9, n. 19, ubi usitatam ejusmodi Scripturae loquendi rationem his verbis exponit: « Propter insinuationem Trinitatis, personis etiam singulis nominatis, dicuntur quaedam separatim, non tamen aliis separatis intelliguntur, propter ejusdem Trinitatis unitatem unamque substantiam, atque Deitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Post clara adeo s. Augustini testimonia aliaque non pauca, quae afferri possent, in quibus toties inculcat Spiritum S. a Patre et

351. Ad 2. *Neg.* Ad probat. autem, *D.* Christus de morali loquitur missione simul et physica, *C.* de morali tantum *N.* loquitur enim Christus ut Deus cum dicit: *Mittam vobis Spiritum Sanctum*; loquitur ut homo, cum addit; *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Sic utramque missionem complectitur, quam

Filio procedere, esse *Spiritum amborum, ab ambobus tanquam unico principio procedere*, etc. quis suspicari potuisset Filaret nobis objcturum fuisse auctoritatem s. Augustini, et latinos accusaturum, quod in novis editionibus ausu temerario corruperint s. Doctoris textum lib. xv, *De Trin.* cap. 27, n. 50, ut suae causae patrocinarentur? Causa accusationis est, quod bis ibi mutaverint vocem *cognitionis* in vocem *cogitationis* contra omnium prope MSS. fidem. Jam vero observo 1. me non propugnare agendi rationem editorum Maurinorum, quin potius superius notavi, cum agcretur de textu s. Basilii, in quo contra omnium fere MSS. fidem faverunt potius causae graecorum quam latinorum, caeca ratione semper eorum lectioni standum non esse. 2. Si fraude ac dolo atque ad patrocinandum causae latinorum dictam mutationem induxissent gracca fide, non admonuissent *omnes prope MSS. habere cognitionis ejus.* Adde fraudem et dolum dotem esse propriam eorum, qui errorem tuentur, haereticorum scilicet et schismaticorum. 3. Nego suppositum, nempe hic s. Augustinum favere haeresi schismaticorum, sive legatur *cognitionis* sive *cogitationis*; quod ut pateat afferam argumentum, quod recitatis, non absque aliqua infidelitate, s. Doctoris verbis confectum a Filaret, pag. 47: *Eruamus*, ait ipse, *praecipuas ideas, quae sibi mutuo respondent*:

Scientia sive *cognitio-Pater*
Verbum sive *cogitatio-Filius*
Voluntas sive *amor-Spiritus*

Voluntas procedit a cognitione
Ergo *Spiritus procedit a Patre.*

Ast. *a*) S. Doctor expresse docet voluntatem seu dilectionem a cognitione seu cogitatione, quae est Verbum, genitum a *scientia*, quae adumbrat Patrem, procedere, ideoque Spiritum S. procedere a Patre et Filio. *b*) Congruit scopus s. Augustini, qui hic est ostendere discrimen, quod intercedit inter generationem Filii et processionem Spiritus S.; quare nempe processio Filii sit *generatio*, non autem *processio* Spiritus Sancti. Utitur autem similitudine animae nostrae, in qua Verbum, quod a scientia producitur, praesefert imaginem et similitudinem scientiae seu conceptus, qui in mente est et a qua procedit; ex quo infert processionem Verbi esse generationem; contra vero voluntas, quae de cogitatione (seu cognitione), procedit, cujus officium est appetere, non praesefert cogitationis (seu cognitionis) imaginem et similitudinem; ex quo concludit processionem Spiritus S. non esse generationem, etsi voluntas in sua processione dependeat et a scientia et a cogitatione seu Verbo. Legatur totus contextus, et hunc genuinum esse sensum hujus loci quisque percipiet. Et haec quidem juxta illud, quod dixerat in hoc ipso capite; nam n. 38, scribit: « Inter cetera enim cum per Scripturarum sanctarum testimonia docuissem *de utroque* procedere Spiritum Sanctum, si ergo: inquam, et de Patre et de Filio procedit Spiritus Sanctus, cur Filius dixit: de Patre procedit?

simul graeci confundunt, dum ad solam moralem reducunt.

352. Ad 3. Dato etiam, quod Christus de scientia loquatur cum dicit: *Ille de meo accipiet*, *neg. cons.* Etenim, si Spiritus Sanctus, qui Deus est, de Filii scientia accipit, ergo non a se, sed a Filio hanc scientiam habet, adeoque a Filio emanat; scientia enim et essentia in Deo idem sunt, et qui unum a Filio accipit, alterum pariter accipiat necesse est. Ceterum quominus praecise de scientia, non autem de essentia sua, Christum locutum esse dicamus, secus ac Theophilactus, Maldonatus aliique autumant, obstant non solum allatae patrum, sive graecorum sive latinorum interpretationes, sed etiam ipsae antiquissimae versiones, quas pariter protulimus, et quae hujusmodi effugium excludunt.

353. Ad Maldonatum quod spectat, energice respondet Petavius, ostendendo expositionem veterum, perinde esse illud: *De meo accipiet*, ac *a me procedit*, non solum probabilem, sed plane necessariam esse ex ipso contextu. Si enim, assentiente Maldonato, haec verba: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt*, essentiam significant, cum Christus dixerit, ideo Spiritus Sanctus *de meo accipiet*, quia *quaecumque habet Pater mea sunt*, hoc ipso patet, quod cum dixit Christus de Spiritu Sancto: *De meo accipiet*, de sua essentia ipsum locutum esse; non aliter autem Spiritus Sanctus de essentia Filii accipere potest quam procedendo.

354. Nec obstat quod loquatur in futuro, *de meo accipiet*; tum quia in aeternitate nulla successio est, ideoque vere potest dici accepit, accipit et accipiet; tum quia Christus his verbis alludit potissimum ad externam processionem Spiritus Sancti, quae in interiori fundatur, quaeque externae cujusdam efficientiae gratia fieri dicitur; quare cum Christus de hac externa missione loqua-

tur, quae futura adhuc erat, futuri itidem verbo temporis eam exprimit (1).

355. Ad 4. *D.* Si Spiritus Sanctus non esset in processionis ordine secundus, *C.* secus *N.* Jam vero, ut patet ex ipsa formula baptismi, Spiritus Sanctus ordine tertius est in ratione personae, ac proinde processionis ordine secundus; fieri proinde nequit, ut Spiritus S. gignat Filium, qui ordine ac processione anterior est ipso, etsi in activa generatione Patris nulla sit oppositio relativa cum Spiritu Sancto.

356. Inst. Sed si Spiritus Sanctus reipsa a Filio quoque procedit, quare Christus id aperte non tradidit? Quin potius, cum eum a Patre procedere affirmet, nonne in errorem nos induxisset, si res aliter se haberet?

357. Resp. Nostrum non esse in rationem inquirere, quare Christus his potius quam aliis verborum formulis usus sit in doctrina sua tradenda; 2. Christum aperte satis et aequivalenter id docuisse in ipsis capitibus, ubi Spiritum Sanctum a se mitti affirmat, de suo accipere, et se unum esse cum Patre, omniaque se habere cum Patre communia; 3. ex hoc evinci necessitatem magisterii semper viventis pro Scripturarum explanatione, verique earum sensus assecutione, ut graeci ipsi admittunt adversus haereticos omnes qui auctoritate scripturarum abutuntur ad suos errores cohonestandos (2).

358. II. Obj. 1. Per symbolum constantinopolitanum jubemur profiteri *Spiritum Sanctum, qui a Patre procedit.* Quod quidem evidens argumentum est veterem ec-

(1) Cfr. Petav. *De Trin.* lib. III, cap. 8, § 7 et seqq. ubi frangit audaciam Crellii auctoritate Maldonati abutentis.

(2) Quoniam vero nonnulli Maldonati verbis abutuntur, praestat ex eodem rationem afferre, quare Christus Dominus loc. cit. dicat Spiritum S. a Patre procedere, et non etiam a se: « Quia id, *inquit*, apud homines magis minuere quam commendare poterat ejus (Spiritus Sancti) testimonium. Cum enim de ipsomet ageretur, suspectum Spiritus Sancti testimonium videretur, si dixisset a se procedere, praeterquam quod, ut modo diximus, modestius ita loquitur ».

clesiam sic credidisse. Sane 2. cum s. Cyrillus posuisset in suis anathematismis Spiritum Sanctum proprium Filii esse, acriter vapulat a Theodoreto, nec tamen doctus et pius hic antistes in suspicionem hac de causa erroris venit, nec Cyrillus huic objurgationi quidquam respondit, sed 3. paulatim a persuasione hac sua recessit, et 4. ille perrexit avitam doctrinam tueri, sive in *Epist. ad monasteria*, sive in cap. VIII. epist. ad Rom. tum in I ad Corinth. II, 12, ac in lib. ult. *Haeret. fabul.* cap. III. Atque hinc 5. factum est ut reliqui patres passim doceant Spiritum Sanctum a Patre procedere *per Filium*, 6. inter quos s. Athanasius, qui praeterea tum in *Refutatione hypocrisis Meletii et Eusebii*, tum in *Quaest. sacris*, Spiritum S. *a solo* Patre procedere testatur; sic etiam s. Basilius, *Epist. XLIII*, s. Greg. Nazianz. *Orat. XXIV*, ac ipse Cyrillus Alex. lib. II in Joan. cap. III. Quorum 7. principiis imbutus s. Joan. Damascenus non solum perpetuo Spiritum Sanctum a Patre procedere docet per Filium, sed ad omnem tollendam aequivocationem, *De fide orthod.* lib. I, cap. VIII, aperte scribit: *Spiritum Sanctum et ex Patre esse dicimus, et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus* (1). Nec tamen 9. illi, aut ipse Photius ob hanc doctrinam damnati sunt, sicut ante ipsos nec Theodorus Mopsuestenus nec Theodoretus. 8. Quare ecclesia graeca, antiquitatis tenacior quam latina, veram et receptam a patribus doctrinam professa est, a qua per summum nefas recessit ecclesia latina (2).

(1) Τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν· ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν· πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν. Frustra Hugo Etherianus spuria haec verba esse contendit cum in omnibus MSS. reperiantur.

(2) His addit Moschus metropolita Filaret, op. cit. pag. 49 ex auctoritate s. Augustini, *Serm.* CXXIX de tempore, et Theodoreti *Hist. eccles.* lib. V, cap. 11, quorum alter graece in Asia, alter in Africa latine eodem ferme tempore, ita ut neuter de altero sciret, scripserunt, decretum Damasi ac totius concilii Roma-

9. Resp. ad 1. *D.* Ad excludendum macedonianorum em, qui Spiritum Sanctum a Filio procedere doce-, sed non a Patre, *C.* ad excludendam processio- a Filio *N.* Macedoniani enim, utpote arianorum sur- :um tres gradus in personis divinis ponerent, autu- ınt Spiritum S. a Filio procreatum esse, ut igitur s Constantinopolitani directe huic impietati se se op- rent, adjecerunt in symbolo citata verba. Atque hinc uod subsequentes patres solliciti semper in eo fue-, ut adstruerent Spiritum Sanctum ex Patre per Fi- procedere, ut mox dicemus (1). A Filio vero illum dere cum pro certo haberetur, synodus illa nihil de decrevit.

o. Ad 2. *D.* Ex falsa suppositione quod Cyrillus his s Apollinaris et Macedonii impietates exprimeret, *C.* catholico *N.* Hanc veram esse causam reprehen- Theodoreti, liquet ex ejus *Epist. ad monasteria*, a adversus anathematismos s. Cyrilli quaeque lecta

Si quis non dixerit Spiritum m de Patre esse vere ac pro- cut Filium de divina substan- Deum verum, Dei Verbum, ma sit ». Hinc exultat adver- holicos. At bonus vir multi- labitur, ac 1. in eo quod tri- Augustino sermonem CXXIX, rius est et conflatus ex diversis is Nestorio faventibus; 2. in d assecutus non sit sensum de- Damasi in citato anathematis- ti aperte eruitur, sive a Theo-, sive a consarcinatore sermo- gustino tributi. Sic vero apud retum incipit confessio fidei cae, quam Damasus Papa in oniam misit ad Paulinum: *im post concilium Nicaenum ror emersit, ut quidam ore o dicere audeant, Spiritum im per Filium factum esse* εὖμα πὸ ἅγιον γεγονεῖσται διὰ οῦ), *anathematizamus eos;* eodem sensu postea subjungit anathematismum modo prolatum, et alium: *Si quis dixerit Spiritum S. facturam* (ποίημα) *ac per Filium factum, anathema sit.* Auctor vero citati sermonis incipit: *Credimus quoque sanctum Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre Filioque procedit*, post quam confessionem et juxta hanc fidei confessionem adjicit anathematismos. Non igitur dictum est a Damaso, Spiritum S. ita a Patre procedere ut excludat ejus processionem a Filio, sed ad prbfitendam ejusdem cum Patre divinitatem, adversus errorem macedonianorum.

(1) Compertum etiam est, arianos docuisse Spiritum Sanctum immediate a solo Filio tanquam per instrumentum esse productum a Patre, cui errori refellendo patres insistebant. Inferius hujus assertionis, quae magnam affert lucem ad dictiones patrum explanandas, documenta dabimus.

est in Quinta synodo, cujus haec verba sunt: *Blasphemat vero* (Cyrillus) *et Spiritum Sanctum non ex Patre ipsum procedere dicens, secundum Domini vocem, sed ex Filio esse. Iste vero Apollinaris seminum fructus est; propinquat vero et Macedonii malignae culturae* (1). Ergo eatenus improbata est a Theodoreto Cyrilli sententia, quatenus ex ejus mente Cyrillus errorem Apollinaris et Macedonii praeseferebat, non improbaturus, si alio sensu dixisset. Aliam vero esse mentem s. Cyrilli, inutile est ostendere; cum id plane compertum sit (2). Exinde ratio habetur, cur nec Theodoretus ob hanc causam in suspicionem heterodoxae doctrinae venerit, et s. Cyrillus non institerit.

361. Ad 3. *Neg.* Haec gratuita calumnia graecorum est, quae ex omnibus operibus a s. Cyrillo post anathematismos conscriptis refellitur. Etenim Spiritum Sanctum procedere a Filio docet in *Thesauro*, assertione XXXIV; in *Dialogis de Trinitate*, ac praesertim dial. VII, ubi scribens in illa Joannis verba: *In hoc cognoscimus*, etc. (3), infert Spiritum Sanctum non esse alienum substantive et sejunctum a Filio, quippe qui *ex ipso*, *et in ipso*, *et ipsius proprius sit*. Alibi saepe eadem repetit (4).

362. Ad 4. *D.* Sensu exposito, *C.* sensu graecorum schismaticorum *N.* In omnibus siquidem citatis locis constanter docet, Spiritum Sanctum a Patre procedere, et ex Deo esse, ad respuendam haereticorum insaniam,

(1) *Collect. Concil.* Labbei, tom. v, col. 555.

(2) Apollinaris enim, adducto exemplo solis, radii et splendoris, qui a sole per radium emittitur, Spiritum S. magnum, Filium majorem, Patrem maximum, diversos gradus in Trinitate statuendo, effutiebat, ut sicut Filius minor esset Patre, utpote natus ex Patre, ita quoque Spiritus Sanctus esset Filio minor, quia procreatus ex Filio. Hunc vero sensum propositioni s. Cyrilli affingebat Theodoretus, ut eum carperet, pro livoris aestu quo erga praestantissimum doctorem agebatur. At omnem apollinarismi suspicionem s. Cyrillus tam circa hoc quam circa alia doctrinae capita, a se repulit in secunda praesertim epistola, quam scripsit ad Successum, quae prostat tom. v, pag. 11. edit. Paris. 1638.

(3) *Epist.* I Joan. IV, 13.

(4) Cfr. Le Quien, diss. cit. § 4.

ım Filii facturam existimabant. Hic satis sit ejus proferre ex lib. V *Haeret. Fab.* cap. III, ubi, s Apostoli verbis ex I Cor. II: *Nos enim non Spi- hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex :st*, addit: *Hac ratione cum Patre et Filio sem- mjungit* (Apostolus), *cum creatura autem nun- conjunxit. Non enim creaturae partem illum es- vit, nec primam facturam nominat secundum :t Eunomii et Macedonii blasphemiam* (1).

. Ad 5. *D.* Id est a Filio, particulam *per* loco *a* ıntes, *C.* alio sensu *N.* Quamcumque cavillationem unt Florentini patres, declarantes: *Quod, id quod Patres et Doctores dicunt, ex Patre per Fi- procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelli- m tendit, ut per hoc significetur Filium quoque secundum Graecos quidem causam, secundum s vero principium subsistentiae Spiritus Sancti, et Patrem* (2). Enim vero Nazianzenus, Cyrillus, ınius modo voces *ex Filio* sumunt, modo *per* ı (3); promiscuas pariter in Scripturis has voces exploratum est; ac demum explicavit orientalis ec- ecclesiae russorum anno 1752, ut refert Frantz. (4).

ίτητοι πατρὶ καὶ υἱῷ αὐτὸ διαντάττων, τῇ κτίσει δὲ ὁ συνέποτε· οὐ γὰρ οὐδὲν αὐτὸ τῆς μόριον, οὐδὲ πρῶτον ποίημα , κατὰ τὴν Ἀρείου, καὶ Εὐνοαὶ Μακεδονίου βλασφημίαν. pud Labb. *Collect. Concil.* ı, col. 1166.

r. Petav. qui (*De Trin.* lib. ıp. 17, § 2 et seqq.) fuse , innumeris prope, sive ex ıitteris, sive ex graecis pa- oductis exemplis, promiscue ticulas διά, *per*, et ἐξ, *ex*, quod consequens est, tantum- , Spiritum dicere *per* Filium procedere, atque *ex* Filio. . P. Ignatii Frantz, S. J. in . Univers. Prof. dissert. *Su- per formulis Graecorum et Latinorum de confitenda Spiritus Sancti processione*, quae habetur in *Thesauro Theologico* Zaccariae tom. III. Jam vero hic auctor sub finem § 3, haec habet: *Solemnis* ὁμολογία (confessio) *Ecclesiae orientalis pro Ecclesia Russorum quam Graeci* sororem *appellant suam, recentibus typis edita anno* 1751, *pag.* 81, *haec continet:* Ὡς φησὶν (Ἰωαν. α. ῖ.) ἡ γραφή· ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, τοῦτ' ἐστιν, ἐξ αὐτοῦ. *Docente Scriptura Joan. I*, 10, *in mundo fuit, et per ipsum* (Verbum) *mundus factus est, hoc est: ab ipso. Ubi jam ante oculos est, quemadmodum Graeci* διά, *et* ἐξ *pro eodem sumere non vereantur.*

364. Ad 6. *Neg.* Siquidem primum opusculum nunc critici inter dubia, alterum vero inter apocrypha ejusdem s. Doctoris opera recensent (1).

365. Ad 7. *D.* Et per illud *ex Filio* (ἐκ τοῦ υἱοῦ) s. Joannes Damasc. exclusit a Filio *principalem causam* divinarum processionum, quam Graeci τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν (procatarcticam causam) appellant, *C.* processionem ipsam *N.* Nempe citatis verbis id unum vult s. Doctor, Filium non esse principium *absque origine*, sed solum esse principium Spiritus Sancti *cum origine*, eo quod solus Pater tale principium *sine origine* sit, cum omnia quae Filius habet a Patre acceperit, et ideo confestim addit s. Joannes Damascenus: *Solus Pater principium est.* Ita explicant hunc locum graeci ipsi doctores, Manuel Calecas, cap. XXXIX; Demetrius, *De process. Spiritus S.* cap. XI; Bessarion, in *Orat. dogm.* cap. VI. Sane noluisse per citata verba Joannem Damascenum excludere processionem Spiritus Sancti a Filio patet ex pluribus locis, in quibus expresse tradit, Spiritum S. a Patre per Filium produci vel procedere; sic in cap. *De divinis nominibus*, Pater dicitur *per Filium producens manifestantem Spiritum* (2); et rursum: *Spiritum autem Filii, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens* (3); et in fine *Epist. ad Jordanem*, aeternam Spiritus S. processio-

(1) Consulatur Maurinus editor opp. s. Athanasii tom. II, seu vol. III in admonitione ad *Refutationem hypocrisis*, etc. num. 2. Ubi tum ex materia ipsa, tum ex styli varietate, tum ex tractandi ratione scriptoris hujus opusculi, qua orthodoxae piaeque sententiae argutiis atque cavillis impugnantur, ac demum ex veteribus codicibus ostendit hujus opusculi auctorem s. Athanasium non esse. Vid. pariter. ib. monitum praemissum alteri opusculo, s. Athanasio tributo, cui titulus, *Quaestiones aliae*; ubi ait, neminem esse, qui Athanasium tantarum nugarum, quot in eo reperiuntur, patrem esse, suspicari possit; censet vero harum quaestionum auctorem vixisse post exorta certamina inter latinam et graecam ecclesiam. Idque sane luculenter evincitur ex quaest. XI et XII.

(2) Διὰ λόγου προβολεύς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος.

(3) Καὶ υἱοῦ δὲ πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον.

nem diserte enunciat his verbis : *Spiritus Sanctus est ex Patre , siquidem per Filium procedit , non tamen filiationis more* (1) ; et alibi passim (2).

366. Ad 8. Resp. quoad Joannem Damascenum falso laborare supposito graecorum exceptionem , ut ex modo dictis patet.

367. Theodori vero Mopsuesteni symbolum, quod exhibuit Charisius presbyter concilio Chalcedonensi , ac Theodoreti scripta , adversus s. Cyrillum exarata , reipsa repudiata fuerunt ; symbolum quidem Theodori a concilio ipso Ephesino (3) ; Theodoreti vero scripta partim rejecta sunt et retractata ab ipsomet Theodoreto , cum Cyrilli synodicas epistolas suscepit , ut animadvertit Card. Nori-

(1) Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρος γὰρ , διὰ τοῦ υἱοῦ καὶ λόγοῦ προιὸν , οὐκ υἱικῶς δὲ... quae est epistola *De hymno* Trisagio n. 28.

(2) Ut in *Dial. contra Manichaeos* , etc. Cfr. Le Quien in nota ult. ad cap. 8 , libri 1 *De fide orthod.* ubi ostendit 1. s. Joannem Damasc. ceteris patribus graecis apprime consentire in profitenda Spiritus Sancti processione a Patre per Filium; 2. non alio sensu eumdem negare Spiritum S. *a Filio* seu *ex Filio* esse , quam quo s. Maximus in *Epistola ad Marinum* presbyterum Cypri scribit , latinos patres interpretandos esse , ubi Spiritum Sanctum ex Filio procedere asserunt , ut *Filium esse Spiritus S. causam senserint* ; οὐκ αἰτίαν τὸν υἱὸν ποιοῦνται τοῦ πνεύματος. *Unam enim noverunt cum Filii tum Spiritus Sancti causam , Patrem scilicet* ; sed ut significent eum δι' αὐτοῦ προιέναι , *per ipsum prodire , atque hoc pacto substantiae cognationem et indifferentiam exprimant* ; id est, ad denotandum Filium non esse causam principalem (procarcticam) Spiritus Sancti , cujusmodi solus Pater est. Cum hac ratione caverent veteres , ne more ariano Spiritus Sancti productio in Filium praesertim refunderetur , et quidem actione quae a Paterna distincta sit. 3. Ostendit , tum s. Joannem Damascenum , tum reliquos antiquos patres docere , Spiritum S. a Patre *per Filium* progredi , ut illius actionis naturalis, qua Pater profundit Spiritum , nequaquam exsors sit Filius , quantumlibet Pater solus fons , oculus , scatebra , principium et auctor Spiritus habeatur ; quinimo divina natura , ut intelligitur a Patre prius secundum ordinem originis communicari Filio quam Spiritui S. ; illam in Filio quoque fecunditatem suam servare , quae incepit in Patre , prout eleganter expressit s. Gregorius Naz. celebri illo effato : *Unitas , a principio in dyada seu binarium progressa , in triade seu Trinitate constitit* , μονὰς ἀπ' ἀρχῆς εἰς δύαδα κινηθεῖσα μέχρι τριάδος ἐστι , seu , ut ait s. Greg. Nyssenus , una Deitatis substantia , unus voluntatis optimae motus *a Patre proficiscitur , per Filium progreditur , et in Spiritu completur* , ἀπὸ πατρὸς παρορμῶται , καὶ διὰ τοῦ υἱοῦ προεισι , καὶ ἐν τῷ πνεύματι τελειοῦται.

(3) Cfr. acta hujus concilii apud Labb. tom. III , col. 690.

sius (1), ac demum in concilio oecumenico V proscripta fuerunt (2).

368. Photius damnatus non fuit, sive a Romanis Pontificibus, sive a conc. VIII, etsi processionem Spiritus Sancti a Filio negaverit, quia ad evertendum ejus schisma synodus VIII celebrata est, et in hoc principale factum incubuerunt Romani Pontifices, non quasi approbaverint ipsius errores.

369. Ad 9. *Neg. antec.* Ab iis enim 1. quae ad fidem pertinent, ecclesia latina, seu potius ecclesia catholica deficere ne latum quidem unguem potuit, nisi Christus promissis suis defuerit. Addo 2. nec potuisse deficere ecclesiam latinam, quin cum ipsa ecclesia etiam orientalis defecerit, quae semper usque ad Photium cum ipsa in perpetua communione fuit; exploratum autem est, ecclesiam latinam, ut ex omnibus allatis monumentis constat, professam fuisse processionem Spiritus Sancti a Patre ac Filio; 3. non potuisse eam recedere ab antiqua fide, quin ejusdem praevaricationis rea extiterit ecclesia graeca, quae solemniter in duobus conciliis oecumenicis Lugdunensi II et Florentino eamdem doctrinam professa est; 4. patres graecos nonnisi loquendi ratione, neque id constanter, a patribus latinis dissentire, quia quod latini exprimebant per verba *a Filio*, graeci dixerunt *per Filium*; sed quoad rem ipsam, per diversa verba significatam, apprime inter se convenire. Dixi *neque id constanter*, quia interdum patres graeci dixerunt Spiritum Sanctum procedere *a Filio*, et Patres latini interdum et ipsi dixerunt eumdem procedere *per Filium* (3). 5. Graecos non posse, ad adstruendam suam

(1) In Diss. *De Synodo* v, cap. 11, tom. 1 opp. edit. Veron. 1729, col. 793.

(2) Actione VIII, can. XIII; apud Labb. tom. v, col. 578.

(3) Ita passim s. Epiphanius et s. Cyrillus Alexandr. qui aperte processionem Spiritus S. ex Patre, et Filio repetunt. Ille quidem in *Ancorato* cujus superius locum citavimus ex n. 67, ubi, Spiritum S. tum *a Christo* ἐκ τοῦ Χριστοῦ; tum num.

sententiam, proferre aliquem ex graecis patribus, qui aperte neget Spiritum Sanctum *a Filio* procedere, nisi unum s. Joannem Damascenum, qui non floruit nisi saec. IX; quo autem sensu id negaverit, ostendimus tum contextu ipso, tum ex aliis ejusdem patris parallelis locis, in quibus et ipse cum ceteris patribus docet, Spiritum Sanctum procedere a Patre *per Filium*; 6. quod proinde consequens est, graecos hallucinatos esse in vocibus illis *per Filium*, dum impugnarunt latinos; et latenter, ut ita dicam, apud ipsos semper quosdam tenuisse errorem, qui antiquitus apud factiosos nonnullos obtinuit; quia, licet sectae extinguantur et transeant, apud pertinaciores aliquos semper aliquid sectae extinctae conservatur, donec data occasione foras erumpat, ut patet ex criminationibus objectis, ut vidimus, circa hunc articulum ecclesiae romanae, tum a monothelitis, tum ab iconomachis ac demum a Photio ejusque fautoribus; et sic ratio redditur ejusmodi doctrinae, quae sensim sine sensu in ecclesia graeca invaluit (1). Quod cum viderint graeci pii et docti, qui sincero animo veritatem quaerebant, non dubitarunt errorem dimittere, et in ecclesiae catholicae unitatem redire (2).

71, *ab ambobus παρ' ἀμφοτέρων*, Patre nempe et Filio procedere, bis in eadem pagina repetit et iterum *Haer.* LXIV, num. 8; tum *Haer.* LXII, num. 2 et 4 etc: Alter vero tum alibi tum in *Dial.* VII. *De Trin.* ubi Spiritum S. *ex ipso* (Filio) *ἐξ αὐτοῦ* esse affirmat; et cap. 34 *Thesauri*, *ex Patre et Filio* procedere pro certo sumit, *ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ*. His addendus Didymus, cujus verba pariter retulimus. His addatur s. Greg. Nyssenus, qui, *Hom.* III *in orationem dominicam*, inquit: *Spiritus S. et ex Patre dicitur, et ex Filio* esse perhibetur, *τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται*. etc. E contra ex latinis patribus non desunt, qui doceant Spiritum Sanctum procedere *per Filium*. Sic Tertull. lib. *Cont. Praxeam* cap. 4, inquit: *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.*

(1) Ubi obiter notandum, juges simultates graecorum adversus latinos fuisse exercitas, ex quadam aemulatione ob imperialem ipsorum urbem, quarum non pauca suppetunt exempla in antiquitatis monumentis. Nil mirum proinde, si amarulento animo causas dissensionis nectere nunquam fere destiterint.

(2) Inter hos celebriores sunt Joannes Veccus seu Beccus, Gennadius, Bessarion, Cydonius Demetrius, Niceph. Blemmyda aliique bene multi, quorum praeterea scripta adversus

370. III. Obj. Nisi Spiritus Sanctus a solo Patre procedere dicatur, plura sequerentur absurda; ac 1. quidem quod a duplici spiratione dimanet. 2. Quod Patris appellari possit nepos. 3. Quod magis distet a Patre quam Filius. 4. Quod prius hic sit genitus quam ille spiratus. 5. Quod Filius esset supervacaneum Spiritus Sancti principium, cum Pater per se sufficiens sit ejusdem principium; ergo.

371. Resp. 1. generatim. Cum de facto revelationis constet, frustra rationis falsa commenta objiciuntur. Quare, ne videremur ratione theologica, quae non omnibus probatur, dogma fidei adstruere, consulto abstinuimus ab afferenda illa, quae petitur ex eo quod, si Spiritus S. a Filio quoque non procederet, non distingueretur amplius realiter a Filio ipso, cum in divinis, juxta tritum scholarum effatum, omnia sint unum, ubi non intercedit relationum oppositio; etsi haec ratio solidissima sit, et non solum a s. Anselmo et a s. Thoma, sed a nonnullis etiam patribus graecis afferatur (1). Multo minus attendi debent, quae a graecis urgentur, quae-

graecorum errores partim exhibet Leo Allatius in sua *Graecia orthodoxa*, duobus vol. in 4, Romae 1652 et 1659, partim Petrus Arcudius vol. 1, in 4, Romae 1630, in Op. cui titulus *Opuscula aurea Theologica*. Inter eos, qui ceteris palmam facile praeripuerunt in hoc argumento, eminet Manuel Calecas, Ord. Praed. cujus libros IV contra errores graecorum ex graeco in latinum vertit Ambrosius Camaldulensis; post alias editiones novam adornavit ex bibliotheca Bavarica ac notis illustravit Petrus Stevartius vol. 1. in 4, Ingolstadii 1608. Sic ipse Leo Allatius de suo scripsit *De ecclesiae occidentalis atque orientalis perpetua consensione libros tres*, vol. 1 in 4. Colon. Agripp. 1648. Laudandum praeter eos sese exhibet Nic. Comnenus Papadopoli Cretensis, qui anno 1699 Petavii, ubi sacrorum canonum erat interpres, vulgavit suas *Praenotiones mystagogicas ex jure Canonico*; in quibus energice schismaticos impugnat. Cfr. Resp. V, sect. 3, § 9 et seqq., ubi, quae spectant ad argumentum nostrum, compendio collegit, et graecorum tricas dissolvit.

(1) Cfr. Petav. lib. VII, *De Trin.* cap. III, § 4; tum ibid. cap. IX, § 11 et seqq. A scotistis tamen ratio illa non admittitur, qui contendunt distingui Spiritum Sanctum a Filio, etsi Ille ab Hoc non procederet, eo quod Filius ab intellectu, Spiritus Sanctus a voluntate procedat. Sed non video, utrum hoc solidius sit.

que magna ex parte a patribus ipsis jamdiu disjecta sunt. Ne tamen ea absque solutione dimittamus:

372. Resp. 2. ad singula. Ad 1. *neg.* Cum enim nulla sit inter Patris ac Filii spirationem realis oppositio, una est utriusque spiratio. Non duo proinde sunt Spiritus Sancti principia sed unum, quemadmodum Pater, Filius et Spiritus S. una sunt rerum creatarum causa, ratione unius ejusdemque omnipotentiae (1).

373. Ad 2. 3. et 4. *Neg.* pariter. Etenim, ut observat s. Thomas (2), sicut generatio Filii generanti coaeterna est, sic processio Spiritus S. coaeterna est suo principio; quare non prius fuit genitus Filius, quam Spiritus S. procederet, sed utrumque aeternum est. Hinc negamus Spiritum Sanctum Patris appellari posse nepotem, tum quia nepos filius est filii, et Spiritus S. Filii seu Verbi filius non est, tum quia nepos non procedit immediate ab avo, prout Spiritus S. procedit a Patre (3); solo quippe ordine tertius est, qui quidem ordo nihil in re aut tempore ponit (4).

374. Ad 5. *Neg.* denique *sequelam et suppositum.* Etenim quemadmodum non valet haec argumentatio: Pater est sufficiens creationis causa; ergo neque Filius, neque Spiritus S. causa sunt creationis; sed potius dicendum: Pater est creator; ergo et Filius et Spiritus S., qui eamdem habent cum Patre omnipotentiam; ita non valet ratiocinatio: Pater est sufficiens Spiritus S. principium; ergo Filius non est principium Spiritus S., sed potius concludi debet: Spiritus S. procedit etiam a Fi-

(1) Cfr. Petav. ibid. cap. xv, § 12 et seqq., ubi ostendit non minus ex substantia Filii Spiritum Sanctum procedere; et sic dissolvitur argutia graecorum objectio.

(2) Part. 1, q. xxxvi, art. 3, ad 3.

(3) Petav. ibid. cap. 11 ostendit, quo sensu processio Spiritus Sancti mediata dicatur ab aliquibus patribus, quod quidem a nonnullis aliis videtur negari, cum tamen utroque modo dici possit Spiritum Sanctum a Patre procedere.

(4) Superius vidimus a macedonianis hanc prolatam esse difficultatem; eam vero repetere ac suam facere graeci recentiores non verentur.

lio, cui omnia quae Pater habet communia sunt, una excepta Paternitate (1).

PROPOSITIO II.

Immerito Graeci Ecclesiam Latinam corrupti symboli insinulant ob additamentum particulae Filioque

375. Ita in primis statutum fuit in concilio Florentino graecis consentientibus: *Explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandae gratia, imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam* (2). Jamque antea in concilio Lugdunensi II, anno 1274 celebrato, latini et graeci simul intra Missarum solemnia ad publice profitendam utriusque ecclesiae concordiam cecinere symbolum una cum declaratione: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

376. His praemissis, sic adstruimus enunciatam propositionem: Si qua ratio foret culpandi ecclesiam lati-

(1) Praeter graecos auctores, quos recensuimus, consuli poterunt circa gravissimam hanc controversiam inter ceteros s. Anselmus, in *Monologio* cap. 50 et seqq. ad Maur.; s. Thom. *Contra Gentes*, lib. IV, cap. 24 et seqq., et in *Summa* quaest. cit. superius; Bellarminus, lib. II *De Christo*, cap. 20. et seqq.; Petavius, lib. VII *de Trin.*; Le-Quien, diss. I in opp. s. Joan. Damasc.; Nat. Alex. dissertat. 18 in sacc. IX et X, adversus Photium aliosque graecos schismaticos; Bernard. de Rubeis Ord. Praed. *Diss. hist. et dogm. de process. Spiritus S.* etc. in opere, quod inscribitur *Georgii seu Gregorii Cyprii vita*, vol. I, in 4, Ven. 1753; aliae dissertationes inveniuntur in *Thesauro theologico* Zaccariae, tom. III; sed praestat adire acta ipsa concilii Florentini, apud Labb. tom. XIII, in quibus omnia, quae ad quaestionem praesentem faciunt, plene discussa sunt, donec tandem veritate agnita graeci subscripserunt editae fidei definitioni, ibid. col. 1170. Vide etiam aureum librum s. Anselmi, *De processione Spiritus Sancti*. Cfr. etiam Galani Clerici regul. *Conciliationes Eccl. Armenae cum Romana*, Romae 1658, tom. I, part. II, quest. 9, de Christo Filio Dei producente una cum Patre Spiritum Sanctum, ubi ex Scriptura ac patribus graecis ac latinis fuse ostendit hanc veritatem adversus armenos dissidentes.

(2) Sess. XXV, apud Labb. col. 515 integra verba haec sunt: Ἔτι διορίζόμεθα τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπαυξιν τὴν καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνισθῆναι ἀνάγκης τέ ποτε ἐπικειμένης, θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι.

nam ob insertam symbolo particulam *Filioque*, haec esset decretum concilii Ephesini id prohibentis; atqui haec ratio nulla est; ergo.

377. Major hujus argumenti unanimiter a graecis admittitur, qui bene norunt, morem hunc, quidpiam, majoris declarationis gratia et ingruentibus haeresibus, adjiciendi Symbolo apostolico, viguisse in ecclesiis, sive orientalibus sive occidentalibus, usque ad Ephesinam synodum; ut ex certis historicis monumentis constat (1). Eadem praeterea assertio patet ex eo, quod graeci nullam aliam objurgandi ecclesiam latinam causam proferant praeter Ephesinum decretum.

378. Minorem vero ut evincamus, juverit afferre tum

(1) Etenim Symbolum apostolicum brevius et simplicius, quam hodie, tribus primis ecclesiae saeculis, in omnibus ecclesiis, iisdem pene verbis conceptum, viguit, sive in Oriente, sive in Occidente. Erat autem ejusmodi: « Credo in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum, unicum Filium ejus, Dominum nostrum. Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus. Tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit in coelos, sedet ad dexteram Patris, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem ». Quod quidem in sua simplicitate, seu nulla auctum declaratione, ad plura saecula servavit ecclesia romana. Ecclesia ravennatensis, teste s. Petro Chrysologo, in *Sermonibus in symb. Apost.* addebat *vitam aeternam*. Absque his postremis verbis retinebat ecclesia taurinensis, ut testatur s. Maximus, *Hom. in traditione symboli*. Ecclesia aquilejensis, teste Rufino in *Exposit. symboli*, inter opera s. Cypriani, addebat ad primum articulum: *invisibilem* et *impassibilem*, ac postea: *descendit in inferna*, in fine: *hujus carnis resurrectionem*. Sic in ecclesia africana auctum quinque verbis exhibet s. Augustinus *Serm.* CCXII et seqq. et in ecclesiis hispanicis, ut illud recitat Etherius, episc. uxamensis, lib. I *Adversus Elipandum*, arch. toletanum, anno 785 ad 2. articulum videmus adjectum; *Deum*; ad 4: *passus*: sic postea inveniuntur verba: *descendit in inferna*, resurrexit *vivus*, ad dexteram *Dei* Patris *omnipotentis*, ecclesiam *catholicam*, remissionem *omnium* peccatorum, et *vitam aeternam*.

Eadem viguit quoad verba varietas in Symbolis ecclesiarum orientalium. Symbolum commune non differebat a symbolo communi recepto in occidente superius recitato, nisi in duabus voculis: Credo in *unum* Deum, et in *unum* Dominum etc. Ceterum in formula ecclesiae alexandrinae et ecclesiae hierosolymitanae plura sunt adjecta; prima videri potest apud Socratem *Hist. eccles.* lib. I, cap. 22; et Sozom. lib. II, cap. 27, altera apud Touttée in edit. *Opp. s. Cyrilli Hieros.* post catechesim V. Hac vero varietate nihil obstante, nunquam inter ecclesias interrupta pax est. Cfr. De-Rubeis op. cit. diss. II, cap. I.

motivum tum verba ipsius memorati decreti. Motivum edendi ejusmodi decretum fuit symbolum a nestorianis interpolatum quodque Ephesinae synodo obtulit Charisius presbyter, et quo plures incaute decepti fuerant. Quo recitato, ad omnem ejusmodi deceptionis occasionem in posterum tollendam Ephesina synodus decretum emisit his verbis conceptum: *Statuit sancta synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu S. congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex judaïsmo, sive ex qualicumque haeresi; hos quidem, si sunt Episcopi aut clerici, alienos esse Episcopos ab Episcopatu, et clericos a clericatu decrevit: si vere laïci fuerint, anathemati subjici* (1).

379. Vel igitur per *alteram fidem*, ut plures contendunt, concilium intellexit fidem *contrariam*, aut *diversam* a fide tradita in symbolo nicaeno, et tunc evidens est ipsum non vetuisse illud additamentum, quo solum expressius declaretur eadem fides, in eodem nicaeno symbolo contenta, cujusmodi profecto est illud propter quod nobis graeci litem movent. Vel per *alteram fidem* intellexere patres Ephesini presse quamcumque ulteriorem declarationem symbolo addendam, et tunc ex facto ipso patet, decretum non afficere, nisi peculiares ac privatas personas sive individua; alioquin orientales et graeci ipsi primi fuissent hujus decreti violatores.

(1) Act. VI, ap. Labb. tom. III, col. 689. Sic porro se habet graecus textus: *ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαέων συνελθόντων σὺν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ Ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν, κ. τ. λ.*

380. Etenim 1. concilium Chalcedonense, quod post Ephesinum celebratum est, etsi renovaverit sanctionem Ephesinam, attamen, *Propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant*, commendat additamenta facta a centum quinquaginta patribus constantinopolitanis, et ipsum symbolum ab iisdem auctum recepit et in usum communem totius ecclesiae deduxit (1).

381. 2. Ecclesiae orientales non solum symbolum Constantinopolitanum susceperunt, quod etiam *Nicaenum* dictum est, sed praeterea ipsum inseruerunt fidei formulae.

382. 3. Non obstante lege Ephesina, peculiares vigebant fidei formulae *Antiochena*, *Hierosolymitana*, *Philadelphiensis* ab utraque sive Nicaena, sive Constantinopolitana formula *discrepantes*, quin tamen violatae legis ecclesiae accusatae fuerint, sive ab ecclesiis ceteris orientalibus, sive ab ecclesiis occidentalibus, quae semper retinuerunt in sua simplicitate symbolum apostolicum pro instructione catechumenorum atque in ritu baptismatis, neque inseruerunt symbolum liturgiae.

(1) Eutychiani enim, sub praetextu adhaerendi formulae seu symbolo nicaeno, rejiciebant additamenta huic symbolo facta a concilio Constantinopolitano 1, ut sic facilius suos errores tegerent. Hinc patres synodi Chalcedonensis, celebratae anno 451, nempe post concilium Ephesinum, *Machinationem omnem haereticorum contra veritatem claudere volentes*, ut ibid. legitur, actione v decreverunt: « Ante omnia, fidem integram et intemeratam permanere trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum (Nicaenorum) doctrinam confirmantes, quae de substantia Spiritus Sancti a Patribus centum quinquaginta postea congregatis in Regia civitate (Constantinopoli) tradita est propter illos, qui Spiritui Sancto repugnabant ». Apud Labb. tom. IV, col. 565, integrum decretum legi meretur. Et ex eo tempore factum est commune ecclesiae orientali universae symbolum constantinopolitanum, quod nondum receptum universim erat in usum praesertim liturgicum. Quae quidem agendi ratio patrum chalcedonensium ineluctabile suppeditat argumentum ecclesiae occidentali ad defendendam declarationem eidem symbolo insertam per verba *Filioque*. Dixi ecclesiae universae orientali commune effectum symbolum constantinopolitanum; nam ecclesiae occidentales, praesertim Romana, adhuc perstiterunt in simplicitate symboli apostolici per plura saecula. Concilium autem Ephesinum per symbolum nicaenum intellexisse symbolum illud presse sumptum absque additamentis symboli constantinopolitani, compertum fit ex recitatione ejusdem symboli nicaeni facta in eodem concilio, prout postea idem factum est in Concilio Chalcedonensi una cum recitatione symboli constantinopolitani. ibid.

383. 4. Eadem lege non obstante licitum sibi duxerunt Orientales novis ingruentibus haeresibus, monothelitarum praesertim et iconomachorum, prolixioribus verbis formulas nicaenam et constantinopolitanam exponere ad rectam fidem profitendam, atque se ab omni erroris suspicione purgandos, ut patet ex actis synodorum generalium VI et VII, imo a Tharasio episcopo Constantinopolitano fidei formula ad patriarchas transmissa est hoc additamento; *Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre* per Filium *procedit* (1).

384. 5. In ordinatione episcoporum graeci tres fidei professiones ad instar symboli emittunt, seu ipsum constantinopolitanum symbolum adiectionibus pluribus locupletatum recitant.

385. Si igitur orientalibus et graecis licuit, inconsulta sede Apostolica praefatas declarationes symbolo nicaeno adjicere, et in usum communem deducere, diversas fidei professiones componere nicaenae fidei consentaneas justis de causis, non obstante decreto ephesino, argumentum ineluctabile est, ipsos vel legem ephesinam interpretatos esse de additamentis fidei nicaenae contrariis, vel eam spectasse ut sanctionem disciplinarem, a qua, gravi urgente necessitate licitum esset sin privatis personis, saltem ecclesiis, ubi haec vigebat necessitas, recedere. Frustra igitur crimini vertunt ecclesiae Latinae, quod eadem libertate, qua usa est ecclesia Graeca, ipsa utens, urgente eadem necessitate, hanc declarationem admiserit in symbolo constantinopolitano; multo vero minus accusari poterat ecclesia Romana, quae, utpote om-

(1) Quod idem est, ut ex dictis patet, ac dicere: *ex Patre Filioque* procedere. Cfr. act. IV et act. X conc. Constantinopolitani III, apud Labb. tom. VI, col. 681 et seqq. et col. 841 et seqq. nec non act. III conc. Nicaeni II, ibid. tom. VII, col. 163. Verba autem seu fidei professio ad rem nostram quod attinet haec sunt: Καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον καὶ ζωοποιοῦν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς δι υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Eadem ratione haec ipsa verba leguntur in collatione Harduini, quae omnium accuratissima censetur tom. IV, col. 132.

nium ecclesiarum mater et magistra, ut declaratur in concilio Florentino, suprema pollet in ecclesias omnes potestate.

386. Deinde compertum est, a saec. VI ecclesias hispanicas, ex occasione conversionis gothorum ad catholicam fidem, qui secum ex oriente errores detulerant arianorum, macedonianorum et eunomianorum, *Filium minorem Patre, ac Filio minorem Spiritum S., factumque a Filio profitentium*, qui praeterea negabant *Spiritum Sanctum a Filio procedere*, statuisse, ut caneretur ad exemplum graecorum intra Missarum solemnia symbolum fidei, particula *Filioque* adauctum, *Quo et fides vera manifestum testimonium habeat* (1). Nec tamen vel accusatae sunt ecclesiae hispanicae a graecis violati decreti, neque se ab illis separarunt. Compertum pariter est ecclesias gallicanas saec. VIII ex occasione iconomachorum, qui accusabant latinos haereseos, eo quod profiterentur Spiritum S. a Patre et Filio procedere, hoc additamentum adoptasse una cum ritu liturgico Hispaniarum, ac sensim dein sine sensu ecclesias Germaniae et Italiae idem exemplum secutas esse (2), quin propterea a graecis catholicis accusatae sint ecclesiae istae tanta saeculorum intercapedine. Cur igitur Michael Cerularius inde ansam arripuit schisma faciendi ab ecclesia romana,

(1) Haec synodus Toletana III celebrata est anno 589 sub Reccaredo Rege; in hujus can. III anathemate percellitur *quicumque Spiritum Sanctum non credit, aut non crediderit a Patre et Filio procedere; eumque non dixerit coaeternum esse Patri et Filio et coaequalem*. Ex quibus patet Gothos ante suam conversionem professos esse processionem Spiritus Sancti *a solo Patre*. Hinc eadem Synodus, capitulo II haec statuit: « Pro reverentia sanctissimae fidei, et propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi et gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis, sancta constituit synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniae vel Galleciae *secundum formam orientalium ecclesiarum* concilii Constantinopolitani, hoc est, 150 episcoporum symbolum fidei reciletur; ut, priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur, quo et fides vera, etc ». Cfr. Labb. tom. V, col. 1000 et 1009. Hanc additionem retinuerunt et propagarunt subsequentes synodi hispanicae.

(2) Cfr. de Rubeis diss. cit. cap. 4, § 2 et seqq.

eo quod ipsa, nonnisi ante paucos annos symbolum tandem admiserit cum additamento et canere coeperit in Missa uniformitatis gratia cum ceteris occidentalibus ecclesiis (1)? Soline ecclesiae Romanae non licuit, quod et orientalibus et occidentalibus ecclesiis semper licitum fuit? Violati praecepti solane rea erit ecclesia Romana, eo quod inconsultis graecis particulam illam admiserit, et immunes erunt ab hoc crimine ecclesiae orientales, quae, inconsulta ecclesia Romana, tot admiserant additamenta?

387. Concludendum igitur est nullam prorsus rationem esse criminandi ecclesiam latinam ob adjectam declarationem symbolo nicaeno, deductam ex decreto ephesino, tum quia, ut longe probabilius est ex dictis, decretum non afficit, nisi solas formulas fidei nicaenae professioni contrarias, aut diversas; tum quia si respicit etiam declarationes nicaenae professioni consentaneas, non afficit nisi privata individua, seu peculiares personas non autem ecclesias ipsas, urgente praesertim gravi causa, ut ex factorum ineluctabilium serie colligitur, et ex perpetua ipsa agendi ratione eorumdem graecorum; multo vero minus nunc ob ejusmodi declarationem culpanda ecclesia latina est; cum a duobus oecumenicis conciliis admissa atque approbata sit, quae eadem ac Ephesinum potestate et auctoritate gaudent.

388. Seu quod idem est immerito graeci ecclesiam latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulae *Filioque*.

(1) Certum est Leonem III aegre tulisse additionem symbolo appositam, et indicasse legatis Francorum modum eamdem tollendi a symbolo; sed nihil profecit. Consuli possunt acta collationis istius apud Baronium ad annum 809, n. 54 et seqq. Romana enim ecclesia tenacissima semper fuit antiquitatis, nec nisi, ut plures volunt, sub Benedicto VIII, anno 1014, ut initio hujus capitis diximus, adoptatum symbolum cum additamento est.

DIFFICULTATES

389. Obj. 1. Lex ephesina lex generalis fuit ab universa ecclesia, in concilio congregata, statuta, et communis universae ecclesiae; ergo nonnisi ab eadem ecclesia universali abrogari seu mutari poterat. 2. Frustra propterea vel exemplum concilii Chalcedonensis vel alterius cujuscumque oecumenici concilii adducitur, eo enim ipso quod oecumenica essent ejusmodi concilia, poterant legem ephesinam tum interpretari, tum eidem derogare. 3. Frustra pariter ceterarum formularum exempla urgentur, cum istae non essent fidei professiones universae ecclesiae communes, sed particulares. 4. Hinc patet, quare ecclesia graeca toleraverit factum additamentum ab ecclesiis sive hispanicis, sive gallicis, vel germanicis, reclamaverit vero tanquam de violato praecepto adversus ecclesiam latinam, cum Romanus Pontifex illud cummune ecclesiae occidentali fecit.

390. Resp. ad 1. *D.* Quae haberet pro objecto formulas fidei, nicaenae fidei contrarias vel diversas, *C.* formulas declarativas ejusdem fidei in symbolo nicaeno contentae, vel *N.* vel *subdist.* Quae afficeret privata individua, *C.* ecclesiam vel ecclesias, legitima causa urgente *N.* Responsio constat ex dictis in probationibus, quibus edocemur non alio sensu ecclesias orientalem et occidentalem decretum illud intellexisse. Sane oecumenica recensita concilia admiserunt et approbarunt fidei professiones ab episcopis confectas et conciliis oblatas, quod non fecissent, si stricto illo sensu quo graeci recentiores intelligendum contendunt, intellexissent decretum ephesinum.

391. Ad 2. *Neg.* Ex his enim conciliis quae renovarunt et confirmarunt ephesinum statutum, semper magis patefit sensus illius legis, alioquin concilia illa non de-

rogassent eidem legi in ipso facto confirmationis. Si his addantur expressae declarationes duorum conciliorum oecumenicorum Lugdunensis II et Florentini res plane confecta est; nec quidpiam ulterius graeci habent quod reponant.

392. Ad 3. *Neg.* Quia ex his pariter elucet sensus in quo majores nostri acceperunt decretum concilii Ephesini; si enim ad verbum, ut praefertur, seu ad litteram vellemus illud resecare, istae quoque formulae particulares a quovis confectae et ab ecclesiis particularibus admissae, totidem fuissent violationes ejusdem decreti; cum vero et istae confectae fuerint atque in usum deductae a particularibus ecclesiis, quae postea a conciliis oecumenicis sancitae sunt et approbatae, evidens est, alio omnino sensu ab eo quem graeci autumant decretum illud confectum fuisse. Adde quod, si lex illa in sensu graecorum communis fuisset toti ecclesiae, seu universae ecclesiae imposita et constituta, multo minus ecclesiis particularibus licitum fuisset ab illa recedere.

393. Ad 4. *Neg. conseq.* Verum motivum hujus reclamationis fuit tum denegatio tituli *Patriarchae oecumenici* ex parte Romani Pontificis, quem frustra Michael Cerularius ab eodem sibi concedi expetierat, tum latum in se pervicaciae nomine anathema a legatis Pontificis. His commotus Cerularius schisma instauravit, ad quod cohonestandum post plures alias causas, et hanc intexuit de corruptione symboli; nullum vero ipse cum contribulibus suis delictum reperisset, si titulum exoptatum obtinuisset (1).

394. Inst. I. Illicitam esse in symbolo adjectionem et legi ephesinae contrariam agnovit ipse Leo III, Rom. Pontifex, qui, referente Anastasio bibliothecario in ejus vita, num. 410, *pro amore et cautela orthodoxae fi-*

(1) Cfr. De Rubeis dis. cit. cap. 5, num. 2; et De Feller, *Dictionnaire historique*, art. *Michael Cerularius.*

dei, fecit scuta argentea duo, descripto in utrisque symbolo, in uno quidem litteris graecis, in altero vero latinis (1), nec tamen adjectionem *Filioque* apposuit; censuit igitur orthodoxae fidei cautelam id exposcere. 2. Idque merito, tum quia bene noverat patres constantinopolitanos verba *qui ex Patre procedit* accepisse ex ipsismet Domini verbis, quae in Evangelio leguntur, Joan. XV, 26, nec proinde debuisse Christi vocibus aliquid interseri (2); tum 3. quia sciebat Romanum Pontificem non potuisse, aut saltem non debuisse praetermisso consilio ceterorum patriarcharum, qui cum ipso divinum habent regimen ecclesiae, communi symbolo quidpiam adjicere. Ergo.

395. Resp. Ad 1. *D.* Id est, pacis et oeconomiae gratia adjectionem *Filioque* in Symbolo, sua cura descripto, Leo III inserere noluit, *C.* quasi illicitam putaret, *N.* Quod si, referente Anastasio, *pro amore et cautela orthodoxae fidei* Leo III voluit describi symbolum in tabulis argenteis, id cavit, ne liberum cuique esset symbolo addere quidpiam, vel quidpiam ex eo minuere, ne hujusmodi additionibus aut imminutionibus aliquid aut irreperet aut tolleretur, quod *fidem orthodoxam* laederet atque corrumperet (3).

396. Ad 2. *Neg.* Ad priorem probationem, *neg.* patres constantinopolitanos ipsa verba Christi Domini, prout ea in Evangelio leguntur, usurpasse; sed solum sen-

(1) Edit. Fran. Blanchinii, Cfr. Baron. ad an. 809, num. 62. Frustra hinc colligebat Photius Leonem III sensisse, Spiritum S. a solo Patre procedere. Hanc enim calumniam dispellunt verba ejusdem Pontificis, quae in collatione cum synodi aquisgranensis legatis protulit; *Ita sentio*, inquiebat loquens de processione Spiritus S. a Patre ac Filio, *ita teneo cum omnibus auctoribus et Sacrae Scripturae auctoritatibus. Si quis aliter de hac re sentire vel docere voluerit defendo* (inhibeo). *Et nisi conversus fuerit et secundum hunc sensum tenere voluerit, contraria sentientem funditus abjicio.* Quid clarius? Itaque nonnisi cujusdam temperamenti gratia nolebat prudentissimus Pontifex, ut symbolo tunc temporis inseretur particula *Filioque.*

(2) Et hoc ipsum opponit Filaret, op. cit. pag. 33, at, quam inepte, patebit ex responsione.

(3) Cfr. de Rubeis loc. cit.

sum retinentes verba alia ipsi adhibuerunt. Sane verba Christi, prout jacent in Evangelio haec sunt: *Qui a* (παρὰ) *Patre procedit* (1), in symbolo autem: *Ex Patre procedentem* (2). Quod si patribus constantinopolitanis licuit Christi verba in alia mutare, quidni licebit ecclesiae Romanae voculam unam interpretationis ergo subjicere? Eo vel maxime quod Synodus VII ac totus Oriens permiserit Tharasio haec ipsa verba Domini duabus vocibus δι υἱοῦ, *per Filium*, interpolari? Et ante ipsum Epiphanio absque corruptionis periculo licuit, tum in *Panario* tum in *Ancorato*, de Spiritu Sancto profiteri: *Qui ex Patre Filioque procedit* (3)?

397. Ad 3. seu ad alteram probationem Resp. 1. *Neg. suppositum*, scivisse nempe Romanum Pontificem, a se non posse, in iis praesertim quae ad disciplinam pertinent, aliquid decerni pro universa ecclesia, eo vel maxime quod concilia ipsa oecumenica totam vim suam habeant, ac robur acquirant a confirmatione Romani Pontificis, cujus rei luculentum exemplum suppeditat canon XXVIII concilii Chalcedonensis, qui per plura saecula nullam vim habuit, resistentibus Romanis Pontificibus; de quo suo quidem loco dicemus. Sed et hoc dato, resp. 2. *Dist.* Et ex hoc ad summum conficeretur, inconsultis Patriarchis non decuisse Romanum Pontificem sancire, ut adjectio illa admitteretur ab universa ecclesia, *Tr.* ab Ecclesia occidentali, cujus ipse Patriarcha est *N.* Nunquam vero Romanus Pontifex, etsi, utpote totius Ecclesiae caput, id praecipere potuisset, coëgit ecclesiam orientalem ad admittendam hanc declarationem, sed solum annuit votis episcoporum occidentalium in ea permittenda, ac postea adoptanda. Ceterum tum in concilio Lug-

(1) Ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται.

(2) Τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον ex quibus liquet mutatam a patribus Constantinopolitanis particulam παρὰ in ἐκ, tum tempus ἐκπορεύεται, in participium ἐκπορευόμενον.

(3) Τὸ παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Cfr. Le Quien, diss. cit. num. 38.

dunensi, tum in concilio Florentino orientales liberi declarati sunt circa admissionem hujus particulae; quod denuo confirmavit Clemens VIII (1). Addendum praeterea est, orientales, inconsulta Romana Ecclesia et episcopis occidentalibus, in concilio Constantinopolitano I. plura adjecisse symbolo nicaeno; iisdemque inconsultis, in usum communem ac in liturgiam invexisse. Eodem itaque jure usi sunt occidentales episcopi, ac praesertim Romanus Pontifex, adoptando additamentum, inconsultis orientalibus, et in usum deducendo in liturgia (2).

CAPUT VI.

AD EA QUAE DICTA SUNT SCHOLIA COMPLECTENS

398. Ne in re tanti momenti, cujusmodi est ineffabile et augustum Trinitatis mysterium, alicui subesse possit ex ignorantia ac defectu rectae notionis, errandi periculum, tum ut nonnulla enucleatius exponantur, quae in tractatus decursu vix attigimus, operae pretium duximus nonnulla adjicere scholia, quibus ea, quae dicta sunt de processionibus, relationibus aliisque id generis,

(1) In concilio Lugdunensi Imperator Michaël Pelaeologus postulavit, *ut Ecclesia sua symbolum semper dicat, prout dicebat illud ante schisma usque in hodiernum diem*, quod tum a Pontifice, tum ab episcopis ipsi concessum est. Sic in concilio Florentino, nemine ex latinis repugnante, graeci dixerunt: *Additionem nequaquam omnino nos recipimus; sed concedimus vobis, ut eam habeatis in Ecclesiis vestris.* Clemens vero VIII, Bulla XXXIV, § 6 decrevit, ut graeci credere teneantur Spiritum S. ex Filio procedere: sed non teneantur pronunciare, nisi subesset scandalum. Cfr. Le-Quien, diss. cit. num. 38. Ex dictis patet, frustra Marcum Anton. de Dominis. lib. VII, *De Republ. christiana*, cap. 10, affirmare periculosum quidem esse, non tamen haereticum, illam processionem negare. Quod mirum esse non debet in homine apostata, infallibilitatem oecumenicorum conciliorum minime agnoscente.

(2) Circa hoc additamentum praeter auctores superius citatos consuli potest Franc. Xaver. Piacevich S.J. in *Controversia, seu colloquio Latinum inter et Graecum de additione particulae* Filioque *ad symbolum fidei*, quae exstat in *Thesauro theol.* Zaccariae, tom. III; nec non erudita *Dissertatio* Christiani Lupi Ord. s. August. tom. I. *Synodorum generalium*, edit. Venet. 1724.

illustrentur juxta catholicam doctrinam et communem Doctorum sensum.

399. Scholion I. Binae processiones admittendae sunt ac binae origines, *generatio* et *processio*; et quod consequens est quatuor relationes, *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa* et *Spiratio passiva*. Duas namque dari origines ex Scripturis constat. Nam Filius *genitus* dicitur a Patre (Ps. II, 7), et Spiritus Sanctus *procedere* (Joan. XV, 26). Patris nulla est origo. Ipse enim divinarum omnium originum fons est seu, ut graeci loquuntur, *causa procataractica*, ut suo loco adnotatum est, quam nos *principium summum* vocamus; *ingenitus* proinde Pater dicitur, *improductus* et *innascibilis*.

400. Has autem processiones fieri debere per actiones, ut vocant, immanentes, intimas nimirum Deo, seu intra Deum manentes, nemo est qui dubitet, ac per hoc distinguuntur ac differunt ab actionibus transeuntibus ad extra, seu externis cujusmodi sunt res creatae omnes, quae exterius a Deo producuntur. Actiones item immanentes ex theologorum doctrina non sunt nisi duae, *intelligere* et *velle*, propter summam Dei perfectionem, qua omnia, quae a Deo cognoscuntur, unico ipse actu comprehendit; omnia, quae ab eo probantur, unico pariter ipse voluntatis actu complectitur.

401. Ex quo theologi plerique inferunt, principium proximum processionum neque divinitatem esse per se spectatam, neque hypostasim aut relationem, quae divinas potius processiones supponunt; sed intellectum et voluntatem, quatenus facultates *notionales* sunt. Scripturae enim et patres passim Filium *Verbum et Sapientiam* vocant, quae spectant ad intellectum; Spiritum Sanctum vero *Amorem*, *Charitatem*, *Gratiam* ut plurimum dicunt, quae quidem voluntatis sunt. Cum insuper Filius terminus adaequatus sit intellectus, utpote qui eum exhauriat quemadmodum et Spiritus Sanctus, qui totam ex-

haurit voluntatis fecunditatem, divinae voluntatis terminus est adaequatus, quamobrem clare colligitur, quare nec plures nec pauciores divinae processiones sint quam duae commemoratae (1).

(1) Nemo est qui nesciat rationem, qua divinae personae produci dicuntur (utrum scilicet immediate a natura, an mediate tantum ab intellectu et voluntate), quatenus cogitatione distinguuntur a divina essentia, non attingere dogma ipsum, sed diversas in scholis obtinuisse ac obtinere sententias; e'si alia aliis probabilior sit ac magis communis. Quod quidem observo, ne sociniani vel rationalistae, quibus hae sententiae non probantur, ansam sumant, ut passim ab ipsis fit, indidem impugnandi dogma ipsum, quod integrum semper subsistit, etsi modus exponendi has productiones seu processiones, qui apud theologos obtinet, rejiceretur. Cfr. Suarez, *De Trin.* lib. I, cap. 5. Sic non desunt, qui negent Filium seu Verbum a Patre produci, seu generari per intellectum, et destruere moliuntur principia, quibus haec sententia innititur. Qui enim hanc sententiam tuentur, aiunt 1. hoc principio tanquam axiomate nituntur: Omne verbum mentis expressa est imago et similitudo rei cogitatae (Cfr. Petav. lib. VI, cap. 2, § 2); atqui, subsumunt impugnatores, hoc principium est falsum; nam quae per tactum, gustum etc. percipimus, sunt affectiones mentis, et tamen istae non praeseferunt imaginem et similitudinem rei perceptae; ergo.

2. Alterum principium horum theologorum est, quod mens intelligendo sibi pariat ideam, quae sit mentis imago; atqui insurgunt alii, hoc pariter falsum est; nam, mens dum reflectit super se ipsam seu cogitat mentem suam, sine dubio mens habet ideam sui, nimirum cogitat seipsam, haec autem cogitatio non est imago mentis, quam nemo vidit, et adhuc ignoratur mentis essentia, qua ignorata, deest imago ejusdem, saltem in omni cogitatione.

3. Ut sensu fit oculorum, imagines rerum experimur, positis jam rebus diversis, a mente; ergo, si Pater conciperet intelligendo imaginem, quae Filius esset, oporteret concludere, illum concipere imaginem, quia Filius jam existeret, non autem Filium existere, quia Pater conciperet imaginem, quae filius esset.

4. Hoc magis patebit, analysi instituta cogitationis, seu intellectionis sui ipsius. Intelligere seipsum est veluti convertere et contrahere se ad se ipsum, imo recipere se tandem, ut ita loquar, intra se ipsum. Atqui gignere est *profundere* aliam hypostasim, est veluti extra se *progredi*, etc.; ergo.

5. Actus intellectionis exercitae sic concipitur a theologis; Pater intelligendo se concipit, exprimit, generat alium se ipsum; porro intelligere se totum est veluti recepisse se totum contemplandum intra se ipsum contemplantem, est seipsum per seipsum dimetiri, ac interiori persuasione judicem ac testem sibi esse factae hujus contemplationis ac dimensionis; atqui judicium intimum non est imago ulla, ut quisque intelligit; ergo.

6. Si Pater per intellectionem suam Filium gigneret, hunc tota sua intellectione gigneret; et quoniam intellectio haec tota, qua gigneret, Filium respicit ut gignendum, hinc tota Patris intellectio cognosceret Filium ut gignendum, nec unquam cognosceret ut genitum, id est, cognosceret certissime semper habiturum se Filium, nec habuisse tamen a tota aeternitate cognosceret.

7. Non est persona sine intelligentia et voluntate; quod si eo Filius

402. Sunt qui cum D. Thoma, part. I, q. 27, art. 4, generationis Filii et processionis Spiritus S. diversitatem derivant ex originum *modo*. Cum enim generatio sit *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae*, propterea ad generationem proprie dictam requiritur, ut geniti origo sit a gignente per actionem ad communicandam naturae similitudinem suapte natura ordinatam, ut patet in idea mentis, quae rem exprimit; cum vero processio non dicat nisi emanationem unius ex altero, et voluntas seu charitas, quae est voluntatis operatio ad amandam rem, non ad inducendam rei similitudinem, sit ordinata, hinc in Verbo vera generatio est, et ideo *Filius* dicitur; at in Spiritu S., qui est charitas et est ex voluntate, sola processio est, et ideo ipse Filius non est. Exemplo Evae id illustrant, quae licet esset vivens, et a vivente Adamo originem duceret, eique similis in natura esset, Adae tamen *filia* nec fuit nec dici potuit; quia non Adae actione, sed sola Dei voluntate eidem similis facta est. Sunt qui cum s. Augustino sentiunt, solum Filium esse genitum, quia solus ab uno procedit; nullus quippe Filius duos patres habere potest; Augustino assentitur s. Bonaventura et alii cum ipso (1). S. Anselmus diversas sententias conciliare nititur in *Monologio*, lib. I; cap. LVII (2). Fatendum vero est, hujus

actu prodiret, quo se Pater intelligit, prodiret ante consideratam voluntatem; nimirum cum nondum respici undique ut persona posset; seu quod idem est, Filius minime ex persona Patris nasci dicendus esset, si per intellectum, ut explicant, germinaret, maxime quod per omnes theologos tertius e Trinitate ut voluntatis terminus respiciatur; ergo.

Haec aliaque similia non pauca urgent patroni contrariae sententiae, quae eo consilio protuli, non ut probem, sed ut pateat quot difficultatibus obnoxia sit opinio, quae tamen inter theologos communior est. Quod a fortiori de ceteris dicendum, ita ut satius sit dogma ab opinionibus secernere, cum illud ab his nullo modo pendeat. Ceterum communis theologorum sententia satis solidum fundamentum habet in Scriptura et patribus, sive graecis sive latinis. Propositae autem difficultates, a psychologia ut plurimum petitae, non possunt applicari operationibus divinis, quae longe nimis a nostris distant.

(1) S. Aug. *Contra Maximin.* lib. II, cap. 14, num. 1; s. Bonavent. *in librum* I *sententiarum*, dist. XIII, q. III.

(2) Qui tamen cap. 64 fatetur hoc

rei nullam evidentem rationem proferri posse; unde monebat s. Gregorius Nazianzenus tam generationem Filii quam Spiritus S. processionem honorandas potius silentio quam investigandas (1).

403. Etsi vero juxta superiorem sententiam generatio intellectu, spiratio autem voluntate fiat, ob miram tamen Dei simplicitatem, in quo intellectus et voluntas *unum* sunt, etiam ipsa generatio et spiratio non duplici, sed uno eodemque actu fiunt; originesque illae duae in duobus terminis distinctae, idem sunt in suo principio (2).

404. Scholion II. Proprietates peculiares, quibus divinae hypostases gaudent, *notiones* a theologis dicuntur. Notio idcirco, prout ab initio tractatus diximus, est character, tessera, seu nota singularis, qua divinae Personae internoscuntur. Proprietas tamen et relatio et notio una eademque res divina sunt. *Proprietas*, quatenus ex. gr. est *Paternitas*, soli Patri competit; *relatio*, quatenus respicit Filium; *notio*, quatenus Patrem constituit et a Filio discernit. Notiones quinque vulgo numerant theologi. Sunt autem *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, *Spiratio passiva* et *Innascibilitas*. Priores quatuor etiam relationes sunt, cum mutuo se respiciant; at *Innascibilitas* per se relationem non dicit; ad relationum tamen genus reduci potest, ut negatio ad affirmationem. In Deo igitur recensentur *natura* una, *processiones* sive *origi-*

incomprehensibile esse, prout etiam fatetur s. August. loc. cit. scribens: « Amborum est ergo Spiritus, procedendo de ambobus. Quid autem inter nasci et procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest?... distinguere inter illam generationem et hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio ». Petavius decem rationes enumerat, cur processio Spiritus Sancti non sit generatio, lib. VII, cap. 13.

(1) *Orat.* XXXVII, num. 21. Cfr. Albari Cienfuegos S. J. op. cit. vol. II, disp. 9, sect. 4, § 2, num. 1 et seqq.

(2) Apposite s. Anselmus libro *De processione Spiritus S.*, cap. 17, alias 16, inquit: « Quemadmodum lacus non est de hoc unde diversi sunt ab invicem fons et rivus, sed de aqua in qua unum sunt; ita Spiritus Sanctus non est de hoc, unde alii sunt ab invicem Pater et Filius, sed de divina essentia, in qua unum sunt ». Utitur nempe s. Doctor similitudine graecis familiari.

nes duae, *personae* tres, *relationes* quatuor, *notiones* quinque (1).

405. Inter theologos non convenit, an praefatae relationes divinae perfectiones verae sint, nec ne; ancipites in utramque partem sententiae sunt. Juxta Petavium de voce potius quam de re ipsa videtur orta conflictio (2). Illud plerosque torquet catholicos, quod, si ex una parte dicatur, relationes originis in unaquaque persona esse perfectiones, sequeretur inde in qualibet persona desiderari aliquam perfectionem; si vero non censentur verae perfectiones, dicendum foret perfectionem non esse in divina persona, id quod eam constituit, distinguit, atque, ut ita dicam, specificat. Jam vero si observetur personam divinam, prout persona est, peculiarem quidem habere perfectionem, qua *immediate* carent aliae divinae personae, earum tamen quamlibet *mediate* perfectiones omnes habere, quibus personae reliquae instructae sunt ob identitatem naturae, plane intelligitur personis singulis easdem perfectiones inesse debere. Sic Pater ex. gr. quatenus talis est, filiatione destituitur, atque vicissim Filius paternitate; uterque tamen, cum unam eamdemque naturam habeat, quae a relativis proprietatibus realiter non distinguitur, illas proprietates seu perfectiones habet. Ideirco Pater, mediante natura divina, omnibus donatur Filii et Spiritus Sancti proprietatibus; id ipsum dicatur de personis aliis.

406. Hujusmodi relationes sunt in Deo verae ac reales. Ex dictis enim constat in Deo tres esse personas realiter distinctas, Patrem, Filium et Spiritum S. Atqui nomina ista relativa sunt, non absoluta; neque personae realiter distinguuntur per id, quod est in Deo absolutum, sed per id, quod relativum est et unicuique personae pro-

(1) Quoad notiones, sunt qui sex enumerant. Cfr. Vasquez, *in* 1 *part.* 2. *Thomae*, disp. CXXXVII.

(2) *De Deo*, lib. VI, cap. 7, § 12 et seqq.

prium. Deinde illud reale est, quod existit nemine cogitante; paternitas enim, ex. gr. non solum cogitatur aut fingitur in Patre, sed vere residet tanquam proprietas personalis et subsistens in Patre, qua Pater est (1).

407. Scholion III. *Circuminsessio*, seu, ut ab aliis etiam dicitur, *circumincessio*, seu *circummeatio*, qua voce designatur proprietas illa, seu ille existendi modus, qui tribus personis communis est, definiri solet: *Intima existentia unius Personae in altera sine confusione personae* (2). Quo sensu s. Fulgentius, lib. *De Fide*, cap. I, num. 4: *Totus Pater in Filio et Spiritu Sancto est, et totus Filius in Patre et Spiritu Sancto est, totusque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est.* Adeo ut mutuo tres divinae personae existant in se, et ut loquitur Petavius, inter se immeent, atque se invicem penetrent, quemadmodum Christus testatur Joan. XIV, 11: *Ego in Patre, et Pater in me est.* Quod juxta s. Thomam triplici ratione fit: essentia, relatione et origine; *essentia*, quae una et eadem est in singulis; *relatione*, quia relativa simul coexistunt; *origine*, quia una persona ab altera emanat per processionem ad intra (3). Circuminsessionis magna utilitas in eo est, quod ad personarum distinctionem earumque consubstantialitatem adstruendam valde conferat.

408. Scholion IV. *Missio* definiri potest: *Processio*

(1) Cfr. S. Th. Part. I, q. XL, art. 1. Observat tamen Petavius, loc. cit. § 13, tametsi relationes istae naturam perficere et complere dicantur, quemadmodum personalis proprietas quaelibet, quam scholae hodie *subsistentiam* vocant, naturam in completo et absoluto statu substantiae constituit; non tamen perfectiones ipsas esse aliquas, quarum accessione natura fiat ipsa perfectior. Sed, quia naturam ultimo in statu complent ac terminant, ideo perficere dicuntur, cum eam velut circumscribunt ac definiunt ita, ut longius atque extra se progredi eam non sinant, sed per se subsistentem faciant. Hinc sunt graves theologi, qui hypostaticam ejusmodi proprietatem nihil aliud esse contendunt praeter negationem.

(2) Circuminsessio graece περιχώρησις dicitur, de cujus vocis vi, ac sensu quo usurpata a Veteribus est, fuse agit Petavius, *De Trin.* lib. IV, cap. 16.

(3) Part. I, q. XLII, art. 5.

divinae personae ab alia cum ordine ad terminum. Missio haec, si origo spectetur, aeterna est et necessaria, quippe nec motu aut successione fit sed immutabili actione ad intra; si vero *terminus* spectetur, temporalis esse potest, gratuita et libera. De utraque hac missione Christus loquitur, Joan. VIII, 42: *Ego ex Deo processi et veni; neque enim a me ipso veni; sed ille me misit.* Porro in eo quod se a Deo processisse testatur, aeternam tangit generationem; in eo vero, quod se a Deo missum affirmat, temporalem et gratuitam missionem suam in mundum ostendit. Prout vero observat s. Augustinus, *De Trin.* lib. II, cap. V, num. 8: *Pater solus nusquam legitur missus* (1), quia scilicet a nullo procedit. Notandum praeterea est cum s. Thoma, si mittentis nomine designetur principium personae quae mittitur, non quamlibet personam mittere, sed illam solum, cui competit esse principium illius personae; et sic Filius mittitur tantum a Patre; Spiritus Sanctus autem a Patre et Filio; si vero mittentis nomine veniat principium effectus secundum quem attenditur missio, a tota Trinitate mitti personam missam (2). Hinc Filius dicitur (Isaïae XLVIII, 16) missus a Patre et Spiritu Sancto: *Dominus Deus misit me et Spiritus ejus* (3).

(1) Expedit legere integrum caput, in quo inveniuntur plura observatione digna.

(2) Part. I, q. XLIII, art. 8.

(3) Ex dictis colligitur duo ad missionem proprie dictam concurrere, alterum, sempiternam processionem personae, quae mittitur; alterum, externam aliquam efficientiam, sive sub sensus incidat, ut cum, homine suscepto, Verbum hominibus apparuit, aut sub columbae specie Spiritus Sanctus, sive interius sit nec aspectabile quod agitur, ut cum Spiritus S. ad fidelium quemque demittitur. Ceterum produci unam ab altera necesse esse, ut ab ea mitti proprie dicatur, ex ea missione, quae minus proprie usurpatur, ostendi potest. Nam Filius, cum carnem assumpsit, ideo non a Patre solum, sed etiam a Spiritu S. missus esse dicitur, quod hic una cum Patre externum illud opus elaboravit, cujus nisi efficiens causa fuisset, Spiritus Sanctus, ab ipso missus non diceretur Filius. Ita Petavius, *De Trin.* lib. VIII, cap. I, §. 9. Et exinde novum argumentum exsurgit adversus graecos, ad processionem adstruendam Spiritus Sancti a Patre ac Filio. Cfr. s. Fulgentius in fragmento libri VIII *Contra Fabianum*, pag. 613 et seqq. opp. edit. Paris; 1684.

409. Scholion V. Attendenda demum est accurata loquendi ratio cum de Trinitate disseritur. Ex pluribus autem regulis, quae a theologis exhiberi solent, brevitatis gratia, nos potiores seligemus. Itaque *unius* et *unitatis* vocabula cum sermo est de Trinitate, unum Deum exprimunt seu unicam trium personarum essentiam.

410. Quum vero vox *unius* masculino genere ponitur, singularitatem non naturae, sed personae significat. Fas non est ita loqui: *Trinitas est unus*, nisi adjungatur substantivum nomen *Deus*, vel saltem nisi subintelligatur (1); aliter propositio *sabelliana* esset. Contra vero affirmare non licet *aliud* atque *aliud* esse Patrem ac Filium, sed *alium* atque *alium*; quippe in neutro genere praenomina significare solent naturam, non personam. Malunt nonnulli patres Trinitatem appellare *unitatem* potius quam *unionem*, ne composita videatur simplicissima Dei natura. E contra dicere magis expedit *unum* Deum quam *unicum*, *solitarium*, *singularem*; cum his vocibus abutantur sociniani ad excludendam personarum pluralitatem, *unitarii* propterea nuncupati. Si vero res sit cum polytheistis, *unicum* possumus tuto vocare Deum; cum ad exclusionem pluralitatis substantiarum divinarum usurpetur ejusmodi vox. Ex hac perfectissima unitate manavit, ut illae personae, re a se invicem distinctae, *unum* esse dicantur, nec non *unus Deus*, sicuti et Trinitas *unus Deus*. Quare quum dicitur: *Trinitas est Deus*: idem est ac: *Tres personae sunt Deus*; vel *Deus est Trinitas*, vel *Deus est personae tres* (2).

411. *Trinitas* nihil aliud est, quam *ternarius* vel *ter-*

(1) De sensu, quo in symbolo, quod Athanasianum nuncupatur, dicatur *unus* omnipotens, etc. Cfr. Petav. *De Trin.* lib. III, cap. 9, § 9; tum lib. VIII, cap. 9, § 14 et seqq.

(2) Inepte prorsus Calvinus et Danaeus carpunt loquendi formulam, apud catholicos usitatam, *Trinitatem esse unum Deum*. Quam quidem objurgationem ex istorum errore profluere, qui proprietates ab essentia divellunt, putantes Filium, qua Deus est, a se ipso esse, ostendit Petavius, lib. VIII, cap. IX, § 3.

nio. Numeralis et collectiva dictio ejusmodi est, quae proprie ac per se non unitatem naturae significat, sed tres personas (1). Usu autem receptum est, ut *trinum Deum*, non *triplicem* dicamus; quanquam scribit Petavius *triplicem* personam non minus usurpari posse quam personas *trinas*. Tournely censet sano et catholico sensu dici posse, esse in Deo tres res, tria entia, tres existentias, tres unitates, tres veritates, etc., dummodo tamen adjiciatur terminus relativus, nempe dici posse, *tres res relativas*, etc. non autem *tria individua*; quia individua dicuntur in ordine ad unam specie naturam, diversam tamen numero, cum tamen in Deo unica sit natura, non tantum specifica, sed etiam numerica (2).

412. Observandum praeterea est, nomina essentialia in abstracto non posse supponere pro personis divinis, ideoque dici non posse: *essentia generat* aut *generatur*, prout suo loco diximus definitum esse a Concilio Lateran. IV. Nomina vero essentialia concreta, si non restringantur per aliquod attributum sive proprietatem notionalem, supponunt pro natura subsistente in tribus personis, ut cum dicitur: *Deus creat*, etc. Si vero adjicia-

(1) *Trinitas* idem est ac graece ἡ τριάς. Frustra propterea Wegscheider affectat vocare eam (§ 89, not. *a*) *trinunitatem*.

(2) Num *Trina Deitas* dici possit necne, Hincmarum inter et Gotschalchum atque Ratramnum, monachum Corbejensem, magna saec. IX controversia exarsit, negante illo, his contra affirmantibus, catholice formulam illam usurpari posse. Eam referunt Natalis Alexander in *Histor. ecclesiast.* saec. IX et X, diss. 5, § 14; et Mabillonius, praef. in saec. IV, Benedict. cap. 2, num. 146. Cfr. Germonius S. J. *De haereticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, vol. I, in 8, Parisiis, 1713, pag. 504 et seqq., ubi pugnat adversus Coustant. Hic obiter noto, Suarez (*De Trin.* lib. I, cap. 3, et alibi) cum nonnullis aliis scholasticis contendere, praeter tres subsistentias relativas aliam admittendam esse absolutam, communem personis tribus. Verum Petavius, *De Trin.* lib. IV, cap. 12, ex veterum unanimi consensu, quartam ejusmodi subsistentiam admitti non posse, sed tres tantum relativas, evincere nititur. Ostendit praeterea ex eorumdem sententia nonnisi unicam admittendam esse in tribus distinctis personis *existentiam*. Cfr. etiam Vasquez, *in* I. *part. s. Th.*, tom. II, disp. CXXV et CXXVI.

tur aliqua notionalis proprietas, tunc nomina essentialia concreta possunt supponere modo pro una, modo pro duabus personis, ut cum dicitur: *Deus generat*, *Deus spirat*, *etc.*

413. Cum de accuratis loquendi formulis hucusque disseruerimus, libet verba in medium proferre quibus in Constitutione dogmatica, *Auctorem fidei*, Pius VI synodum Pistoriensem perstringit, dicens: *Duo speciatim notanda censemus, quae de augustisssimo ss. Trinitatis mysterio § 2 Decreti de fide, si non prevo animo, imprudentius certe Synodo exciderunt... Primum, dum posteaquam rite praemisit, Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens, ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus... Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii, tot Scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et e nube delapsa, cum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronunciatus: ac non potius retinendum esset quod, edoctus ab Augustino, Angelicus praeceptor* (1) *vicissim ipse docuit, in nomine Verbi eamdem proprietatem importari, quae in nomine Filii, dicente nimirum Augustino* (2): *eo dicitur Verbum quo Filius.*

414. Ast deterius multo erravit Georg. Hermes in ex-

(1) Part. 1, q. 34, art. 2, ad 3.
(2) *De Trin.* lib. VII, cap. 2, num. 3.

positione doctrinae de ss. Trinitate, ubi scribit: *Nonnulli patres, ad quos etiam s. Augustinus spectat, videntur putasse, per Filium et Spiritum S. significari duas Dei proprietates; ast obliti sunt in hoc, quod tenebantur credere et recpse credebant, nempe Patrem Deum, Filium Deum, et Spiritum S. Deum, et unumquemque per se ut personam. Pater, Filius et Spiritus S. igitur debent significare effectus Dei vel divinae essentiae, et si etiam hoc significare non possent, pro hominibus nihil omnino possent significare, et consequenter pro nobis doctrina de Trinitate divina absque ullo sensu foret* (1). Tot pene errores hic numerantur, quot verba. Nunquam enim sive s. Augustinus, sive alius ecclesiae pater putavit per Filium et Spiritum S. significari *duas Dei proprietates*. Hoc enim falsum est, sed in Filio et Spiritu S. non secus ac in Patre, illi spectarunt *proprietates personales* seu *notiones*, quibus unaquaeque Persona ab alia distinguitur et constituitur in *esse*, ut ajunt, *personae*. Has proprietates seu notiones, scholastici vocarunt *Paternitatem*, *Filiationem*, *Spirationem*, ut ex dictis patet. Ecquis vero aequo animo hoc ferat, ut Hermesius praedicet Patrem, Filium et Spiritum S. non aliud significare nisi *effectus* Dei? Hoc prorsus novum ac inauditum est in scholis catholicis. Fides enim docet Patrem a nemine procedere, Filium vero et Spiritum S. procedere a Patre, Filium quidem per generationem, Spiritum S. etiam a Filio per processionem, sed tanquam a principio intrinseco, non autem tanquam a principio extrinseco, alioquin *effectus* sane essent, et *merae creaturae*. Attamen, nisi doctrina de Trinitate

(1) *Christ. cath. dogm.* Monasterii 1834, p. 470.

ita exponatur, juxta auctorem nostrum absque ullo sensu foret (1)!

(1) Quae quidem speciminis gratia dedimus. Ceterum permolestum opus esset, omnia persequi quae tradit hic auctor, qui tamen jactat se novam invenisse theologiae tradendae rationem, ac magistrum se exhibere eorum, qui hactenus in tenebris versati sunt. Ut insistamus in iis, quae ibidem scribit de Trinitate, docet essentiam divinam, prout efficiens est esse Patrem, Filium vero efficientiam Patris, id est, essentiae divinae, quae ipsum producit per repraesentationem sui ipsius in suo effectu, « et dum divina essentia ab aeterno agit seu efficit, *inquit*, sese exhibet, prouti est efficiens, tanquam individuum, et quia efficit cum conscientia sui exhibetur tanquam persona.... per coëfficientiam Patris et Filii oriri debet reactio divinae essentiae in seipsam, et hinc haberi una divina essentia iterum tanquam individuum, et quidem distinctum a Patre et Filio, et insuper sui conscium, igitur ut persona ». Quam perspicua ac mirifica haec sunt omnia! Spiritus S. procedit per modum reactionis divinae essentiae in seipsam! Merito propterea Gregorius XVI nuper hujus auctoris opera proscripsit, decreto dato sub die 26. Sept. 1835.

INDEX

TRACTATUS DE DEO

EJUSQUE ATTRIBUTIS

pag.

MIUM 1

PARS PRIMA

DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM

T I. De Dei existentia 3

. I. *Deus existit* 8

Difficultates adversus argumentum deductum ex ente necessario et rerum contingentia 13

Difficultates adversus argumentum physico-theologicum 23

Difficultates adversus argumentum morale 35

T II. De Dei unitate 43

. I. *Deus unus est* 48

Difficultates 50

. II. *Ethnici vel polytheismo proprie dicto vel idololatrico cultu absoluto vel passim utroque simul se commacularunt* 57

Difficultates 63

. III. *Absurdum est dualistarum system. III.* 33

ma, ac malorum origini explicandae impar pag. 73
DIFFICULTATES 80
CAPUT III. DE ESSENTIA DEI EJUSQUE PERFECTIONIBUS GENERATIM 87
PROP. I. *In Deo sunt omnes perfectiones* 91
PROP. II. *Deus habet omnes perfectiones simplices formaliter, mixtas autem eminenter* 92
DIFFICULTATES 95
PROP. III. *Essentia Dei metaphysica videtur constituenda in eo quod sit ens a se ac independens, seu in existentia a se* 96

PARS ALTERA

DE DIVINIS ATTRIBUTIS SINGILLATIM

CAPUT I. DE SIMPLICITATE DEI 100
PROP. I. *Deus est omnino simplex* 104
PROP. II. *Absurda et haereticalis est sententia eorum, qui Deum corporeum esse censent* 107
DIFFICULTATES 109
PROP. III. *Systemata pantheismi atque autotheismi absurda sunt* 116
DIFFICULTATES 128
PROP. IV. *Admitti nequit ulla realis distinctio inter Deum ejusque attributa sive absoluta sive relativa, neque inter attributa absoluta ipsa* 138
DIFFICULTATES 140
PROP. V. *Admitti debet rationis seu cogitationis distinctio inter divinam es-*

sentiam ejusque attributa sive absoluta sive relativa, et inter attributa absoluta ipsa *pag.* 144
DIFFICULTATES 146
CAPUT II. DE DEI IMMUTABILITATE AC LIBERTATE 149
PROP. *Deus est immutabilis et liber* 151
DIFFICULTATES 154
CAPUT III. DE INFINITATE, IMMENSITATE ATQUE AETERNITATE DEI 158
PROP. I. *Deus est infinitus absolute et in omni genere perfectionis* 159
DIFFICULTATES 160
PROP. II. *Deus est immensus rebusque omnibus et locis intime praesens essentia sua* 161
DIFFICULTATES 164
PROP. III. *Deus est aeternus* 168
DIFFICULTATES 171

PARS TERTIA

DE SCIENTIA ET VOLUNTATE DEI

CAPUT I. DE SCIENTIA DEI 173
ARTIC. I. De divinae scientiae existentia atque proprietatibus 174
PROP. I. *Est in Deo veri nominis scientia eaque perfectissima* 175
PROP. II. *Scientia Dei est simplex, immutabilis et infinita* ibid.
PROP. III. *Scientia Dei est efficax et causa rerum* 177
DIFFICULTATES 180
ARTIC. II. De objecto scientiae divinae 182

*

PROP. I. *Deus seipsum perfecte cognoscit et comprehendit* *pag.* ibid.
PROP. II. *Deus cognoscit omnia possibilia* 183
PROP. III. *Deus distincte cognoscit omnia praeterita, praesentia et futura sive necessaria, sive contingentia et libera* 184
DIFFICULTATES 186
PROP. IV. *Deus certo et infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata* 195
DIFFICULTATES 199
ARTIC. III. De medio scientiae divinae 204
ARTIC. IV. De divisione scientiae Dei 212
CAPUT II. DE VOLUNTATE DEI 219
PROP. I. *Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente vult alios salvos fieri quam praedestinatos, et Christus non pro solis praedestinatis mortuus est, ac sanguinis sui pretium Deo Patri obtulit, sed etiam pro aliis, saltem fidelibus* 223
DIFFICULTATES 228
PROP. II. *Vera, pia, catholica et fidei proxima est sententia, Deum, supposito etiam peccato originali, velle vere et sincere omnes et singulos homines, saltem adultos, salvos fieri, et Christum ex eadem sincera voluntate applicationis meritorum suorum pro iisdem mortuum esse, et sanguinem fudisse.* 230
DIFFICULTATES ADVERSUS VOLUNTATEM DEI SALVANDI OMNES 238

DIFFICULTATES ADVERSUS MORTEM CHRISTI PRO OMNIBUS *pag.* 245
PROP. III. *Deus voluntate seria et antecedente vult etiam infantes decedentes sine baptismate salvos fieri, et Christus pro iisdem mortuus est* 252
DIFFICULTATES 254

PARS QUARTA

DE PROVIDENTIA AC DE PRAEDESTINATIONE

CAPUT I. DE PROVIDENTIA 258
PROP. *Datur in Deo providentia, quae ad omnia et singula se se extendit* 259
DIFFICULTATES 261
CAPUT II. DE PRAEDESTINATIONE 267
ARTIC. I. De natura et proprietatibus praedestinationis. ibid.
PROP. I. *Datur ex parte Dei veri nominis praedestinatio, eaque certa est et immutabilis* 276
DIFFICULTATES 278
PROP. II. *Nemo absque speciali revelatione certus esse potest de sua praedestinatione* 283
DIFFICULTATES ibid.
ARTIC. II. De causis et effectibus praedestinationis 285
CAPUT III. DE REPROBATIONE 286
PROP. *Impium est asserere Deum ex solo beneplacito aliquos homines positive reprobasse, atque aeternis suppliciis destinasse, absque praevii peccati praevisione* 289
DIFFICULTATES 291

TRACTATUS DE SS. TRINITATE

PROOEMIUM	*pag.*	297
CAPUT I.	DE VOCIBUS, QUAE IN DISSERENDO DE AUGUSTISSIMO TRINITATIS MYSTERIO USURPANTUR	300
CAPUT II.	DE NUMERICA DIVINAE ESSENTIAE UNITATE IN TRIBUS PERSONIS	312
PROP. I.	*Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae. Probatur primo ex sacris litteris generatim*	313
	DIFFICULTATES	317
PROP. II.	*Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae. Probatur speciatim ex I Joan. V, 7, utpote authentico et genuino*	330
	DIFFICULTATES	343
PROP. III.	*Unitas divinae essentiae in tribus personis distinctis ex perpetuo ac constanti ecclesiae sensu traditionali confirmatur*	355
	DIFFICULTATES	368
PROP. IV.	*Mysterium sanctissimae Trinitatis rectae rationi adversari nullo modo ostendi potest*	379
	DIFFICULTATES	380
CAPUT. III.	DE VERBI SEU FILII DIVINITATE ET CUM PATRE CONSUBSTANTIALITATE	389
PROP. I.	*Verbum est vere ac proprie Deus et Filius Dei ac Patri consubstantiale*	391
	DIFFICULTATES	394
PROP. II.	*Verbum esse proprie Deum, Fi-*	

lium Dei et Patri consubstantialem, ex traditione invictissime ostenditur 407
DIFFICULTATES 413
CAPUT IV. DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI 430
PROP. I. *Spiritus Sanctus vere ac proprie Deus est, ut in primis ex Scripturis constat* 431
DIFFICULTATES 434
PROP. II. *Spiritum S. vere ac proprie Deum esse ex sensu ecclesiae traditionali confirmatur* 444
DIFFICULTATES 449
CAPUT V. DE SPIRITUS SANCTI A PATRE ET FILIO PROCESSIONE 460
PROP. I. *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit* 464
DIFFICULTATES 472
PROP. II. *Immerito Graeci Ecclesiam Latinam corrupti symboli insimulant ob additamentum particulae* Filioque. 488
DIFFICULTATES 495
CAPUT. VI. AD EA, QUAE DICTA SUNT, SCHOLIA COMPLECTENS 499

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
76 in not. (1).	1	calore	calor
81	ult.	denique	quia denique
82	2	admitti Deus	admitti potest Deus
84 in not. (1).	11	posse non	posse nos
142	8	*creaturarum*	*creaturam*
392	9	cetera intelligibilia	cetera inintelligibilia
437	5	Universorum Solymorum	Universa Solymorum

REIMPRIMATUR

F. D. Buttaoni *Ord. Praed. S. P. A. Mag.*

REIMPRIMATUR

A. Piatti *Patriarcha Antioch. Vicesgerens.*